INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ
AD USUM SEMINARIORUM,

AUCTORE J. B. BOUVIER,

EPISCOPO CENOMANENSI.

UNDECIMA EDITIO,

JUXTA ANIMADVERSIONES A NONNULLIS THEOLOGIS ROMANIS PROPOSITAS EMENDATA.

TOMUS QUINTUS.

DE PECCATIS.—DE DECALOGO.—DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.



PARISIIS,

APUD MEQUIGNON JUNIOREM,

NUNC A. JOUBY, SUCCESSOREM,

Facultatis theologiæ bibliopolam,

VIA MAJORUM AUGUSTINIANORUM, 7.

MDCCC LXI.

INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ
AD USUM SEMINARIORUM.

TRACTATUS
DE PECCATIS.

Peccatum, generaliter consideratum, est quilibet defectus a lege vel a regula : in ordine naturali, monstra dicuntur peccata contra naturam : in artibus, opera defectuosa dicuntur peccata contra regulas sibi proprias ; in moralibus actus humani a regulis morum deficientes, simpliciter dicuntur peccata.

Peccatum, eo posteriori sensu acceptum, est objectum præsentis Tractatus : spectatur ut legi morali oppositum et recte definitur : *Libera transgressio legis divinæ.* Ad hanc definitionem aliæ communiores doctorum definitiones referuntur, v. g., ista S. Thomæ, 1 2, q. 71, art. 6 : *Peccatum nihil aliud est quam actus humanus malus*, id est a bono deficiens; et hæc alia celebris S. Aug. contra Faustum, l. 22, c. 27 : *Peccatum est factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra legem æternam ;* item illa S. Ambrosii, l. de Paradiso, cap. 8 : *Peccatum est prævaricatio legis divinæ, et cœlestium inobedientia præceptorum.*

Sub nomine facti, dicti et concupiti, comprehenduntur non solum actus positivi, his verbis expressi, sed etiam peccata omissionis, quia voluntaria non fit omissio sine actu voluntatis, et peccatum originale, quod quidem nec factum, nec dictum, nec concupitum est in infantibus illud habentibus, sed ita fuit in Adamo.

Omne peccatum merito dicitur legi æternæ oppositum, quia nulla lex etiam humana, vere obligans, violari potest, quin eo ipso lex æterna, ordinem servari præcipiens, offendatur ; et inde præcise malitia peccati deducitur, id est, ex oppositione cum voluntate Dei. Recte ergo definitur : *Libera transgressio legis divinæ*, vel *inobedientia legi Dei.*

Duplici modo considerari potest peccatum, in genere scilicet et in specie : unde præsentis Tractatus duplex erit pars.

PARS PRIMA.

DE PECCATO IN GENERE.

Dicemus 1° de natura peccati ; 2° de subjecto peccati ; 3° de ejus causis, et 4° de peccatorum distinctione.

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA PECCATI.

Cum ex definitione allata et ab omnibus expresse vel æquivalenter admissa, omne peccatum sit transgressio legis divinæ, sequitur illud necessario esse offensam Dei ; necessario quippe legi æternæ, seu supremæ Dei rationi adversatur : at impossibile est Deum per hujusmodi prævaricationem non offendi ; ergo. Ruit igitur systema peccati philosophici, quo scilicet ratio offenditur et non Deus, quia philosophus illud spectat tantum ut rationi adversum, non vero ut legis divinæ transgressionem ; quidquid enim in ordine morali rectæ rationi adversatur, eo ipso legis æternæ est transgressio. Ergo. Unde Alexander VII sequentem damnavit propositionem, anno 1690 : « Peccatum philosophicum seu morale est actus discon-

» veniens naturæ rationali et rectæ rationi ; theologicum » vero et mortale est transgressio libera divinæ legis. » Philosophicum, quantumvis grave, in eo qui Deum vel » ignorat vel de eo actu non cogitat, est grave peccatum, » sed non offensa Dei, neque mortale peccatum. » Vide Coll. Andeg. *des Péchés.*

Non eodem sensu accipiuntur vitium, peccatum et malitia. Vitium est habitus ad malum inclinans, malitia est qualitas alicujus actionis legi oppositæ : bonitate morali adversatur. Peccatum vero est ipsemet actus quo lex violatur.

Hic quærere solent theologi an malitia peccati formaliter sumpta sit aliquid positivum, an vero in privatione rectitudinis debitæ consistat. Subtilissime olim disputaverunt in scholis circa hanc quæstionem : multi tenuerunt malitiam peccati esse qualitatem positivam realiter existentem ; alii vero multo plures contenderunt illam esse rectitudinis debitæ privationem.

Posteriorem hanc sententiam celebriores Patres Ecclesiæ amplexi sunt, ut systema Manichæorum facilius everterent ; ideo enim malum Principium admittendum esse volebant Manichæi, quia repugnat malum morale a Principio summe bono creatum fuisse. At auctores eos impugnantes aiebant : Malum morale est mera negatio boni, sicut tenebræ sunt negatio lucis : porro tenebræ causam positivam non requirunt, sed ipso solis recessu nascuntur : ergo *a pari* malum morale nullam arguit causam creatricem, sed duntaxat voluntatem humanam a rectitudine deficientem. Vide *Billuart*, de Peccat., dissert. I, art. 3.

Cum autem hæc controversia valde sit abstrusa, eam sic breviter exposuisse satis erit ; non enim præcepit nobis Dominus requirere naturam peccati, sed docere quomodo fugiendum sit, illudque attente vitare.

CAPUT SECUNDUM.

DE SUBJECTO PECCATI.

Sola creatura rationalis peccati subjectum esse potest; peccatum enim est libera transgressio legis divinæ : porro sola creatura rationalis hujusmodi transgressionis est capax : ergo.

Non omnis creatura rationalis essentialiter est peccati capax : excipiuntur enim 1° sancti Angeli et animæ beatorum visione intuitiva in cœlo fruentes; et 2° animæ in purgatorio detentæ, quæ, extra viam positæ, amplius peccare nequeunt. Ut autem actio creaturæ rationalis sit peccatum, duæ necessario requiruntur conditiones, videlicet advertentia rationis et liber voluntatis consensus.

1° *Advertentia rationis.* Repugnat quippe aliquem peccare si humano modo non agat: porro actus humanus intelligi non potest, nisi cum aliqua saltem fiat advertentia : ergo. Necessaria est igitur vel actualis malitiæ actus cognitio, vel aliqua saltem dubitatio peccati aut periculi peccandi : si vero inadvertentia fuerit volita in se vel in causa, a peccato non excusabit. Unde impii qui huc usque pervenerunt ut atrocissima perpetrent scelera, de Deo minime cogitantes, non ideo excusantur a peccato.

2° *Liber voluntatis consensus;* probavimus enim in Tractatu *de Actibus humanis*, libertatem indifferentiæ necessariam esse, in statu naturæ lapsæ, ad merendum aut demerendum. Ergo. Unde quilibet actus coacti aut necessarii, peccaminosi esse nequeunt : contra vero quælibet transgressio legis actualiter obligantis, libere volita in se vel in causa, peccatum est mortale aut veniale. De voluntario indirecto sufficienter diximus in Tractatu *de Actibus humanis*.

Ex eo quod voluntas sit peccati subjectum, sequitur illam absque ullo actu externo peccare posse, videlicet per actus mere internos.

Inter actus voluntatis distinguuntur desiderium et delectatio morosa.

Desiderium est propositum, appetitus rei malæ; potest esse efficax vel conditionatum. Quando est *efficax*, scilicet, quando tale est propositum rei malæ, ut res mala compleretur, nisi aliquod existeret obstaculum a voluntate non pendens, certum est illud esse coram Deo peccatum ejusdem speciei ac objectum desideratum. Unde Christus, Matth. v, 28 : *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

Quando desiderium est *conditionatum*, si talis sit conditio ut malitiam actus tollat, v. g. : hodie jentarem, si jejunium non esset præscriptum; talem puellam vellem habere uxorem, si matrimonium mihi liceret, tunc peccatum non esset, quia desiderium sic formatum nihil inhonesti haberet, licet facile periculosum fieret. Contra vero, si conditio malitiam actus non tollat, v. g. : fornicarer si infernus non existeret, si confusionem coram hominibus non timerem, etc., talis conditio a peccato minime excusaret.

Delectatio morosa est complacentia voluntatis in objecto malo per imaginationem ut præsenti repræsentato, absque desiderio ad exsecutionem deveniendi. Dicitur morosa non a diuturnitate temporis, cum unum momentum sufficiat, sed a mora voluntatis cum sufficienti advertentia.

Delectatio potest esse de cognitione rei malæ, de modo quo peracta est aut perfici potest, vel de ipsa re mala ut præsenti repræsentata. In priori casu, delectatio non est de objecto malo, ac proinde non est peccatum, nisi ratione curiositatis, scandali, periculi, aliquid inordinatum contineat.

Delectatio autem de ipsa re mala est peccatum mortale aut veniale, juxta qualitatem objecti in cujus repræsen-

tatione fit delectatio, quia voluntas malitiam induit objecti, et legi Dei vere opponitur.

Plures theologi volunt delectationem specificari ex objecto in se spectato et cognito ; alii vero plures contendunt illam specificari ex objecto per imaginationem ut præsenti repræsentato. Vide quæ de morosa delectatione dicimus in *Dissertatione in sextum Decalogi præceptum.*

CAPUT TERTIUM.

DE CAUSIS PECCATI.

Ille solus proprie est causa peccati, qui illius est subjectum, cui peccatum commissum imputatur ; ea tamen causæ peccati dicuntur, quæ ad peccandum nos inducunt. Aliæ sunt interiores et aliæ exteriores.

De causis peccati interioribus.

Causæ peccati interiores sunt ignorantia, concupiscentia et malitia.

1° *Ignorantia* ex parte intellectus, quæ scilicet saltem aliquo modo est volita, a peccato non excusat, ut in Tractatu *de Actibus humanis* probavimus, et insuper potest esse causa peccati ; multa enim faciunt peccatores obcæcati, quæ, depulsa ignorantia, non facerent. Unde B. Paulus, I Cor. II, 8 : *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

2° *Concupiscentia* quæ afficit voluntatem, illamque trahit ad malum : *Concupiscentia subvertit cor tuum*, inquit Daniel, XIII, 56 : *Unusquisque tentatur, a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum ;* sunt verba B. Jacob. I, 14 et 15. Ergo. Non tamen ipsa in se spectata, quatenus ad objectum sensibile et illicitum nos inclinat, est peccatum, ut Lutherus, Calvinus, aliique non pauci hæretici asseruerunt,

dicentes hoc peccatum in renatis non imputari ob merita Christi ; nullum quippe est peccatum ubi nulla est libertas : at nulla est libertas in hujusmodi concupiscentiæ motibus quibus non assentimur : ergo. Hinc sequens damnata est propositio Baii, n. 75 : « Motus pravi con- » cupiscentiæ sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti » præcepto : *Non concupisces;* unde homo eos sentiens, » et non consentiens, transgreditur præceptum : *Non* » *concupisces,* quamvis transgressio in peccatum non im- » putetur. »

3° *Malitia.* Quandoque enim homo perversus, neque ignorantia laborans, neque pravo motu attractus, malum deliberate eligit, ut ait Job, XXXIV, 27 : *Quasi de industria recesserunt a Deo ;* vel, ut in Prov. II, 14 : *Lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis.* Tunc dicuntur ex pura malitia agere. Ergo.

De causis peccati exterioribus.

Causæ externæ peccati sunt occasiones et diabolus ; quidam hæretici assignare Deum non erubuerunt, ut dicemus.

1° *Occasiones.* Quælibet res externa inducens ad peccatum, dicitur occasio : certum est multa fieri peccata propter occasionem, quæ secus non fierent. Nomine occasionis intelliguntur etiam homines ad peccatum sollicitantes vel illud suadentes. De occasione peccandi et obligatione illam fugiendi vel tollendi fusius diximus in Tractatu *de Pœnitentia.*

2° *Diabolus.* Certum est enim diabolum homines variis modis ad peccatum excitare, et, quantum potest, trahere, ut patet historia Evæ, quam decepit, et B. Job, quem seducere conatus est : unde B. Petrus fideles admonet, dicens I Epist. V, 8 : *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret ; cui resistite fortes in fide.* Ex his verbis tamen patet diabolum non esse causam peccati efficacem, sed tantum impulsivam, alioquin Apostolus frustra hortatus

esset fideles ad resistendum fortes in fide : aliunde libertas a necessitate non existeret, ac consequenter peccatum imputari non posset.

3° Primi reformatores, liberi arbitrii existentiam tollentes, ad hanc monstruosam ducti sunt conclusionem, videlicet Deum esse causam peccati. « Sicut fatentur Papistæ, inquit *Mélanchthon* (Annot. in Epist. ad Rom., cap. 8), Dei opus fuisse Pauli vocationem, ita fatemur opera Dei propria esse Davidis adulterium, » etc. Alia pariter horrenda proferre non erubuerunt Lutherus, Calvinus, *Zuingle, Bèze,* etc.

Hanc sententiam ex principio ab eis admisso profluentem fulcire conabantur pluribus Scripturæ sacræ textibus, v. g., Exod. IX, 12 : *Induravit Dominus cor Pharaonis,* de quo dicit Apostolus, Rom. IX, 17 : *In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam;* Prov. XVI, 4: *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus ; impium quoque ad diem malum*, id est ad condemnationem ; Isai. XLV, 5 et 7 : *Ego Dominus... formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum : ego Dominus faciens omnia hæc* ; Rom. I, 28 : *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt*, etc.

Verum 1° probavimus in Tractatu *de Actibus humanis* libertatem a necessitate necessariam esse ad merendum aut demerendum. 2° In multis Scripturæ locis clare declaratur Deum non esse peccati auctorem, sed, e contra, illud valde detestari ac prohibere, v. g., Ps. V, 5 : *Non Deus volens iniquitatem tu es;* Eccli. XV, 14, 21 : *Nemini mandavit impie agere;* Rom. IX, 14 : *Numquid iniquitas apud Deum? absit;* Jacob. I, 13 : *Nemo, cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.* Textus igitur ab hæreticis allati alio sensu intelligendi sunt, ut manifeste ostendunt interpretes, scilicet, vel eo sensu quod Deus permittat peccatum, vel quod gratiam indebitam ob præcedentia peccata subtrahat, vel quod quædam in se bona aut indifferentia operetur ex quibus homo malitia sua incitetur ad peccandum ; vel quod voluntates ita dirigat, ut quædam

misericorditer impediat peccata, alia vero juste permittat, etc. 3° Concil. Trid., sess. 6, can. 6, hæc habet: « Si » quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas » malas facere, sed mala opera ita ut bona Deum operari, » non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo » ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ quam » vocatio Pauli; anathema sit. »

4° Hodierni Protestantes hanc negant absurdam impietatem : nulla igitur est ratio illam fusius refellendi. Ergo.

CAPUT QUARTUM.

DE DISTINCTIONE PECCATORUM.

Certum est non unicum esse peccatum in mundo, sed multa et varia : duplici modo igitur a se invicem distinguuntur, specifice scilicet et numerice. Dicemus 1° de distinctione specifica, 2° de distinctione numerica, et 3° de circumstantiis speciem mutantibus, aut malitiam intra ejusdem speciei limites aggravantibus. Cùm, ex dictis in Tractatu *de Pœnitentia,* detur præceptum divinum declarandi in confessione numerum peccatorum, species, circumstantias speciem mutantes, et probabilius circumstantias intra eamdem speciem notabiliter aggravantes, totum præsens caput magni est momenti.

ARTICULUS PRIMUS.

DE DISTINCTIONE SPECIFICA PECCATORUM.

Ea peccata specie differunt quæ non eamdem habent malitiam, sed diversam, ut homicidium, furtum, blasphemia, luxuria. Ut igitur distinctio specifica peccatorum cognoscatur, attendendum est utrum diversam habeant malitiam, juxta communem hominum sensum : unde hæc distinctio non desumitur, 1° ex oppositione notabiliter majori cum lege, quia talis oppositio notabiliter

major auget quidem malitiam peccati, sed eam non mutat : v. g., furtum mille aureorum longe gravius est furto unius aurei, sed diversam non habet malitiam, ac proinde ab illo specie non differt; 2° non ex distinctione præceptorum; fieri enim potest ut eadem malitia sit contra plura præcepta simul existentia, v. g., furtum quod prohibetur lege naturali, lege divina positiva, lege civili et lege ecclesiastica.

PROPOSITIO.

Distinctio specifica peccatorum repetenda est ex oppositione specie diversa cum lege.

Prob. Peccatum est transgressio libera legis : essentialiter igitur consistit in oppositione cum lege; unde toties peccata specie inter se differunt, quoties oppositio cum lege est specie diversa : porro oppositio cum lege specie est diversa, quando 1° diversæ offenduntur virtutes; 2° diversa violantur officia ejusdem virtutis; 3° eadem læditur virtus modo contrario, vel modo diverso.

1° *Quando diversæ offenduntur virtutes.* Sic hæresis, desperatio, odium Dei et superstitio sunt peccata specie distincta, quia opponuntur virtutibus fidei, spei, charitatis et religionis : sic furtum in ecclesia vel rei sacræ, adulterium, parricidium, etc., duplicem habent malitiam, quia in unaquaque hujusmodi actionum duplex offenditur virtus, ut patet.

2° *Quando diversa violantur officia ejusdem virtutis :* v. g., idololatria et superstitio specie differunt, quia diversa officia virtutis religionis violant, idololatria cultum soli Deo debitum creaturæ exhibendo, et superstitio cultum illegitimum Deo rependendo.

3° *Quando eadem virtus offenditur*, vel modo contrario, ut liberalitas per avaritiam et prodigalitatem, vel modo diverso, licet non contrario, ut justitia per furtum, detractionem et homicidium.

Hæc omnia sola expositione clara fiunt, et ab omnibus theologis admittuntur.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DISTINCTIONE NUMERICA PECCATORUM.

Peccata numero distinguuntur quando unum non est aliud, et numerari possunt, dicendo: unum, duo, tria, etc., v. g., unum furtum, duo homicidia, tria adulteria, etc.

Certum est ubi peccata specie differunt, *a fortiori* numero illa differre, v. g., homicidium et furtum non esse unum peccatum, et in unico parricidii actu duo esse peccata, seu unum peccatum duobus æquivalens.

Sola difficultas est quomodo peccata intra eamdem speciem commissa, sint numero diversa : pro qua solvenda tres statuuntur regulæ.

1° Tot sunt peccata quot sunt actus externi completi : unde qui diversis actibus plures occidit homines, tot commisit homicidia numero distincta.

2° Tot sunt peccata numero distincta in uno et eodem actu, quot sunt objecta distincta, quia ille actus, licet unicus, tot habet malitias distinctas; hinc qui uno actu decem occidit homines, decem committit homicidia; qui uno verbo de tota communitate injuste detrahit, tot committit injustitias reparandas quot sunt personæ in communitate; sacerdos in statu peccati mortalis existens, tot committit sacrilegia quot administrat sacramenta distincta.

3° Tot sunt peccata numero distincta, quot sunt actus voluntatis moraliter interrupti; ubi enim actus voluntatis moraliter interrumpuntur, fiunt numero completi, et iteratione multiplicantur. Ergo.

Actus autem voluntatis moraliter interrumpuntur, 1° per revocationem expressam, v. g. : tibi complacebas in delectatione morosa, actum displicentiæ elicis et postea ad eamdem redis delectationem, duplex est peccatum ; 2° per cessationem etiam involuntariam, v. g. : consilium

aliquid furandi iniisti, pergis ad illud explendum; sed occurrentibus objectis distractus, propositum oblivisceris : illud deinde renovas, novum admittis peccatum; 3° per longum intervallum, ita ut judicio prudentum virorum idem actus voluntatis moraliter perseverare non censeatur, neque in se, neque per actus externos virtute illius existentes, v. g. : delectationi venereæ ante somnum consensisti, et expergefactus consensum renovas, peccati numero duplicis reus es.

Unde peccata interna multo facilius multiplicantur quam externa, quia actus voluntatis nihil habent vi cujus perseverent, et tot sunt numero peccata quot iterantur actus, etiam post brevem et involuntariam cessationem. Actus vero externi longe facilius per continuationem perseverant et frequenter unicum est peccatum, quamvis plures exerceantur actiones ad eumdem finem tendentes, v. g. : ex voluntate inimicum occidendi, paras gladium, equum ascendis, iter facis, eum percutis, vulneras, et tandem occidis, unicum est peccatum homicidii, quo in confessione declarato, actus ad illud patrandum exercitati sufficienter intelliguntur, nisi exstitisset intentio in illis sistendi, vel notabile inter eos fuisset intervallum; tunc enim essent peccata distincta et declaranda.

ARTICULUS TERTIUS.

DE CIRCUMSTANTIIS PECCATI.

Notavimus in Tractatu *de Actibus humanis*, t. IV, p. 490 et 491, quid intelligendum sit per circumstantias, et ostendimus moralitatem actuum humanorum desumendam esse ex circumstantiis, sicut ex objecto et fine. Aliæ autem speciem mutant, quæ videlicet novam addunt malitiam a malitia actus principalis specie distinctam, et aliæ intra eamdem speciem augent malitiam. Si tanta sit augmentatio malitiæ, ut seorsim sumpta ad constituendum peccatum mortale sufficeret, dicitur notabilis; secus, est

levis : id ex judicio viri prudentis determinandum est, habita ratione personarum et omnium adjunctorum.

Septem communiter numerantur circumstantiæ peccatorum sequenti versu expressæ :

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

1° Circumstantia *quis* denotat personæ operantis qualitatem accidentalem, v. g., an sit Deo consecrata per voti solemnis aut simplicis emissionem, per Ordinum susceptionem; an sit soluta vel conjugata, etc.; modo speciem peccati mutat, ut si peccans contra castitatem sit sacerdos; modo malitiam intra eamdem speciem auget, ut si idem sacerdos se inebriet, vel scandalum præbeat.

2° *Quid* significat qualitatem objecti circa quod peccatur, ut si monialem, conjugatam vel consanguineam concupiscas, et species mutatur; vel quantitatem materiæ in qua peccatur, an sit magna vel parva, nociva, scandalosa, etc., et tunc aut species mutatur, aut malitia tantum augetur.

3° *Ubi* denotat circumstantiam loci in quo patratur actio. Raro hæc circumstantia auget malitiam intra eamdem speciem, nisi agatur de scandalo : ac sæpe mutat speciem, novam addendo malitiam, sacrilegii, si locus sit sacer; injustitiæ, si ratione loci honor vel fama alicujus lædatur; aut scandali, si delictum alios inducat ad peccandum.

4° *Quibus auxiliis.* Hæc circumstantia designat personas, instrumenta aut media quibus peccans utitur, v. g., si quis alium induxerit ad peccandum, et est circumstantia scandali; si rebus sacris usus fuerit, et erit sacrilegium; si media superstitiosa adhibuerit, et erit offensa contra religionis virtutem.

5° *Cur,* id est finis quem agens sibi proponit, ut si quis det eleemosynam ad seducendam puellam, et tunc mutatur species; vel uni furetur scalam ut pecuniam apud alium furetur, et duæ sunt malitiæ solo numero distinctæ, et tamen declarandæ.

6° *Quomodo.* Modus quo fit actio sæpe malitiam auget

aut minuit, si nempe fiat scienter aut ignoranter, cum pleno aut semipleno consensu, ex aliorum suasione, metu, precibus, vel ex propria determinatione, ex intentione vehementi vel remissa, etc. Aliquando tamen speciem mutat, v. g., circumstantia violentiæ in furto constituit rapinam, in fornicatione facit stuprum; modus sævitiæ in cadaveribus occisorum addit homicidio malitiam feritatis; modus peccandi ex formali contemptu, ex inobedientia, ex ingratitudine, ex odio, ex invidia, ex superbia, etc., addit peccato propriam hujusmodi vitiorum malitiam, modo tamen expressa voluntate hæc intendantur; alioquin essent duntaxat circumstantiæ generales in omni peccato plus minusve existentes.

7° *Quando* significat tempus quo fit actio : nunquam speciem mutat, nisi tempus aliqua speciali lege sit præscriptum aut prohibitum, v. g. : si quis ex voto, vel ex pœnitentia sibi injuncta, Missam singulis diebus audire teneatur, eamque die festivo omittat, circumstantiam diei festivi declarare tenebitur. Ubi vero hæc circumstantia sumitur tantum pro duratione actionis, speciem non mutat, sed malitiam notabiliter aggravat, si mora sit notabilis vel extraordinaria.

PARS SECUNDA.

DE PECCATIS IN SPECIE.

Peccata dividuntur in originale et in actuale: peccatum actuale est mortale vel veniale; commissionis vel omissionis; carnale vel spirituale; ex infirmitate vel ex malitia; contra Deum, proximum aut seipsum; cordis, oris et operis; capitale vel non capitale.

CAPUT PRIMUM.

DE PECCATO ORIGINALI.

Peccatum originale, sic dictum quia ab origine nostra seu ab Adamo primo parente nostro provenit, definitur : *Peccatum a primo parente in posteros per generationem transmissum.* Dicemus 1° de illius existentia; 2° de illius natura; 3° de ejus transmissione; 4° de ejusdem subjecto, et 5° de illius effectibus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PECCATI ORIGINALIS EXISTENTIA.

Peccati originalis existentiam negarunt Pelagius et discipuli ejus Cœlestinus et Julianus, in quarto sæculo; Albigenses in duodecimo; Anabaptistæ in decimo sexto; deinceps Sociniani et nunc innumeri increduli nostri.

PROPOSITIO.

Existit peccatum originale.

Prob. Hæc propositio est de fide; probatur Scriptura sacra, traditione et ratione.

1° *Est de fide.* In pluribus enim conciliis et a pluribus summis Pontificibus definita fuit contra Pelagianos, ut vidimus in Tractatu *de Gratia*, et concilium Trid. eam ut de fide catholica tenendam tradit, sess. 5, speciali decreto cui titulus : *De peccato originali.* Ergo 1°.

2° *Prob. Scriptura sacra.* Rom. v, 12 : *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Unde mors est pœna peccati, et iis infligitur qui peccaverunt in Adamo : porro omnibus

infligitur, parvulis sicut adultis; omnes igitur peccaverunt, et peccati Adami participes facti sunt; non autem peccaverunt per imitationem, ut volebant Pelagiani, quia parvuli non sunt imitationis capaces : ergo peccati originalis infecti nascuntur, juxta hæc verba : *in quo,* id est in Adamo, *omnes peccaverunt.* Quod, ad Eph. II, 3, sic exprimit idem Apostolus : *Eramus natura filii iræ sicut et cæteri.* Judæi enim, ut pote ex genere sancto orti, alios populos aspernabantur ut immundos : B. Paulus vero superbiam eorum obtundere volens, declarat eos sicut cæteros, natura esse filios iræ. Ergo.

His B. Apostoli verbis optime concinunt hæc alia Veteris Testamenti, Job, XIV, 4 : *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Agitur ergo de sorde a qua solus Deus mundare potest, ac proinde de peccato proprie dicto, in conceptione transmisso. Septuaginta habent : *Quis mundus erit a sorde? Nemo etiamsi unius diei sit vita ejus super terram.*

Ps. L, 7 : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (in textu hebraico habetur *in iniquitate, in peccato*) : porro ille textus de solo peccato originali intelligendus est, et revera sic eum intellexerunt Judæi et Patres Ecclesiæ, inter quos *S. Aug.,* in hunc locum : « Numquid David de adulterio natus erat, de Jesse » viro justo et conjuge ipsius? Quid est quod se dicit in » iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex » Adam? Etiam ipsum vinculum mortis cum ipsa iniqui- » tate concretum est. » Ergo 2°.

3° *Traditione.* Unanimes fuerunt Patres circa hoc dogma, a tempore Pelagianorum; ante Pelagianos autem plures citari possent, inter qnos S. Justinus, Dialogo cum Tryphone : « Nec nasci nec crucifigi ideo sustinuit » (Christus), quod his rebus indigeret, sed pro humano » genere quod ab Adamo in mortem et serpentis fraudem » inciderat. »

Tertull., l. de Testimonio animæ, cap. 3, ait hominem a Satana circumventum, præceptum Dei violasse, et addit : « Propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo

» semine infectum, suæ etiam damnationis traducem » fecit. »

S. Athan., in Psal. L, part. 2 : « Ob Adami iniquitatem, » omnes qui ex Adamo oriuntur, in iniquitatibus conci» piuntur, proavi sui damnatione collapsi. »

Patet ergo sanctos Patres ante Pelagium existentes dogma peccati originalis unanimiter admisisse : unde S. Aug. respondet Pelagio dicenti transfusionem hujus peccati confictam fuisse (de Nuptiis, l. 2, cap. 12) : « Non ego finxi » originale peccatum, quod catholica fides credidit anti» quitus; sed tu qui hoc negas, sine dubio es novus hæ» reticus. » Ergo 3°.

Qui plurima SS. Patrum ante Pelagianos existentium testimonia legere voluerit, consulat auctores qui de hac quæstione fusius disseruerunt, et in primis *Bossuet, Défense de la Tradition*, l. 8 et 9.

4° *Ratione*. 1° Semper creditum fuit in Ecclesia, et etiam apud plurimos hæreticos et schismaticos, baptismum necessarium esse ipsis parvulis ad salutem : atqui baptismus necessarius non esset parvulis ad salutem, si peccatum originale non existeret : ergo. 2° Cæremoniæ baptismi, ut exorcismi et insufflationes, supponunt parvulos spiritui immundo subjectos esse; ergo habent peccatum originale, et natura sunt filii iræ. 3° Christus semper exhibetur ut Redemptor omnium parvulorum sicut adultorum : at Redemptor parvulorum non esset, nisi peccatum originale existeret. 4° Natura hominis, multis miseriis obnoxii, admisso peccato originali facile explicatur, et absque peccato originali nulla ratione explicari potest : unde *Pascal, Pensées* : « L'homme est plus inconcevable sans ce mystère, que ce mystère n'est inconce» vable à l'homme. » Ergo, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Obj. 1°. Ezech. XVIII, 20 : *Anima quæ peccaverit ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris* : at si peccatum originale existeret, filius portaret iniquitatem patris : ergo.

R. Dist. maj. Filius non portabit iniquitatem patris, si illius non fuerit particeps, *conc.;* si illius fuerit parti-

ceps, *nego maj*. Porro omnes homines facti sunt participes peccati Adami *non proprietate actionis,* inquit S. Aug., contra Julianum, l. 6, cap. 9, n. 28, *sed contagione propaginis :* Adam enim peccando sublimes amisit prærogativas quibus gratuito fuerat cumulatus : ex hoc momento habuit naturam collapsam et vitiosam; qualem habebat, eam filiis suis tradidit. Sic omnes ab eo descendentes propter suam originem sunt vitiati, et natura filii iræ ideoque pœnis subjecti, licet reatum peccati ab Adamo commissi in anima sua non habeant impressum. Verum est ergo filium non portare iniquitatem patris, eo sensu quod sit reus coram Deo propter patrem; sed non repugnat illum aliquo sensu ob malam agendi rationem patris detrimentum pati. Nonne filii patris qui culpa sua bona et honores amisit, nascuntur pauperes, abjecti et miseri? Ita et qui ab Adamo descendunt privati sunt gratia sanctificante, animam relative ad Deum vivificante. Sunt igitur in statu mortis et miseriis hujus vitæ obnoxii.

Obj. 2°. B. Paulus, Rom. v, 19, ait : *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituentur multi :* at si peccatum Adami propagatione transmitteretur, non multi, sed omnes constituti essent peccatores : ergo non propagatione, sed imitatione peccatum Adami transmittitur.

R. Dist. textum. Peccatores constituti sunt multi, id est, omnes qui sunt multi, *conc.;* multi tanquam pars posterorum Adæ, *nego*. Etenim omnes non semper sunt multi; v. g.; si unus homo tres aut quatuor habens filios cuncta sua bona amittat, dici potest eum omnes filios suos culpa sua constituisse miseros; falso vero diceretur eum multos in communem ruinam sic duxisse. Verum cum ex Adamo descendentes sint innumeri, recte dicitur per unius inobedientiam multos constitutos fuisse peccatores, ut clarius ostendatur unius peccati efficacia, et unius gratiæ abundantia. Hunc esse sensum Apostoli patet ex verbis præcedentibus, in quibus totus est ut ostendat omnes in Christo vivificari, sicut omnes in primo parente mortui sunt. Ergo.

Inst. 1°. Non omnes vivificantur in Christo; ergo nec omnes peccaverunt in Adamo.

R. Nego conseq. Sensus enim comparationis est Christum esse principium vitæ, sicut Adam fuit principium mortis : igitur cum omnes ex Adamo descendentes peccato ejus infecti sunt, ita omnes qui in Christo renascuntur, meritis ejus vivificantur. Unde patet sensus aliorum ejusdem Apostoli verborum, v. g., I Cor. xv, 22 : *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur;* id est, Christus est principium vitæ sicut Adam est principium mortis. Ergo.

Inst. 2°. B. Paulus, Rom. v, 15, ait gratiam Jesu Christi delictum superare et *in plures* abundare : ergo delictum non omnes inficit, cum gratia *in plures* abundet.

R. 1°. In textu græco non legitur *in plures,* sed *in multos,* et tunc redit responsio nostra modo allata.

R. 2°. *Nego conseq.* Ex toto enim contextu patet Apostolum non multitudinem eorum qui gratiæ Christi participes fiunt urgere, sed copiam beneficiorum Christi per oppositionem ad delictum primi hominis : *Non sicut delictum ita et donum : si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit,* id est in multos, non unum tantum remittens peccatum, sed multa, et innumera conferens dona ad animæ sanctificationem, ad perseverantiam et gloriam æternam ordinata. Ergo.

Inst. 3°. Idem B. Paulus, ibid. v, 13, ait : *Usque ad legem peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset* : ergo peccatum de quo hic agitur, non est originale, sed actuale, siquidem ante legem Moysis non imputabatur.

R. Nego conseq. Nam Apostolus statim subjungit, v, 14 : *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ :* ergo etiam ii qui actualiter non peccaverant, sicut Adam peccaverat, peccato erant maculati; morti enim erant obnoxii : mors autem per peccatum fuit introducta, et ad eos qui in primo parente peccaverant transiit. Ergo.

Nonne evidenter constat, ex præcedentibus verbis, posteros Adæ peccati ejus participes fieri aliter quam per imitationem, ut volebat Pelagius? Ergo.

Quædam objiciuntur testimonia Patrum, v. g., 1° Tertulliani, l. de Anima, cap. 39 : « Nulla ferme nativitas » munda est, utique ethnicorum. Hinc enim et Apostolus » ex sanctificato alterutro sexu sanctos procreari ait, tam » ex seminis prærogativa, quam ex institutionis discipli» na. » 2° S. Chrysost. a S. Aug. relatus, contra Julianum, l. 1, cap. 6, n. 21 : « Hac de causa infantes bapti» zamus, cum non sint inquinati peccato, ut eis addatur » sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, » ut ejus membra sint. »

Verum 1° Tertullianus filios fidelium vocat sanctos, quia, baptismum suscepturi, sanctitati erant destinati, per oppositionem ad filios infidelium qui in partu superstitionis sorde fœdabantur, et Lucinæ Dianæque devovebantur. Cæterum, in ipsomet loco citato, peccati originalis existentiam ac baptismatis necessitatem pro parvulis agnoscit. 2° S. Chrysost. de solis peccatis actualibus loquitur, ut fuse S. Aug. ostendit, respondens Juliano illo textu abutenti et *peccato* pro *peccatis* ponenti. Aliunde S. Joannes Chrysost., sicut cæteri doctores, dogma peccati originalis aperte docet ibid. dicens : « Quando Adam » peccavit illud grande peccatum, et omne genus homi» num in commune damnavit. » Ergo.

Obj. 3°. Peccati originalis existentia cum attributis Dei conciliari non potest; repugnat enim ipsius justitiæ et bonitati omnes Adami posteros macula peccati ejus fœdari, et pro ipsius peccato puniri. Ergo.

R. Nego ant. Ex momentis enim a nobis superius expositis et ex aliis quæ afferri potuissent, constat peccati originalis existentiam revelatam fuisse; eo ipso tenendum est illam attributis Dei non repugnare.

Etenim, quidquid olim dixerunt Pelagiani, et nunc objiciunt deistæ, probat quidem dogma transmissionis peccati originalis esse mysterium rationi nostræ non clare obvium : at nulla demonstratur absurditas, nulla repug-

nantia proprie dicta. Porro fides vacillare non debet propter obscura nec propter impenetrabilia, ut jam multoties ostendimus. Ergo. *Hæc solutio ex modo dicendis clarius patebit.*

ARTICULUS SECUNDUS.

DE NATURA PECCATI ORIGINALIS.

1° Communius docent Lutherani et Calvinistæ peccati originalis essentiam nihil aliud esse quam concupiscentiam seu propensionem in nobis existentem et ad malum inclinantem.

Sed eorum sententia confutatur duabus præsertim rationibus : 1° *concilio Trident.*, sess. 5, can. 5, anathema pronuntiante contra illos qui dixerint reatum peccati originalis in baptismate non remitti, aut totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, non tolli, sed tantum radi et non imputari : at certe concupiscentia non tollitur : ergo. 2° *Scriptura sacra.* Rom. VIII, 1 : *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu*, id est, nihil est damnatione dignum : remanet tamen concupiscentia. Ergo.

2° Mathias Illyricus, lutheranus, contendit peccatum originale non esse aliquod accidens, sed ipsam animæ substantiam ex peccato Adami corruptam. Refellitur autem ipsa opinio ; 1° quia tunc Deus, qui creat animam, auctor esset peccati ; 2° quia per baptismum omne tollitur peccatum, et tamen substantia animæ non mutatur ; 3° quia impossibile est peccatum Adæ substantiam animæ nondum existentis corrupisse. Ergo.

3° Pighius, doctor in theologia, et Catharinus, religiosus ordinis Prædicatorum, docuerunt peccatum originale animæ singulorum hominum non inhærere, sed unicum esse, videlicet peccatum Adami, in omnes extrinsece dominans eosque peccatores constituens, quia ipsis imputatur. Hæc opinio subvertere videtur dogma peccati originalis, quod dicitur in omnes homines pertransiisse, omnibus transfusum, unicuique proprium, etc.

4° Plures antiquiores theologi, post Petrum Lombardum, essentiam peccati originalis reposuerunt in duplici qualitate morbida, una carnis et altera animæ: prior per generationem carnalem contrahitur, et caro sic infecta vitium suum animæ eo instanti quo sibi unitur communicat. Sed opinio ista admitti non potest, et ab omnibus rejicitur, 1° quia hæc morbida qualitas rationem formalem peccati non habet; 2° quia hic languor, hæc dolenda carnis concupiscentia de qua arguunt prædicti theologi, remanent etiam post baptismum susceptum, qui tamen, ut fides docet, peccatum originale tollit; 3° quia si hæc morbida qualitas esset quid positivum et simul peccaminosum, Deus ipse videretur auctor peccati; 4° quia minime intelligitur quomodo talis morbida qualitas a carne ad animam transiret. Ergo.

5° Nonnulli contenderunt materiale peccati originalis consistere in concupiscentia, et formale in reatu. Verum illud systema nihil explicat; reatus enim peccati est ipsummet peccatum formaliter sumptum: at ridiculum est dicere peccatum originale in eo consistere quod habet rationem peccati. S. Aug. pluribus in locis distinguit quidem reatum peccati originalis a concupiscentia, sed non ut illius peccati essentiam assignet, bene vero reatum pro ipsa culpa sumens.

6° Alii multi naturam peccati originalis sic explicant: Ab initio Adam constitutus fuerat in justitia originali, gratia sanctificante et aliis donis indebitis instructus. Hæc omnia, ex ordinatione divina, fidelitate sua sibimetipsi servare posterisque transmittere debebat, sed, peccando, et sibi et illis amisit, ipse peccati actualis reus et simul omnibus donis supradictis privatus, posteri vero in ea privatione tantum constituti, quæ dicitur peccatum originale quia a peccato oritur et quia, cum ordinationi Dei ejusque bonitatis consiliis adeo adversetur, omnes homines illius oculis odibiles facit indignosque supernaturali felicitate ipsis destinata.

Hæc etiam sententia non sufficienter exprimere videtur dogma peccati originalis ut a concilio Trid., sess. 5 tradi-

tur, ubi, inter multa, dicitur peccatum, quod mors est animæ, transmissum fuisse, unicuique esse proprium, animam per baptismum mundari, reatum peccati originalis remitti, etc. Videatur *Muzarelli*, *Diss. du péché originel*, etc.

De sanctitate primæva protoparentum in Tract. *de Gratia* egimus, ubi varios Scripturæ conciliique Tridentini textus citavimus.

Cæterum fides peccatum originale ut dogma fundamentale docet, ratio et experientia illius existentiam suadent: numquid obscuritates, quantumvis inscrutabiles, veritatem sic aperte traditam labefactare possent?

ARTICULUS TERTIUS.

DE PECCATI ORIGINALIS TRANSMISSIONE.

Supponendum est mentes humanas non fuisse creatas in origine rerum, nec esse portiones divinitatis, nec ex animabus parentum traduci, sed a Deo immediate creari, quando novum corpus humanum formatur, ut in *Metaphysica* ostendimus : quæstio est igitur quomodo anima, a Deo immediate creata, labem peccati originalis contrahat.

1° Quidam, supponentes corpus, ex Adamo per naturalem generationem descendens, esse vitiatum, dicunt animam ex natura rei inquinari eo instanti quo in illud infunditur, sicut liquor in vase vitiato corrumpitur, et sicut ipsa anima corpori vulnerato vel flammis conjuncta, statim doleret. Sed hanc hypothesim modo impugnavimus, unde rejiciendum est prorsus medium transmissionis hic indigitatum. Aliunde, quomodo substantia immaterialis per unionem cum substantia materiali ex natura rei coinquinari posset?

2° Alii docent concupiscentiam generationi naturaliter conjunctam esse, et per illam peccatum in animam transfundi. Sic Lutherus, Calvinus, Jansenius, etc. Ista autem sententia, jam quoad essentiam peccati originalis impugnata, iisdem rationibus ac præcedens refellitur.

3° Alii in omnibus Adami posteris interpretativam admittunt voluntatem, vi cujus causam suam et suas voluntates Adamo commisisse censentur, ita ut si omnes tunc exstitissent, pacto inter Deum et Adamum inito consensissent, et illud cum ipso Adamo transgressi fuissent. At consensus voluntatis nondum existentis illusorius esse videutr : minime explicatur qua ratione peccatum reale et proprie dictum in animam, e manibus Dei summe justi egredientem, statim infunditur.

4° Ex sententia exposita, art. præc. ad 6°, circa naturam peccati originalis, jam nulla esset difficultas quoad ejus transmissionem : Deus creando animas, eas donis indebitis protoparentibus concessis spoliatas relinquit, et sic statim constituuntur in statu qui per se non repugnat ipsius bonitati et justitiæ, et quem odit tantum propter perturbationem ordinationis suæ. Sicut rex a populo electus cum titulo hæreditatis, qui, pactum fundamentale transgrediens et a potestate excidens, totam dynastiam suam in ruinam communem trahit; sic Adam, caput morale totius generis humani constitutus, omnes posteros suos, quorum sors et dignitas ejus fidelitati committebantur, secum perdidit.

Hæc opinio, quæ publice docetur Romæ, nihil habet fidei catholicæ oppositum. Vid. P. *Perrone*, de Pecc. orig. propagat. Ea autem admissa, præcipuæ difficultates ab incredulis objectæ evanescunt; et ideo, data occasione, exhiberi potest. Attamen, ex dictis n. 6, non videtur concordare cum vera notione peccati originalis, ut in Scriptura et concilio Trid. exprimitur. Verum igitur et altissimum existit mysterium.

Quilibet ergo catholicus libenter dicere debet cum S. Aug. de transmissione peccati originalis disserente contra Julianum, l. 5, cap. 4 : « Magis curandum est, » sive in parvulis, sive in grandibus, quo anima sanetur » auxilio, quam quo vitiata sit merito : quæ tamen si vi- » tiata negabitur, nec sanabitur. »

Quæritur 1° quodnam peccatum Adæ causa peccati originalis fuerit.

R. Ex Gen. II, 17; et III, 6, et ex Epist. ad Rom. v, 19, fuit peccatum inobedientiæ, cui annexa erat superbia et amor inordinatus scientiæ. Ut probabilius docet *Billuart*, peccatum istud fuisse primum Adami, *quia ex hoc interrupta est innocentia primi status,* inquit S. Th. 2 2, q. 63, art. 3, ad 2.

Cætera autem primi parentis peccata ad posteros non transmissa sunt; quia, justitia originali semel amissa, primus parens ut caput morale hominum, ita a Deo constitutum respectu justitiæ originalis conservandæ aut amittendæ, jam non agebat peccando.

Quæritur 2° quid contigisset si sola Eva peccasset.

R. Peccatum originale non exstitisset, quia non erat constituta caput generis humani: unde, quamvis peccaverit et Adamum ad peccandum induxerit, non dicitur tamen peccatum per eam in mundum fuisse inductum, sed *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit; per unius delictum; per unius inobedientiam.* Ergo.

Similiter si, perseverante Adamo, unus ex posteris ejus peccasset, hujus descendentes peccatum originale non habuissent, propter eamdem rationem, quia scilicet solus Adamus caput generis constitutus, sortem ejus in se, per speciale Dei decretum, habebat.

Contra vero, si Adamus filium ante peccatum suum habuisset, ille filius et ejus posteri peccati originalis participes non fuissent; non enim ex lumbis hominis lapsi descendissent. Ergo.

ARTICULUS QUARTUS.

DE PECCATI ORIGINALIS SUBJECTO.

Tam generalia sunt testimonia quibus peccati originalis existentia astruitur, ut omnes homines, via naturali ex Adamo descendentes, illo coinquinati debeant judicari, nisi privilegio speciali ab illo fuerint exempti.

Dicimus *via naturali:* unde eximitur Christus, et alii similiter qui per miraculum formarentur.

Calvinistæ volunt peccatum originale in omnibus quidem existere, sed filiis fidelium non imputari, quia justitia parentum, per fidem apprehensa et peccata cooperiens, ipsis communicatur. Verum singulare hoc systema, nullo fundamento innixum, contrarium est 1° Scripturæ et SS. Patrum textibus ad probandam peccati originalis existentiam allatis, qui filios fidelium minime excipiunt, sed eos tradunt ut *natura filios iræ* sicut cæteros ; 2° praxi Ecclesiæ, quæ semper sollicita fuit ut filii fidelium gratia baptismatis non carerent ; 3° concilio Tridentino, sess. 5, can. 4, sic habenti : « Si quis parvulos recentes ab uteris » matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptiza- » tis parentibus orti ; aut dicit in remissionem quidem » peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere » originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse » sit expiari... anathema sit. » Ergo. Restat ergo examinandum an B. V. Maria in conceptione sua ab originali labe fuerit immunis.

§ unicus. — De immaculata Conceptione B. Mariæ Virginis.

Omnes catholici semper confessi sunt B. Virginem Mariam ante ortum fuisse sanctam. Unde nativitas ejus, sicut nativitas S. Joannis Baptistæ, festo solemni a multis sæculis celebratur : « In codice Sacramentorum Ecclesiæ » Romanæ per venerabilem cardinalem Thomasium edito, » qui creditur esse S. Leonis Magni aliorumque præde- » cessorum Pontificum, habetur Missa in Nativitate » S. Mariæ cum propriis orationibus... In libro Sacra- » mentorum S. Gregorii sunt orationes ad Matutinum, » ad Processionem et ad Missam in Nativitate B. Virginis » Mariæ. » Sunt verba Bened. XIV, de festis B. Mariæ, l. 2, cap. 9.

Referente eodem Pontifice, ibid. cap. 15, n. 17, Emmanuel Comnenus, imperator Constantinopolitanus, anno 1180 vita functus, recensens festa quæ a populo essent observanda, memorat Conceptionem Genitricis Dei. Ex aliis testimoniis in eodem loco recensitis constat illud festum jam fuisse vetus in Oriente : in Occidente vero

S. Anselmus, Cantuariensis archiepiscopus, anno 1109 obitus, revelatione a quodam ejus regionis abbate accepta permotus, quibusdam hanc festivitatem observare indulsit, juxta plures, aliis contradicentibus. Quidquid sit, certum est hoc festum in duodecimo sæculo celebratum fuisse in Anglia, ex Anglia in Normanniam, inde in Gallias et ad ecclesiam Lugdunensem transiisse tempore S. Bernardi, anno 1153 defuncti. Hoc idem festum Romæ cœptum est celebrari ab aliquibus ætate S. Bonaventuræ, qui obiit anno 1274, ut ipse testatur in Sent., l. 3, q. 1, nolens *eos nec omnino laudare, nec simpliciter approbare* : deinde mos illud celebrandi invaluit, universalis fuit, et Sixtus IV, in Constitutione anni 1483, ait : « Sane cum sancta Romana Ecclesia de intemeratæ » semperque Virginis Mariæ Conceptione publice festum » solemniter celebret, speciale ac proprium super hoc » officium ordinaverit, etc. »

At circa ipsam B. Mariæ Virginis conceptionem non ita unanimes fuerunt theologi :

1° Plerique olim inter Thomistas opinabantur sanctam Virginem peccatum originale, sicut cæteros Adæ filios, contraxisse, et ab illo in utero matris suæ speciali gratia mundatam fuisse, ut tenetur de Jeremia, ex cap. I, 5 : *Antequam exires de vulva, sanctificavi te;* et de S. Joanne Baptista, ex Luc. I, 41 et 44. Nihilominus festum Conceptionis sincero cultu celebrabant, 1° quia conceptio Virginis, ad tanta mysteria destinatæ, verum fuit beneficium mundo concessum et pignus certum redemptionis; 2° quia hæc sanctissima Virgo ex matre sterili non nisi per miraculum fuit concepta; 3° quia illud festum habere potest pro objecto conceptionem dictæ Virginis in gratia, seu illius sanctificationem in utero matris suæ.

2° Quidam, vehementi zelo erga B. Virginem Mariam inflammati, docuerunt illam in æterno Dei decreto de futura peccati originalis existentia, supposito Adami lapsu, comprehensam non fuisse, atque ideo non tantum a macula illius peccati semper mundam, sed etiam ab ipsius debito exemptam fuisse.

3° Alii vero communius semper, et a pluribus sæculis fere unanimiter docebant quidem B. Virginem, ut pote ex Adamo carnali generatione descendentem, peccato originali, sicut cæteros, subjectam fuisse, sed Deum eam sanctificasse vi redemptionis futuræ, eo instanti quo formabatur, ita ut labem peccati nunquam de facto habuerit; et licet hanc piissimam sententiam non ad fidem, ad constantissimam tamen veritatis doctrinam vindicabant. Unde *Bossuet, Sermon sur la Conception :* « En vérité, » cette opinion a je ne sais quelle force qui persuade les » âmes pieuses. Après les articles de foi, je ne vois guère » de chose plus assurée. » Ipsimet ordinis Prædicatorum patres ad communem doctrinam accesserant, siquidem a summo Pontifice Pio IX postulaverunt quod conceptio B. V. Mariæ immaculata de fide catholica declararetur.

Hanc igitur dando tam optatam definitionem, nihil novi decrevit summus Pontifex, sed quod toto corde omnes tenebant suo infallibili judicio confirmavit. Sint ergo duæ propositiones sequentes quæ ab omnibus teneri debent.

PROPOSITIO PRIMA.

B. Virgo Maria debitum peccati originalis habuit.

Probatur multiplici ratione. 1° Ex verbis B. Pauli ad Romanos, omnes ab Adamo carnali generatione descendentes in eo peccaverunt; nulla admittitur exceptio; at B. Virgo ab Adamo carnali generatione descendit : ergo. 2° Mors in omnes qui in Adamo peccaverunt pertransiit; sicque velut stipendium peccati exhibetur; atqui B. Virgo mortua est : ergo. 3° Christus est *salvator omnium hominum*, I ad Tim. IV, 10, ac proinde B. Virginis, sicut aliorum : si autem B. Virgo peccatum originale non habuerit etiam quoad debitum, quomodo redimi potuit? 4° E variis testimoniis constat SS. Patres credidisse carnem B. Virginis fuisse carnem peccati, de peccato conceptam esse, etc., v. g. : « Solus homo factus, manens Deus, pec- » catum nullum habuit unquam, nec sumpsit carnem

» peccati, quamvis de materna carne peccati; » S. Aug. de Peccatorum, etc., t. x, p. 61 : « Caro Mariæ quæ in » iniquitatibus humana fuerat solemnitate concepta, caro » fuit utique peccati; » S. Fulgentius, lib. de Incarnatione et Gratia, cap. 6, n. 13. Hæc autem aliaque similia supponunt B. Virginem peccato originali saltem quoad debitum fuisse subjectam. 5° Auctoritate definitionis infra scriptæ, quæ expressis verbis declarat beatissimam Virginem Mariam singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi, ab omni originalis culpæ labe fuisse præservatam immunem. Ergo.

PROPOSITIO SECUNDA.

B. Virgo sine labe peccati fuit concepta.

Hæc propositio est de fide, ut pote definita in decreto dogmatico a Pio IX dato 8 decemb. 1855, his verbis : « Auctoritate Domini nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra declaramus, pronuntiamus et definimus, doctrinam, quæ tenet beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suæ Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris generis humani, ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendum. »

Probatur insuper auctoritate concilii Tridentini, summorum Pontificum, Facultatis Pariensis aliarumque Facultatum, et praxi Ecclesiæ.

1° *Auctoritate concilii Tridentini*, quod sess. 5, post decretum de peccati originalis existentia, addit : « Non » esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto bea- » tam et immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitri- » cem. » *Notandum* sanctum concilium emisisse conclusionem ut declararetur positive beatam Virginem conceptam fuisse sine peccato; *sed ob instantissimas preces aliquorum theologorum sancti Dominici, ut supersederent a decreto usque ad aliud tempus, concilium supersedit.* S. Ligo-

rius, l. 7, n. 255. Jam antea doctrinam de Immaculata Conceptione B. Mariæ Virginis, tanquam « piam et con» sonam cultui ecclesiastico, fidei catholicæ, rectæ rationi » et Scripturæ, ab omnibus catholicis approbandam, te» nendam et amplectendam, » tradiderat concilium Basileense. At cum illud concilium tunc illegitime sederet, ipsius declaratio non habet vim decreti; ostendit tamen opinionem tunc vigentem.

2° *Auctoritate SS. Pontificum*, nempe Sixti IV qui, in Constitutione superius citata, vetat, sub pœna excommunicationis Romano pontifici reservatæ, ne quis asserere audeat eos qui tenent gloriosam atque immaculatam Dei Genitricem absque peccati originalis labe conceptam fuisse mortaliter peccare aut hæreticos esse. Jam idem Pontifex, altera Constitutione anni 1476, indulgentias concesserat iis qui in festo Conceptionis Missam et officium a se approbatum recitarent, vel Horis canonicis adessent. Concilium Trid. has Sixti IV Constitutiones sub pœnis in eis contentis renovavit, loco citato.

S. Pius V, anno 1570, vetuit ne quis alterutram opinionem notare auderet tanquam erroneam, aut etiam de illa in publicis concionibus disceptare, propter scandala inde provenientia; bullas tamen Sixti IV ac decretum concilii Tridentini eadem Constitutione confirmavit; imo et pro toto orbe christiano, per Missale et Breviarium ejus cura et mandato edita, festum Conceptionis B. V. Mariæ confirmavit. Idem decretum et omnes præcedentes bullas confirmavit Paulus V, anno 1616, alias addens pœnas contra eos qui parere detrectaverint. Gregorius XV, anno 1622, stricte prohibuit ne sententia immaculatæ Conceptioni adversa etiam in privatis actibus defenderetur, iis duntaxat exceptis quibus Sedes Apostolica id permisisset: permisit autem Dominicanis, dummodo privatim et inter se tantum ea de re sermonem haberent. Anno 1661, Alexander VII edidit Constitutionem, cui titulus: *Innovatio constitutionum et decretorum in favorem sententiæ affirmantis animam B. Mariæ Virginis, in sua creatione, fuisse ab originali peccato præservatam; editarum.* Clemens

XI, die 6 decembris 1708, festum Conceptionis de præcepto pro omnibus effecit, illudque capella papali Benedictus XIV in perpetuum ampliavit.

Die 7 maii 1847, plusquam ducenti et quinquaginta episcopi vel cathedralia capitula, etiam exceptis ordinum vel congregationum pluribus superioribus, a Gregorio XVI et a Pio IX obtinuerant facultatem *immaculatam* conceptionem sive in præfatione dicti festi, sive in litaniis profitendi, et ipsa Romana Ecclesia, die 8 decembris 1847, illam similiter professa est. Tandem, Pius IX, requisito antea omnium episcoporum concilio per admirabilem Encyclicam *Ubi primum*, diligentissime explorata traditione, atque omnibus summa religione perpensis, idque rogantibus et expostulantibus totius Ecclesiæ catholicæ episcopis, decreto superius allato, doctrinam de Immaculata Conceptione beatæ Mariæ Virginis ab omnibus de fide tenendam solemniter declaravit.

3° *Auctoritate Facultatis Parisiensis aliarumque Facultatum.* Tempore concilii Basileensis, celebris illa Facultas jam tuebatur opinionem immaculatæ conceptioni faventem : quoniam vero quidam doctores adversus illam disceptaverunt, etiam publice, et non sine populi scandalo, statuit, anno 1496, ut nemo deinceps sibi ascriberetur, « nisi promitteret sub juramento se pro viribus semper » defensurum sententiam, quæ benedictissimam Dei Ma» trem ab originali peccato, Dei singulari dono, fuisse » præservatam affirmat. » Aliæ Facultates theologicæ omniaque seminaria eamdem tenebant doctrinam. Ergo.

4° *Praxi Ecclesiæ.* Etenim antequam definiretur dogma de Immaculata Conceptione, ubique celebrabatur festum hujus mysterii, et multis in locis, sub titulo Immaculatæ Conceptionis; ubique exstabant sodalitates cum piis exercitiis in ipsius honorem, publicabantur indulgentiæ lucrandæ, erigebantur templa, exponebantur tabellæ, etc. Omnes tam fideles quam pastores, ita sane eos movente Spiritu sancto, mysterium hoc suo devotissimo cultu prosequebantur, persuasum habentes hanc esse mentem et votum Ecclesiæ; ita ut, interveniente dogma-

tica definitione, nulla vere facta est immutatio in praxi Ecclesiæ et fidelium.

Objiciuntur 1° S. Bernardus qui in Epist. ad canonicos Lugdunenses, queritur ipsos novam inducere celebritatem *quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.* In sermone 2 in Assumpt., n. 8, t. I, dicit *quod si originalem a parentibus maculam traxit; sed minus a Jeremia sanctificatam in utero, aut non magis a Joanne Spiritu sancto repletam credere prohibet pietas christiana.* 2° S. Th. qui 3ª part., q. 27, art. 2, ex professo docet B. Virginem in peccato originali fuisse conceptam.

Plerique recentes theologi demonstrare conantur hunc utrumque sanctum Doctorem immaculatæ conceptioni reipsa non adversari, sed frustra, ut nobis videtur. At dubitare non licet hos sanctos viros, si temporibus nostris vixissent, festum Conceptionis vidissent ubique receptum, novissentque decreta conciliorum, SS. Pontificum, novas theologorum dilucidationes et innumera testimonia ex omnium ecclesiarum traditionibus excerpta, suam mutaturos fuisse sententiam et veram suscepturos. Sanctus enim Bernardus suam Epistolam ad canonicos Lugdunenses sic concludit: « Quæ autem dixi absque præ- » judicio sane dicta sint sanius sapientis. Romanæ præ- » sertim Ecclesiæ auctoritati atque examini totum hoc, » sicut et cætera quæ ejusmodi sunt, universa reservo: » ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare. »

Circa hanc quæstionem, de qua plurima prodierunt eximia opera, utilissime legentur doctæ dissertationes card. *Lambruschini*, R. P. *Perrone*, paucis abhinc annis editæ, et recentius opus R. P. *Guéranger*, abbatis Solesmensis.

ARTICULUS QUINTUS.

DE PECCATI ORIGINALIS EFFECTIBUS.

Alii effectus peccati originalis respiciunt præsentem vitam et alii futuram.

In præsenti vita, alii spectant ad corpus et alii ad animam. Effectus hujusmodi peccati quoad corpus, sunt : 1° mors, quam Deus, prohibendo homini ne de ligno scientiæ boni et mali comederet, minatus est; 2° miseriæ hujus vitæ in numero prope infinitæ, quæ, velut cohors satellitum diaboli, vitam humanam continuo lacessunt, donec eam destruant; sunt enim appendix mortis per peccatum introductæ, et certum est, primo parente in justitia originali perseverante, hanc miseriarum catervam non exstitisse.

Effectus peccati originalis quoad animam in hac vita, sunt : 1° concupiscentia, seu illa vehemens ad malum proclivitas, cui nascimur obnoxii; 2° ignorantia qua omnes laboramus, ita ut mens nostra ne advertat quidem quid boni sit agendum, quid mali fugiendum, et sibi derelicta, in perpetuas incidat allucinationes; 3° voluntatis imbecillitas, qua fit ut bonum propositum sæpe non audeamus concipere, et sæpius a concepto tam facile recedamus. Quamvis fingi possit status naturæ puræ, in quo homines ignorantiæ, concupiscentiæ, saltem in aliquo gradu, et miseriis stricte obnoxii fuissent, nihilominus ex revelatione constat hæc omnia, in præsenti rerum ordine, peccati originalis esse consectaria : *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum : invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum*, Sap. II, 24.

Circa effectus peccati originalis, quoad vitam futuram, aliquid est certum, et aliquid dubium.

Certum est peccatum originale a regno cœlorum excludere, juxta hæc verba Joan. III, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlorum :* id fatebantur Pelagiani de ipsis parvulis sine baptismo decedentibus. Sed illis tribuebant vitam æternam extra regnum cœlorum, non explicantes in quo hæc vita æterna consisteret, an in visione Dei beatifica, an in quadam beatitudine naturali. Probabilius videtur eos beatitudinem naturalem in mente habuisse. Cæterum errabant fictitiam inducentes distinctionem inter regnum

cœlorum et vitam æternam simpliciter : in eodem enim capite Evangelii secundum Joannem, quod dicitur regnum cœlorum, vocatur etiam vita æterna, nempe ℣. 16, ubi legitur Deum dedisse Filium suum unigenitum, *ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*. Ergo.

Dubium est autem quis futurus sit status eorum qui cum solo peccato originali decedunt. De hoc in sequenti paragrapho.

§ unicus. — De statu eorum qui cum solo peccato originali decedunt.

Cum fides christiana id unum doceat, scilicet, solo etiam peccato originali maculatos a regno Dei, ac proinde a vita æterna proprie dicta exsules semper mansuros esse, sapientius fuisset nihil ultra inquirere; hinc enim sufficienter patet, 1° nos æternas Christo Salvatori nostro debere gratiarum actiones pro immenso redemptionis beneficio; 2° valde necessarium esse baptismum, etiam parvulis; 3° ex statu futuro parvulorum sine baptismate decedentium incassum argumentari incredulos contra religionis christianæ veritatem, quasi teneret dogma bonitati et justitiæ Dei adversum; cum enim vita æterna sit in ordine supernaturali, homo nullum habet jus, ex natura sua, eam consequendi, sed tantum ex beneficio Dei: porro nunquam demonstrabitur repugnare filios, ob culpam patris, a beneficio gratis præstito excidere : ergo.

Attamen theologi, de sorte parvulorum sine baptismate decedentium forte plus æquo solliciti, simul et ad hoc incredulorum difficultatibus incitati, futuram eorum conditionem assignare conati sunt, et in varias abierunt sententias, ut fieri solet in rebus obscuris.

Prima eorum est qui contendunt hujusmodi parvulos pœna ignis, sed mitissima, in æternum cruciandos esse : ita Gregorius Ariminensis, generalis Augustinorum præpositus, anno 1337 vita functus; Sylvius, Petavius, cardinalis *Noris, Lherminier,* Henricus a S. Ignatio, Theolo-

gus Lugdunensis, etc. Defensores hujus sententiæ innituntur textibus Scripturæ in quibus agitur de vivis et mortuis in duas classes tantum divisis, plurium SS. Patrum et præsertim S. Aug. testimonio, et concilio Florentino, in sessione ultima statuente (*Labbe*, t. XIII), «illo» rum animas qui in actuali mortali peccato vel solo ori» ginali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis » tamen disparibus puniendas.»

Secunda sententia docet parvulos cum solo peccato originali mortuos, quamdam habituros esse beatitudinem naturalem, in naturali Dei cognitione et amore fundatam, atque post diem judicii in quodam paradiso terrestri vitam perpetuo beatam acturos, plenos sapientia et virtutibus, sua sorte optime contentos, Deum toto corde diligentes et laudantes, Angelorum denique consortio et revelationibus sæpe fruentes. Ita Catharinus, dominicanus, qui concilio Tridentino adfuit; Albertus Pighius, et postea cardin. *Sfondrate*, in libro cui titulus : *Nodus Prædestinationis dissolutus*, anno 1696 Romæ typis mandato, quem *Bossuet*, cum quatuor aliis episcopis, Innocentio XII denuntiavit per longam communem epistolam inter sua opera exstantem.

Hæc sententia procul rejicienda est; 1° enim natura sumus filii iræ, filii diaboli, immundi, peccatores, ut ex Scriptura et SS. Patribus constat : at repugnat filios iræ, filios diaboli, immundos et peccatores beatitudine naturali in quodam paradiso terrestri, perpetuo fruituros esse. 2° S. Aug., de Anima et hujus origine, l. 1, cap. 9, n. 11, sic ait : « Non baptizatis parvulis nemo promittat inter » damnationem regnumque cœlorum quietis vel felicita» tis cujuslibet atque ubilibet quasi medium locum; hoc » enim et hæresis Pelagiana promisit. » 3° Concilium Florentinum supra relatum dicit animas eorum qui in solo originali peccato decedunt, pœnis disparibus esse puniendas : animæ autem quæ beatitudine naturali gauderent, vero sensu non punirentur : ergo. Unde Bellarminus, de Amissione Gratiæ, l. 9, cap. 2, n. 1 : «Fide » catholica tenendum est parvulos sine baptismo dece-

» dentes, absolute esse damnatos, et non sola cœlesti, sed » etiam naturali beatitudine perpetuo carituros. » Idem habet *Bossuet, Défense de la Tradition*, l. 5, c. 2, et in Epistola ad Innocentium XII.

Quia tamen Ecclesia opinionem Catharini et cardinalis *Sfondrate* nunquam expresso judicio profligavit, stricte dici non potest ejus defensores esse hæreticos.

Tertia sententia eorum est qui tenent parvulos sine baptismate morientes, nulla quidem fruituros beatitudine naturali, sed de illius amissione nullum percepturos dolorem neque internum, neque externum. Sic S. Th., quæst. 5, de Malo, art. 1, 2 et 3, et in 2 Sentent., dist. 33, atque, post ipsum, multi scholastici.

Quarta sententia tenet infantes sine baptismo decedentes, pœna sensus non esse plectendos, sed perpetuam habituros tristitiam de amissione beatitudinis ad quam in origine erant destinati. Sic Bellarminus, in libro citato, cap. 6 et 7 : plurimis nititur testimoniis S. Aug. et S. Gregorii, atque sic ratiocinatur : In die judicii infantes peccato originali maculati, multos sui generis, et fortasse parentes ac fratres aspicient in cœlum cum ingenti gloria ascendere, se vero perpetuam ab eorum glorioso consortio, cui erant destinati, exclusionem passuros : at impossibile videtur eos aliquem non percepturos dolorem de tali exclusione, nisi dicatur illos ad naturam rerum non sentiendum reducendos esse; quod certe admitti non potest : ergo.

Posterior hæc sententia communius tenetur et probabilior videtur : in ea facile explicantur decretum concilii Florentini et pleraque sanctorum Patrum testimonia, damnandos atque puniendos esse istiusmodi infantes pronuntiantia.

CAPUT SECUNDUM.

DE PECCATO MORTALI ET VENIALI.

Peccatum mortale illud dicitur quod gratiam sanctificantem destruendo, mortem animæ affert, et pœna æterna hominem reddit dignum. Per peccatum autem veniale illud intelligitur quod gratiam sanctificantem non destruit, sed tantum ejus operationem minuit et ad peccatum mortale disponit.

Quæritur in hoc capite 1° an peccatum mortale et peccatum veniale essentialiter differant; 2° quibus signis unum ab altero secerni possit; 3° an et quomodo peccatum ex genere suo mortale fieri possit veniale, et veniale mortale; 4° quinam sint effectus peccati mortalis, et 5° quinam effectus peccati venialis.

ARTICULUS PRIMUS.

AN PECCATUM MORTALE ET PECCATUM VENIALE ESSENTIALITER DIFFERANT.

A nemine negatur dari peccata ex natura sua mortalia; verum Wiclefus, Lutherus, *Mélanchthon* et Calvinus docuerunt omnia peccata ex natura sua esse mortalia atque damnationem mereri, sed misericordia Dei non imputari prædestinatis, sicque, licet gravissima, fieri venialia, dum levissima in reprobis manent mortalia. Eumdem errorem docuit Baius.

PROPOSITIO.

Dantur peccata ex natura sua venialia.

Prob. Scriptura sacra, conciliis, auctoritate summorum Pontificum, SS. Patribus et ratione.

1° *Scriptura sacra.* In pluribus enim Scripturæ sacræ locis, v. g., Matth. XXIII, 24; Luc. VI, 41; I Cor. III, 12, quædam peccata comparantur rebus levissimis, nempe culici, festucæ, feno, stipulæ, dum alia rebus gravissimis comparantur : at talis comparatio falsa esset, si omnia peccata ex natura sua forent mortalia; quod enim mortem animæ infert, valde improprie minutum dici potest.

Epist. B. Jacob. III, 2, legitur : *In multis offendimus omnes*; I Joan. I, 8 : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est;* Prov. XXIV, 16 : *Septies enim cadet justus et resurget.* Hos quippe textus, præsertim duos priores, communissime intelligunt Scripturæ interpretes de minimis et quotidianis peccatis, ac proinde de venialibus. Ergo 1°.

2° *Conciliis.* Concilium Milevitanum, cui S. Aug. adfuit, can. 7, definit sanctos recte dicere : *Dimitte nobis debita nostra*, quia sanctus et justus erat Apostolus Jacobus cum dicebat : *In multis offendimus omnes.* Concilium Trid. in pluribus locis, v. g., sess. 6, cap. 11, et can. 23, sess. 14, cap. 5, supponit existere peccata ex natura sua venialia. Ergo 2°.

3° *Auctoritate summorum Pontificum,* nempe S. Pii V et Gregorii XIII, qui sequentem Baii propositionem, n. 25, damnaverunt : «Nullum est peccatum natura sua veniale, » sed omne peccatum meretur pœnam æternam. »

4° *Ex SS. Patribus*, qui clarissime peccata venialia agnoscunt, v. g., S. Aug., de Perfectione justitiæ hominis, cap. 9, n. 20 : « Ingredi autem sine macula non absurde » etiam ille dicitur, non qui jam perfectus est, sed qui » ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens » criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia » non negligens mundare eleemosynis. »

5° *Ratione.* Inter amicos enim non omnes offensæ amicitiam ex natura sua dissolvunt; aliæ quippe sunt graves, et aliæ leves : ergo similiter inter Deum et hominem justum. Ergo 5°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Dices 1° : *Qui solverit unum de mandatis istis minimis et*

docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum, id est nullus, Matth. v, 19. Ergo.

R. Nego conseq. Nam 1° per minima mandata, non intelligenda sunt ea quæ minima sunt in se, sed in sensu Pharisæorum; 2° non dicitur tantum *qui solverit unum,* etc., sed *et docuerit sic homines :* porro sic docere parvi pendenda esse minima mandata, grave est peccatum. Ergo.

Dices 2° : *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium,* Apoc. xxi, 27 : ergo peccata etiam minima a regno cœlorum excludunt.

R. Nego conseq. Dicitur quidem, in textu objecto, neminem cum hujusmodi peccato cœlos ingressurum esse : inde legitime concluditur peccatis venialibus inquinatos, priusquam cœlum ingrediantur, purgandos esse, ut docet Ecclesia catholica, non vero a regno cœlorum excludendos. Ergo.

Dices 3° : Peccatum veniale infinitam offendit majestatem, sicut peccatum mortale : ergo similiter ex se infinitam meretur pœnam.

R. Dist. ant. Infinitam offendit majestatem, sed non eodem modo, *conc.;* eodem modo, *nego ant.* Per peccatum enim mortale homo finem suum ultimum in creatura ponit, id est Deum contemnit, ei graviter præcipienti obedire recusando et creaturam ei anteponendo; venialiter autem peccando, finem non invertit, sed tantum circa media ad finem perveniendi errat et delinquit. Ergo.

Unde differentia peccati venialis a peccato mortali non repetenda est 1° ex parte solius subjecti, ut somniarunt hæretici, dicentes leviora peccata in reprobandis esse mortalia, et maxima in prædestinatis esse venialia; 2° non ex parte voluntatis divinæ, unum peccatum ad pœnam mortis pro nutu imputantis, et aliud non ita : 3° non ex eo quod unum sit contra præceptum et aliud contra consilium, siquidem actus contra consilium nullatenus est peccatum; 4° non ex eo quod mortale sit contra legem, et veniale præter legem : quodlibet enim peccatum est transgressio legis sive in re magna, sive in re parva.

In hoc ergo sita est differentia prædicta, videlicet, quod mortaliter peccans ad Deum pro creatura deserat, et venialiter peccans Deum nihilominus sincere tendat; sed non omnibus mediis requisitis. Sic S. Th. 1 2, q. 72, art. 5, et post ipsum communiter scholastici.

ARTICULUS SECUNDUS.

QUIBUS SIGNIS PECCATUM MORTALE A PECCATO VENIALI SECERNI POSSIT.

Quamvis peccatum mortale immensa distantia a veniali differat, valde tamen sæpe difficile est unum ab altero secernere. « Quis iste sit modus, et quæ sint ipsa » peccata quæ ita impediunt perventionem ad regnum » Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis impetrent » indulgentiam, difficillimum est invenire, periculosissi- » mum definire, » inquit S. Aug., de Civitate Dei, l. 21, cap. 27, n. 5; et in Enchir. de Fide, cap. 78, ait : « Quæ » sint autem levia, quæ gravia peccata, non humano, sed » divino pensanda sunt judicio. »

Quædam tamen a theologis assignari solent regulæ quibus mortalia a venialibus secernantur peccata, nimirum:

Toties peccatum est mortale, quoties ex Scriptura sacra, ex Ecclesiæ vel summorum Pontificum decretis, ex communi doctorum consensu vel ex ratione gravem judicatur habere deformitatem.

1° *Ex Scriptura sacra,* videlicet si peccatum dicatur exsecrandum, abominabile, Deo odibile, morte dignum, a regno cœlorum excludere, etc.; hæ enim aliæque similes expressiones valde gravem significant deformitatem, ac proinde mortalem. Sic B. Paulus, Gal. v, 19, de operibus carnis, *quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria,* ait : *Prædico vobis, sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

2° *Ex decretis Ecclesiæ vel summorum Pontificum,* si nempe peccatum declaretur mortale, aut gravibus afficiatur pœnis : talia sunt simonia, confidentia, confessionis annualis aut communionis paschalis omissio, etc.

3° *Ex communi doctorum consensu*, a quo recedere temerarium esset; unde minister ad id specialiter consecratus sacramentum in statu peccati mortalis administrans aut conficiens, mortaliter peccare judicatur : sic et qui, absque causa sufficienti, omittit auditionem Missæ in die dominica, jejunium, abstinentiam, Horæ canonicæ recitationem, etc.

4° *Ex ratione*, si nempe ratio gravem ostendat deformitatem in aliqua actione, sive contra Deum, ut in peccatis fidei, spei, charitati aut religioni oppositis; sive contra proximum, ut in furto, in detractione, in contumelia, in læsione corporis, etc.; sive contra seipsum, ut in actibus luxuriæ, intemperantiæ, gulæ, etc.

Notandum 1° quartam regulam a tertia parum recedere; ratio quippe *individualis*, sibi relicta, raro secernere potest, absque errandi periculo, peccatum mortale a peccato veniali, saltem quoad principium generale; in quibusdam tamen discrimen illud per lumen menti impressum et dictamen conscientiæ attingere posse non diffitemur.

Notandum 2° non prima fronte judicandum esse peccatum aliquod esse mortale aut veniale, sed caute examinandos casus difficiles, antequam pronuntietur, quia sæpe difficile est invenire et periculosum definire quæ sint peccata venialia et quæ mortalia, ut sapienter notat S. Aug. supra citatus : « Ergo certe, usque ad hoc tempus, ad » eorum indaginem pervenire non potui, et fortassis » propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia pec- » cata cavenda pigrescat. »

Ad Scripturam sacram et traditionem maxime attendendum est : nam, ut ait S. Aug. in Enchir., cap. 79, « sunt quædam quæ levissima putarentur, nisi in Scrip- » turis demonstrarentur graviora. Quis enim dicentem » fratri suo, *fatue*, reum gehennæ putaret, nisi Veritas » diceret ! »

ARTICULUS TERTIUS.

AN ET QUOMODO PECCATUM EX GENERE SUO MORTALE FIERI POSSIT VENIALE, ET VENIALE MORTALE.

Illud peccatum dicitur ex genere suo mortale, quod in sua specie sistendo et absque nova malitia, est mortale, v. g., furtum, quod, licet ratione levitatis materiæ veniale fieri possit, tamen sine accessione novæ malitiæ, mortale esse potest : peccatum cujus objectum semper est grave, ut hæresis, perjurium, homicidium, etc., dicitur ex toto genere suo mortale. Peccatum vero ex genere suo veniale, illud est quod, sine additione novæ malitiæ, nunquam est mortale, v. g., verbum otiosum, mendacium jocosum, vana curiositas, superfluitas in risu, in lætitia, in tristitia, etc.

His positis, sequentes statuendæ sunt regulæ :

I[a]. Peccatum ex genere suo mortale fieri potest veniale defectu advertentiæ : actus enim non potest esse humanus et imputabilis, nisi fiat cum advertentia intellectus : si transgressio legis, in materia gravi, ex plena fiat advertentia, totaliter imputatur et peccatum est mortale; si vero ex semiplena advertentia fiat, actus dicitur imperfectus et peccatum est duntaxat veniale : tales sunt actus qui fiunt a semidormientibus, a semiebriis, ab infantibus plenum rationis usum nondum habentibus.

Non necesse est autem ut advertentia sit explicita; sæpe sufficit implicita vel etiam inadvertentia vincibilis, ut patet ex dictis in Tractatu *de Actibus humanis,* ubi de voluntario indirecto.

II[a]. Peccatum ex genere suo mortale fieri potest veniale per accidens defectu consensus, si nempe consensus fuerit tantum semiplenus; cum enim sola voluntas sit peccati sedes, usque adeo peccatum voluntarium est malum, » ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, » inquit S. Aug., de Vera Relig., cap. 14; ubi consensus est tantum semiplenus, peccatum, licet in materia

gravi et cum perfecta advertentia, est solummodo veniale.

Signa imperfecti consensus sunt : 1° conscientia timorata a peccato mortali abhorrens, vel animus firmus mortaliter non peccandi, cum dubitatione de consensu ; qui enim talem animum vel conscientiam habet, et dubitat an consenserit, prudenter judicare potest se perfecte non consensisse, alioquin memoriam sui consensus haberet, quia voluntas non ita facile mutatur, et ex communiter contingentibus judicandum est : unde, e contra, qui consuetudinem habet tale committendi peccatum mortale, et dubitat an consenserit, præsumere debet se plenum dedisse consensum; 2° facilitas rem externam faciendi, a qua tamen, non pudore aut timore humano, vel alia simili ratione, sed ratione metus judiciorum Dei abstinuit : incredibile est quippe aliquem, in tali circumstantia, ab actione cui plene consensisset, abstinuisse.

III[a]. Peccatum ex genere suo mortale, fieri potest veniale per accidens, defectu materiæ, ubi videlicet objectum peccati levitatem materiæ patitur, v. g., in furto, in detractione, in contumelia.

Actus vero ex genere suo venialis, vel indifferens, peccatum mortale fieri potest, 1° ex errore conscientiæ, si nimirum agens putat se mortaliter peccare; 2° ex malo affectu, si quis videlicet rem venialiter malam aut indifferentem perficiens, paratus sit eam facere, etiamsi mortaliter mala esset; 3° si finem mortaliter malum sibi proponat, v. g., si officiose, ad seducendam puellam, mentiatur; 4° si grave damnum temporale aut spirituale, quod prævidit aut prævidere potuit et debuit, proximo inferat, v. g., si instrumentum parvi pretii auferendo vel destruendo, in causa sit cur artifex opus notabile perficere nequeat, aut blasphemias evomat; 5° si ipse rem venialiter malam agens, grave incurrat periculum mortaliter peccandi, puta, si ex aspectu mulieris, vel ex colloquio familiari cum illa, inducendus sit in turpia, quia, ut ait Scriptura, Eccli. III, 27, *qui amat periculum, in illo peribit;* 6° si præceptum in materia levi vel etiam si

consilium Evangelicum formaliter contemnat, quia hujusmodi contemptus in ipsum legislatorem, ac proinde in Deum, a quo omnis potestas ordinata est, redundat et graviter ipsi injuriosus est. Item contemptus consilii Evangelici tanquam vani aut inutilis Christum graviter inhonorat. Ergo. *Sic communissime theologi.*

Diximus *si formaliter contemnat*, id est, cum advertentia et ex directa intentione, per oppositionem ad contemptum materialem qui in omni peccato gravi reperitur, ut ascetici magistri et concionatores sacri affirmare solent.

Quæritur an plura venialia peccata unum mortale facere possint.

R. 1°. Peccata venialia ut venialia coadunata mortale efficere non possunt; cum enim, ex dictis, peccatum mortale et peccatum veniale essentialiter inter se differant, venialia quantumvis multiplicata, nunquam unum mortale efficient, v. g., mille mendacia pure jocosa vel officiosa, mille sunt peccata venialia, et unum mortale non efficiunt. *Est sententia communissima.*

Sapienter tamen plurimi observant eum qui omnia venialia occurrentia committere paratus esset, solaque mortalia vitare sibi proponeret, etiam absque formali contemptu, mortaliter peccare, quia talis animi dispositio manifestum involvit mortaliter peccandi periculum.

R. 2°. Si materiæ vel effectus peccatorum venialium in unum coalescere possint, ita ut fiat objectum grave relative ad idem præceptum, peccatum fit mortale, non multiplicatione actuum venialium, sed quia ultimus actus grave habet objectum : v. g., qui eadem die dominica pluries per quadrantem absque causa sufficienti laborat, singulis vicibus venialiter peccat; sed ultima vice, si tempus notabile ad constituendum peccatum mortale sufficiens compleat, mortaliter peccat : contra vero, qui singulis diebus dominicis per breve tempus laborat, vel singulis diebus Quadragesimæ aliquid modicum ante refectionem sumit, venialiter tantum peccat, quia materiæ hujusmodi transgressionum in unum objectum contra eamdem obligationem non coalescunt. Item qui res

parvi momenti apud diversas personas, absque intentione ditescendi, furatur, venialiter tantum peccat; si apud eamdem personam, mortaliter peccabit, ubi, cum debita advertentia et sufficienti unione, materiam gravem complebit, quia tunc grave efficiunt objectum eidem obligationi adversum.

ARTICULUS QUARTUS.

DE EFFECTIBUS PECCATI MORTALIS.

Quatuor communiter assignantur effectus peccati, nempe macula in anima, offensio Dei, reatus pœnæ et ipsa pœna, de quibus in tribus dicemus paragraphis.

§ I. — De macula peccati in anima.

Peccatum considerari potest ut actuale, et ut habituale : ut actuale, est ipsamet transgressio legis, seu actus transgrediendi legem; ut vero habituale, est id quo homo, qui legem transgressus est, constituitur peccator et remanet Deo odiosus. Id autem vocatur macula peccati in anima existens.

PROPOSITIO.

Ex peccato mortali sequitur macula in anima existens donec per gratiam diluatur.

Prob. In multis Scripturæ locis peccata exhibentur ut sordes, maculæ, inquinamenta, et peccatores ut maculati, sordidi, inquinati, immundi; qui vero justificati sunt, dicuntur a peccato abluti, mundati, purgati, sine macula, v. gr., Josue, XXII, 17 : *An parum vobis est quod peccastis in Beelphegor, et usque in præsentem diem macula hujus sceleris in nobis permanet?* Jerem. II, 22 : *Si laveris te nitro et multiplicaveris tibi herbam Borith, maculata es iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus;* Ezech. XXXVI, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*; II Cor. VII, 1 :

Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus ; I Joan. I, 7 : *Et sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato,* etc.

Unde Patres concilii Trid., sess. 5, aiunt, can. 2, hominem fieri *inquinatum per inobedientiæ peccatum*; can. 4, parvulos baptizari, *ut in eis regeneratione mundetur quod generatione contraxerunt ;* et can. 5, addunt baptizatos esse innocentes, immaculatos, puros et innoxios. Ergo.

De natura hujusmodi spiritualis maculæ subtilissime disserunt theologi, et in varias abeunt sententias, a quibus referendis, ut pote nullius utilitatis, abstinendum esse ducimus : scire sufficiat eam esse horrendam, animam coram Deo deformare, ejus aversionem, odium et vindictam excitare. « Le péché dans le cœur de l'homme, » dit *Bossuet,* est une humeur pestilente qui le dévore, » et une tache infâme qui le défigure... A l'égard de » Dieu, il fait un cri terrible à ses oreilles toujours at- » tentives, et il est un spectacle d'horreur à ses yeux » toujours ouverts. » (*T.* XII, *p.* 254 *et* 255.)

§ II. — De peccato quatenus est offensa Dei, ubi de ejus infinitate.

Offensa Dei est injusta supremæ dignitatis violatio, et petitur an talis offensa habeat malitiam infinitam.

Dupliciter malitia peccati dici potest infinita, videlicet ratione sui et ratione objecti. Certum est eam esse infinitam ratione objecti, id est Dei, qui sub omni respectu est infinitus. Verum controvertitur inter theologos an malitia peccati, in se sumpta, sit infinita. Multi affirmant, sequentibus præsertim innixi rationibus : 1° offensa alicujus personæ est quædam illius depressio : gravitas autem hujus depressionis juxta dignitatem personæ crescit, ut evidens est : porro dignitas Dei est infinita : ergo. 2° Pœna proportionari debet culpæ : at pœna peccati est infinita ratione durationis : ergo culpa debet esse infinita. Ergo.

Alii vero multi negant, dicentes : 1° Illud non est simpliciter infinitum quo majus excogitari potest; atqui

nunquam tanta est malitia peccati, ut major excogitari non possit, sicut amor Dei tantus esse non potest, ut major fieri nequeat : ergo. 2° Essentia malitiæ peccati consistit in oppositione ad bonum spirituale quod destruit : porro bonum spirituale, quatenus homini communicatur, non est infinitum, siquidem repugnat hominem valde finitum aliquid simpliciter infinitum in se possidere : ergo malitia peccati non nisi objective, seu ratione objecti offensi, infinita dici potest.

Longe probabilior nobis videtur hæc sententia : imo prior, si bene intelligatur, ad eam in ultima analysi reducitur.

Hinc 1° dantur peccata majora, et alia minora licet objectum offensum semper idem sit et infinitæ dignitatis. Illorum inæqualitas desumitur 1° ex objectis ; peccata enim in Deum, v. g., blasphemia, graviora sunt, cæteris paribus, quam peccata in homines, puta contumelia ; 2° ex fine ; quo enim pejor est finis quem agens sibi proponit, eo majus est peccatum ; 3° ex circumstantiis, quæ peccatum augere vel minuere possunt, vel novam ei addere malitiam.

Hinc 2° omnia peccata non sunt inter se necessario connexa : multa namque inter se nullam habent affinitatem, ut furtum et fornicatio, homicidium et ebrietas ; imo quædam sunt opposita et sese excludunt, v. g., avaritia et prodigalitas, gula et excessiva abstinentia, etc. Unde si B. Jacobus dixerit, II, 10 : *Qui offendit in uno, factus est omnium reus*, id eo sensu intelligendum est, quod homo per unum peccatum grave a Deo avertatur et æternam damnationem incurrat, perinde ac si omnia legis præcepta violasset, licet eadem severitate puniri non debeat.

§ III. — De reatu pœnæ et ipsa pœna peccati.

Reatus pœnæ est obligatio subeundi pœnam proprio peccato debitam : est igitur quid medium inter peccatum et pœnam, habens pœnam pro termino et peccatum pro

radice. Dicitur *proprio peccato debitam,* quia pœna ob alienum peccatum perpessa, reatum pœnæ non supponeret : sic Christus pœnam peccati sustulit et tamen reatum peccati non habuit.

Talem per peccatum contrahi pœnæ reatum negari non potest; sic enim ait Christus, Matth. v, 22 : *Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis ;* idem in aliis locis Scripturæ dicitur aut supponitur, et concilium Trid. expresse *reatum pœnæ æternæ* nominat, sess. 6, can. 30.

Pœna autem est malum naturæ aut voluntati contrarium, eique illatum ut culpa puniatur.

1° Dicitur *malum,* respectu illius qui patitur; respectu vero illius qui punit, non est malum, sed bonum, cum sit actus justitiæ vindicativæ.

2° Dicitur *naturæ aut voluntati contrarium ;* fieri potest ut malum sit contrarium naturæ et non voluntati, ut in jejuniis et macerationibus; et aliquando simul naturæ et voluntati, ut in pœnis quas inviti patimur.

Dicitur *illatum ut culpa puniatur ;* non vero ob alium finem, quia tunc proprie non esset pœna.

Pœna autem peccati duplex est : una quæ solvitur in præsenti vita, ut varia morborum genera, bella, etc., et alia post præsentem vitam solvenda in inferno vel in purgatorio.

De pœnis hujus vitæ hic nihil dicemus : certum est, ex multis Scripturæ locis, Deum frequenter in hac vita gravissime punire peccata, sed non semper nec æqualiter; de purgatorio ad calcem Tractatus *de Pœnitentia* breviter disseruimus. Agendum est igitur de sola pœna inferni, quæ est duplex, pœna damni et pœna sensus. Pœna damni est privatio visionis Dei, et pœna sensus consistit in tormentis corpus et animam cruciantibus. Petitur 1° an infernus existat; 2° an homo cum uno peccato mortali decedens damnandus sit ad infernum; 3° an pœna inferni futura sit æterna; 4° an in inferno existat ignis materialis, et 5° ubi sit infernus. His quæsitis, per sequentes responsiones pro posse nostro breviter satisfaciemus.

1° De fide est existere infernum, seu locum tormentorum in quo puniuntur damnati : cum horrenda hæc veritas creditu sit difficilis, nulla clarius expressa fuit in Scriptura, v. g., Matth. XXII, 13 : *Tunc dixit rex ministris : Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores ; ibi erit fletus et stridor dentium.* Ibid. XXV, 30 et 41 ; Luc. XVI, 22 et seq. Idem clarissime docet universalis traditio, ut omnibus apertum est. Ergo.

2° Pariter de fide est hominem cum unico peccato mortali decedentem, damnandum esse ad infernum ; quicumque enim vel unico peccato mortali maculatur, vestem nuptialem non habet, simpliciter est peccator coram Deo : ergo ab illo reprobandus est, ac proinde in tenebras exteriores projiciendus, in ignem æternum mittendus.

3° De fide est pœnas damnatorum futuras esse æternas ; apud Isai. enim, LXXXVI, 24, legitur : *Vermis eorum* (qui prævaricati sunt) *non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* : hæc eadem verba referuntur apud Marcum, IX, 43.

Apud Matth. XXV, 46, hæc habentur : *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Vita beata justorum nunquam desitura est : ergo nec supplicium damnatorum. Quod sic exprimit S. Aug., de Civitate Dei, l. 21, cap. 23 : « Par pari relata sunt ; hinc supplicium » æternum, inde vita æterna. Dicere autem in hoc uno » eodemque sensu, vita æterna sine fine erit, supplicium » æternum finem habebit, multum absurdum est. Unde, » quia vita æterna sanctorum sine fine erit, supplicium » quoque æternum quibus erit, finem procul dubio non » habebit. »

Ab aliis multis testimoniis Scripturæ sacræ et Patrum abstinemus ; quia in admittendo hoc dogmate unanimis semper fuit doctrina catholicorum contra Origenistas, qui in quinto et sexto sæculo contendebant pœnas dæmonum et damnatorum aliquando finem habituras esse.

Non negamus voces *in æternum* quandoque sumi in Scripturis pro longa duratione finem tamen habitura, ut in hoc textu Gen. XVII, 13 : *Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum ;* sed eorum sensus limita-

tus determinatur, vel ex contextu, vel ex aliis Scripturæ locis, vel ex nonnullis circumstantiis : v. g., ex variis Scripturæ textibus constabat, ut in Tractatu *de vera Religione* probavimus, novum fœdus legi per Moysen promulgatæ substituendum esse : Judæi ergo ignorare non poterant pactum circumcisionis in carne aliquando abrogandum fore. Contra vero, nihil ostendit voces *in æternum*, suppliciis reproborum applicatas, longam tantum durationem significare : imo multa demonstrant eas perpetuitatem proprie dictam exprimere, v. g., hæc verba : *Vermis eorum non morietur ; ignis eorum non exstinguetur; fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum*, Apoc. XIV, 11; felicitas beatorum cum pœnis damnatorum comparata, ut diximus; tandem constans et perpetua traditio. Ergo.

Objectiones ex justitia, bonitate et sapientia Dei petitas refellimus in *Philosophia morali*, agendo de legis naturalis sanctione.

4° Ignis quo reprobi torquentur in inferno est materialis, non vero tantum metaphoricus; simpliciter enim dicitur ignis pluribus in locis Scripturæ sacræ : Scriptura autem sensu obvio et naturali semper accipienda est, nisi aliquid secuturum sit absurdi, et sic ostendatur eam accipiendam esse sensu metaphorico. Porro non repugnat ignem inferni materialem esse; Deus enim animas a corpore separatas tam facile igni corporeo torquere potest, quam mediantibus proprii corporis partibus, sicut facit in præsenti vita : ergo. Unde S. Aug., de Civitate Dei, l. 21, cap. 10, fuse ac clare ostendit spiritus incorporeos pœna corporalis ignis affligi posse, Deo sic volente; postea addit : « At vero gehenna illa, quod etiam stagnum ignis et » sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, et cruciabit » corpora damnatorum, aut et hominum et dæmonum, » solida hominum, aeria dæmonum; aut tantum hominum corpora cum spiritibus, dæmones autem spiritus » sine corporibus, hærentes sumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus. Unus quippe » utrisque ignis erit, sicut Veritas dixit. »

Attamen propositio ista non est de fide catholica, quia expresse non fuit definita; sed communiter ut certissimum tenent catholici, contra Calvinum et incredulos nostros, ignem inferni esse corporeum, ejusdem substantiæ cum igne nostro, in nonnullis tamen accidentibus differentem, v. g., eo esse acriorem, interiora penetrantem et non consumentem, non lucentem, sed obscurum, fomentis liquorum alteriusve materiæ non indigentem, sed in seipso subsistentem sicut globos ardentes in firmamento lucentes.

5° Communiter docetur infernum esse subterraneum, idque supponere videntur plurima Scripturæ sacræ verba ipsaque vox *infernus* : sic eum fingebant ipsi poetæ ethnici, veteri et universali traditioni populorum in hoc conformes.

Quæritur 1° an reipsa sint vermes in inferno, juxta verba Isaiæ et S. Marci superius relata.

R. Affirmat S. Basilius, in Ps. XXXIII, dicens non solum vermes proprie dictos, sed et varios serpentes exstituros esse in inferno, corpora damnatorum indesinenter ac inexplicabiliter corrodentes, nec consumentes.

At S. Th., Suppl. q. 97, art. 2, negat aliquod remansurum esse corpus animale, post diem judicii, « nisi » corpus hominis tantum, eo quod non habeat aliquem » ordinem ad incorruptionem, nec post illud tempus sit » futura generatio et corruptio. Unde vermis qui in dam» natis ponitur non debet intelligi esse corporalis, sed » spiritualis, id est conscientiæ remorsus. » *Hæc sententia longe communior videtur.*

Quæritur 2° quid sentiendum sit de tenebris, fletu et stridore dentium.

R. 1°. Locus inferni erit tenebrosus, et tamen ex dispositione divina aliquid erit luminis ad videndum, sub quadam umbrositate, ea quæ animam torquere possunt: « Et ad hoc satisfacit, inquit S. Th., ibid., art. 4, natu» ralis situs loci, quia in terræ medio, ubi infernus po» nitur, non potest esse ignis, nisi fæculentus et turbi» dus, et quasi fumosus. »

Eo sensu verificabuntur verba Scripturæ : *Mittite eum in tenebras exteriores*, Matth. xxii, 13. *Missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*, Apoc. xx, 9 et 10.

R. 2°. In fletu naturali duo inveniuntur, nempe lacrymarum resolutio et quædam capitis ac oculorum turbatio : in inferno non erit lacrymarum resolutio, quia corpora nulli tunc obnoxia erunt alterationi : igitur sub hoc respectu fletus non erit corporalis. Verum quoad capitis oculorumque commotionem et turbationem, fletus erit corporalis, post carnis resurrectionem; corpora enim damnatorum ab exteriori et interiori valde affligentur, et nihil obstabit quominus fletu continuo, ululatu et dentium stridore dolores suos acerbissimos exprimant, et ita se invicem horrende excrucient : verba igitur Christi, *ibi erit fletus et stridor dentium*, sensu naturali accipienda sunt.

Quæritur 3° an pœna damnatorum futura sit æqualis in omnibus.

R. Duplex erit pœna damnatorum, *ut jam notavimus*, pœna damni et pœna sensus : utraque erit inæqualis et uniuscujusque peccatis proportionata. 1° Pœna damni; sicut enim visio beatifica innumeros habet gradus respectu sanctorum, ita et privatio illius visionis respectu damnatorum : quo majora erunt alicujus peccata, eo major erit indignatio Dei eum a conspectu suo projicientis, eoque major sic in æternum projecti afflictio. 2° Pœna sensus erit pariter inæqualis, juxta hæc verba Apoc. xviii, 7 : *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum;* et juxta hæc alia pluries repetita, Matth. xvi, 27; Rom. ii, 6 : *Reddet unicuique secundum opera ejus.*

Imo diversa infligentur pœnarum genera pro diversitate et numero peccatorum : id expresse docet S. Th. Suppl. q. 97, art. 1. Et forte idem ignis, tanquam justitiæ Dei instrumentum, habebit virtutem varios varie cruciandi, v. g., excitandi sitim in ebriosis, famem in gulosis, agitationem in pigris, alios calore, alios frigore torquendi,

vel a vehementissimo calore ad vehementissimum frigus, sine ullo refrigerio, pertransire faciendi, adeo « ut sicut » omnis creatura erit beatis materia gaudii, ita damnatis » ex omnibus creaturis tormentum accrescat, secundum » illud Sap. v, 21 : *Pugnavit cum illo orbis terrarum con-* » *tra insensatos.* » S. Th.

S. Chrysost. et communiter doctores tenent pœnam damni incomparabiliter majorem futuram esse pro damnatis quam pœnam sensus, licet hæc posterior futura sit acerbissima, horrenda et omni conceptu superior, quia majori et altiori opponitur bono.

ARTICULUS QUINTUS.

DE EFFECTIBUS PECCATI VENIALIS.

1° Peccatum veniale quamdam producere videtur maculam in anima : nam 1° textus Scripturæ superius allati ad probandum maculæ peccati mortalis existentiam, sunt generales et de omni peccato intelligi debent; 2° qui peccati venialis remissionem obtinuerunt, dicuntur mundati, puri, immaculati, etc. Ergo.

2° Peccatum veniale suum etiam habet reatum pœnæ, id est, quicumque peccatum veniale admisit, pœnam ei proportionatam subire debet, in hac vita vel in futura, nisi veniam a misericordia Dei obtineat.

3° Hæc pœna per se non est æterna; cum enim peccatum veniale a Deo non separet, pœna pro eo debita temporalis esse debet, ut Ecclesia semper docuit, quamvis ignoremus ejus naturam et durationem, et modum quo peccatum istud in altera vita remittitur.

Diximus *pœnam peccato veniali debitam per se non fore æternam,* ut abstraheremus a sententia multorum theologorum qui arbitrantur eam in reprobis nunquam esse desituram; quia reprobi ob peccata mortalia quibus detinentur, cujuscumque veniæ sunt incapaces, etiam pro culpis levioribus a se admissis.

4° Peccata venialia sæpe repetita disponunt hominem

ad mortaliter peccandum, ut constat 1° ex Scriptura sacra dicente, Eccli. XIX, 1 : *Qui spernit modica, paulatim decidet ;* et Luc. XVI, 10 : *Qui in modico iniquus est, et in majori iniquus erit* ; 2° ex sanctis Patribus et consensu omnium theologorum, affirmantium peccata venialia sedulo cavenda esse, ne labamur in mortalia ; 3° ex ratione : facile enim intelligimus peccata venialia multiplicata fervorem charitatis, timorem Dei et horrorem peccati minuere, leves transgressiones sæpe iteratas ad graviores præsertim in eadem specie disponere, ut constanti experientia confirmatur. Ergo.

Hinc patet quam periculose levia negligantur peccata, maxime ab iis qui ad majorem tenentur perfectionem, ut sunt : 1° sacerdotes Missam arido corde celebrantes, sine præparatione, sine gratiarum actione, sanctissima religionis mysteria præcipitanter et indecore tractantes; 2° clerici in sacris divinum officium sine attentione et devotione recitantes, otio, ludis, sensualitati indulgentes, de Deo sæpe loquentes et parum cogitantes ; 3° juvenes clericatum ambientes, et in negligentia, torpore, perpetua levitate viventes, etc.

CAPUT TERTIUM.

DE PECCATIS COMMISSIONIS ET OMISSIONIS.

Peccatum *commissionis* est transgressio præcepti negativi, et fit id quod prohibetur agendo, v. g., furando, occidendo, etc.; et peccatum *omissionis* est trangressio præcepti positivi, fitque omittendo quod præcipitur, v. g., eleemosynam, Missæ auditionem, etc.

Certum est omnia peccata in peccata commissionis et omissionis adæquate dividi : « Duobus modis enim constat esse peccatum, si aut fiunt illa quæ prohibentur, » aut illa non fiant quæ jubentur, » ait recte Cœlestius apud S. Aug., lib. de Perfectione justitiæ, cap. 5.

Negari igitur non potest dari peccata omissionis sicut et commissionis. Inter ea hæc datur differentia, quod scilicet omissio non semper sit illicita, sed tantum si locum habeat tempore quo urget præceptum affirmativum, dum commissio mali nunquam licita est : præceptum quippe affirmativum obligat semper, sed non pro semper; præceptum vero negativum obligat semper et pro semper.

1° Nulla omissio est imputabilis ad peccatum sine actu voluntatis; imputabilis enim esse non potest sine aliquo libertatis exercitio : porro nullum fieri potest libertatis exercitium sine actu voluntatis : ergo.

2° Actus bonus vel indifferens, qui est causa culpabilis omissionis, malitiam ipsius omissionis contrahit, et aliam non habet : unde in confessione sufficit omissionem declarare, v. g., si quis Sacrum die dominica ad studendum omiserit, sufficit quod dicat se Missam sine ratione sufficienti omisisse. Si vero causa propriam haberet malitiam, v. g., si quis Missam ad furandum omisisset, utramque malitiam aperire teneretur, ut patet.

Actus in se bonus, qui non nisi concomitanter ad peccatum omissionis fit, non ex eo vitiatur.

3° Qui scienter ponit causam omissionis, eo instanti ipsius malitiam coram Deo contrahit, etsi omissio reipsa non sequatur, eamque confiteri tenetur; sed peccatum externum non consummatur, et pœnæ, si quæ sint, non incurruntur, nisi tempore quo fit omissio, ut in Tractatu *de Actibus humanis*, t. IV, p. 455, ostendimus.

Qui ex justitia aliquem corrigere tenetur, et correptionem culpabiliter omittit, tot facit peccata, si ea præviderit, quot faciet non correptus, quia mali effectus malitiam suam communicant causæ. Qui, e contra, ad correptionem ex sola charitate teneretur, eam omittendo, unum duntaxat admitteret peccatum contra charitatem, eo gravius quo plura faceret non correptus. De peccatis autem alienis specialius agemus in Tractatu *de Justitia*, ubi de perversis mandatis, consiliis et exemplis dicemus.

Notandum 1° peccatum commissionis et peccatum omissionis specie differre, etiam quando eidem præcepto oppo-

nuntur, quia diverso modo ei adversantur, ut odium Dei et omissio actus amoris : igitur qui Deum odisset, peccatum suum non sufficienter declararet, dicendo se contra charitatem divinam peccasse.

Notandum 2° peccatum commissionis, cæteris paribus, gravius esse peccato omissionis, quia gravius est malum objectum amplecti quam bono non adhærere, v. g., Deum odisse, quam actum charitatis non elicere; hominem in puteum projicere, quam illum alterius malitia projectum non retrahere; actio enim ex se denotat firmiorem animi determinationem majoremque a bono aversionem.

CAPUT QUARTUM.

DE PECCATIS CARNALIBUS ET SPIRITUALIBUS EX INFIRMITATE ET EX MALITIA, CONTRA DEUM, PROXIMUM ET SEIPSUM, CORDIS, ORIS ET OPERIS.

1° Ea peccata dicuntur *carnalia*, quæ delectationem carnalem habent pro objecto, ut gula et luxuria; et ea quæ spiritualem habent pro objecto, vocantur *spiritualia*, ut sunt superbia, invidia. Sic dividi posse peccata supponit Apostolus, dicens, II Cor. VII, 1 : *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus.* Si autem in Epistola ad Galatas, cap. V, odium, invidiam et alia peccata quæ non consummantur in carne, inter opera carnis recenseat, id intelligendum est de operibus ab homine carnali factis, quo sensu ipsa peccata spiritualia, opera carnis dici possunt.

2° Peccatum quod fit ex passione antecedente, non volita in se, nec in causa, dicitur *ex infirmitate*, quia passiones sunt velut animæ ægritudines : peccatum vero quod fit ex plena libertate, absque ignorantia intellectus et passione voluntatis, dicitur *ex malitia*. Est omnium

in genere suo gravissimum, quia nulla ratione excusari potest, dum peccata ex ignorantia et passione antecedente provenientia, in ratione liberi minuuntur, ut alibi diximus.

Peccata ex prava consuetudine, quam quis emendare non curat, commissa, peccatis malitiæ æquivalent : « Manifestum est quod quicumque peccat ex habitu pec- » cat ex certa malitia, » inquit S. Thom., 1 2, q. 78, art. 2. Consuetudo enim minime retractata deliberationem antecedentem nullo modo excludit : tota igitur imputabilis est ac consequenter peccata ex illa nascentia non excusantur nec minuuntur. Unde qui talem habent consuetudinem peccandi, eam quamprimum efficaciter retractare sub mortali tenentur.

3° Omnia peccata sunt contra Deum, contra proximum, vel contra nosmetipsos, prout adversantur virtutibus quæ specialiter habent pro objecto Deum, proximum vel nosmetipsos : verum nulla est obligatio declarandi in confessione an sint contra Deum, proximum aut nosmetipsos, quia, specie declarata, eorum objectum statim intelligitur.

4° Alia sunt peccata *cordis* quæ exterius non prodeunt, v. g., perversæ cogitationes, de quibus sufficienter diximus in *Supplemento ad Tractatum de Matrimonio*, agendo de delectatione morosa; alia dicuntur *oris*, quia solo sermone consummantur, ut detractio, contumelia, mendacium ; alia sunt *operis*, quia in solo opere externo perficiuntur, ut furtum, homicidium. Hæc peccata sæpe inchoantur cogitatione, incrementum accipiunt sermone et consummantur opere ; tunc ejusdem sunt speciei ; at diversos habent gradus in confessione declarandos, ubi actus sunt distincti, si nempe aliquis sisterit in cogitatione, vel in sermone, etc.

Notandum peccata cordis seu mere interna multo facilius multiplicari quam peccata externa.

CAPUT QUINTUM.

DE PECCATIS CAPITALIBUS.

Quod est inferiorum principium et directivum dicitur caput, ducta metaphora a capite animalis totum animal dirigente. Eo sensu quædam peccata dicuntur capitalia, quia aliorum sunt causa, fons, principium, non vero quia sunt omnium maxima nec quia sunt semper mortalia. Illorum divisio et numerus non fundantur in Scriptura, nec in ulla conciliorum definitione : S. Greg. Magnus, lib. 31 Moral., cap. 15, primus septem hæc vitia exhibuit ut capitalia, eaque *exercitum diaboli* vocat, cui superbia velut regina imperat. Post eum S. Th., 1 2, q. 84, art. 4, et unanimiter theologi septem agnoscunt capitalia peccata, quæ sunt : superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira et acedia. De iis singulatim et breviter dicemus, excepta luxuria, de qua in speciali dissertatione tractamus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SUPERBIA.

Superbia est, juxta S. Thom. 2 2, q. 162, *inordinatus appetitus propriæ excellentiæ*. Nomine *appetitus* intelligitur amor, desiderium et cômplacentia.

Signa et characteres hujus appetitus sunt : 1° seipsum supra realitatem æstimare ; 2° bona ad propriam excellentiam spectantia, ut virtutem, scientiam, fortitudinem, etc., ad Deum et ejus gloriam saltem ultimate non referre ; 3° ab aliis velle æstimari, honorari, laudari, et si non faciant, tristari, dolere, irasci ; 4° proprio judicio pertinaciter adhærere ; 5° alios aspernari, aliena parvi pendere, se suaque pluris æstimare ; 6° putare se habere bona quæ non sunt, aut majora quam sunt ; 7° propriam excellentiam in eo ponere ubi non est ; 8° credere se sua

bona a Deo non accepisse, aut propriis viribus obtinuisse, quod tamen ad superbiam non necesse est; sed satis est quod, consideratis bonis sine respectu ad Deum, in iis sibi placeat et perinde se gerat ac si illa a Deo non haberet; tale fuisse peccatum Angelorum in cœlo plurimi docent; 9° nolle superioribus suis se submittere, quasi sit indignum vel indecorum; nullius consiliis aut præceptis parere, sed proprio arbitratu vivere, etc.

Certum est superbiam ex genere suo esse peccatum mortale; nam 1° Prov. VIII, 13, Deus dicit: *Arrogantiam et superbiam detestor*, et B. Paulus, Rom. 1, 30, ponit superbos et elatos inter eos qui digni sunt morte; 2° superbia honori, majestati et excellentiæ Dei adversatur : ergo objectum ejus ex natura sua grave est; 3° est radix omnis peccati, ut expresse legitur Eccli. x, 15 : *Initium omnis peccati est superbia; qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem*. Ergo.

Sæpe tamen est peccatum veniale, etiam ratione objecti, si nempe sit imperfecta, v. g., si quis, absque Dei aliorumve contemptu, superioribus subjici non renuens, se omnia Deo debere confitens, tantum plus æquo se extollat, vel in propria excellentia nimis sibi complaceat; finem suum ultimum in Deo nihilominus semper reponens.

At quis Luciferum superbia devictum et cum eo innumeros spiritus perfectos, atque primum hominum parentem cum universo genere humano similiter superbia prostratum serio considerans, non paveat et contremiscat?

Filiæ hujus vitii sunt : præsumptio, quæ est inordinata cupiditas aliquid facultatem nostram excedens faciendi; ambitio seu inordinata cupiditas honoris, dignitatis vel potentiæ; et vana gloria, quæ est inordinata cupiditas humanæ æstimationis et laudis : ad eam, juxta S. Gregorium et S. Th. 2 2, q. 132, art. 5, septem alia referuntur peccata, nimirum inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia et inventio novitatum.

Remedia superbiæ ejusque filiarum sunt præcipue,

1° humilitatem frequenter et enixe a Deo petere; 2° suum nihilum, suam effrenatam in malum propensionem, suas innumeras miserias, tum corporis, tum animæ, ante oculos semper habere; 3° supremam Dei excellentiam et infinitam ejus bonitatem erga nos continuo recordari, hæc B. Pauli verba, I Cor. IV, 7, nobis applicando : *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 4° pœnas superbiæ et humilitatis præmia sæpe meditari : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam,* I Petr. V, 5; *Qui se exaltaverit, humiliabitur, et qui se humiliaverit, exaltabitur,* Matth. XXIII, 12; 5° exempla Christi, qui semetipsum exinanivit, frequenter sibi repræsentare; 6° actus internos et externos humilitatis crebro exercere, etc.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE AVARITIA.

Avaritia est amor inordinatus divitiarum; quo nomine intelliguntur res quælibet sensibiles, pecunia æstimabiles, ut agri, domus, pecora, vestes, panni, etc. Est peccatum ex genere suo mortale, ut constat 1° ex Eccli. X, 9 : *Avaro nihil est scelestius... nihil est iniquius quam amare pecuniam; hic enim et animam suam venalem habet;* et 2° ex B. Paulo, Ephes. V, 5 : *Avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei.* Ergo.

Peccatum est mortale quando quis, ad acquirendas, augendas aut conservandas divitias, adhibet media graviter illicita, aut paratus est mortaliter peccare, aut reipsa mortaliter peccat, v. g., bonum alienum accipiendo vel detinendo, mala fide in contractibus utendo, eleemosynam omittendo ubi eam dare tenetur, etc. Si quis vero divitias superflue quidem amet, sed propter eas aliquid grave facere nolit contra Deum aut proximum, venialiter tantum peccat, ut docet S. Th. 2 2, q. 118, art. 4, et communiter alii.

Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ

mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, I Tim. VI, 9. His verbis clare exprimitur quomodo avaritia sit peccatum capitale.

Filiæ ejus sunt : 1° obduratio cordis super egenorum miseria, eis non compatiendo, non opitulando, eos objurgando, credita dure exigendo, debita tarde solvendo, præceptum eleemosynæ negligendo, etc. ; 2° inquietudo cordis divitiis acquirendis et conservandis semper implicati, cum inani timore eas non acquirendi vel amittendi ; 3° violentia qua res alienæ injuste usurpantur ; 4° fallacia sive dolus ad alios dictis aut factis decipiendos, et fraus, quæ est astuta proximi deceptio per sola facta ; 5° perfidia, qua fides in promissis, pactis et rebus creditis violatur ; 6° proditio, quæ est injusta rei alicujus manifestatio contra fidem promissam, in alterius detrimentum, etc.

Præcipua contra avaritiam remedia sunt : oratio, meditatio bonorum cœlestium, vanitatis bonorum terrestrium, paupertatis Christi, mortis ejusque consectariorum, etc., crebra eleemosynarum largitio facultatibus nostris proportionata, miserorum visitatio, in jactura bonorum resignatio, etc.

ARTICULUS TERTIUS.

DE INVIDIA.

Invidia est animi tristitia de bono proximi, quatenus ab eo videmur æquari aut superari; quia scilicet æstimamus propriam excellentiam nostram inde minui. Procedit ex superbia, et ex genere suo peccatum est mortale; B. Paulus enim, Gal. V, 21, eam inter peccata quæ a consecutione regni cœlorum excludunt reponit, et in libro Sap. II, 24, legitur : *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum : imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.*

Filiæ hujus vitii, juxta S. Greg. et S. Th. 2 2, q. 36, art. 4, sunt : odium, susurratio, detractio, exsultatio in adversis proximi, et in ejus prosperis afflictio. Susurratio

est sermo quo, sine justa causa, aliquid refertur uni personæ aptum ad amicitiam ejus cum alia persona dissolvendum : cum autem vera amicitia maximum sit bonum, juxta hæc Eccli. vi, 14, verba : *Amicus fidelis, protectio fortis ; qui invenit illum, invenit thesaurum*, susurratio est gravissimum peccatum. Unde 1° Eccli. xxi, 31 : *Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur ;* et 2° B. Paulus, Rom. i, 29, inter eos qui digni sunt morte numerat, *plenos invidia, malignitate, susurrones, detractores.... sine affectione*, etc.

Remedia invidiæ sunt : 1° considerare quod illa nihil proficiat invidenti, sed e contra illi graviter noceat, illum amicitia Dei privando ; 2° gaudere de bono proximi, quatenus est proximus, quia illum sicut nosmetipsos diligere debemus ; 3° ei de bono habito gratulari, illum laudare ; pro illo orare ; 4° gloriam humanam despicere ac contemnere, secundum B. Apostoli consilium, Gal. v, 26 : *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.*

Notandum invidiam differre 1° ab æmulatione, quæ est tristitia de bono proximi, non quia proximus illud habet, sed quia nobis deest : unde si illud legitime habere possimus, illud æmulando non peccamus ; si vero illud legitime habere non possimus, aut illius incapaces simus, æmulatio est peccatum mortale aut veniale, juxta gravitatem inordinationis ; 2° ab indignatione, quæ est tristitia de bono proximi, quatenus proximus illo judicatur indignus : fieri potest ut quis justissime indignetur, v. g., de collatione officii magni momenti homini evidenter indigno : sedulo tamen cavendum est a judicio temerario, et ab ipsa invidia ; 3° ab odio, quod est tristitia de bono proximi sine respectu ad imminutionem boni nostri, ex sola proximi displicentia proveniens.

Tristitia de alterius elevatione ob injustum nocumentum ab eo timendum, non est invidia, sed legitimus timor.

ARTICULUS QUARTUS.

DE GULA.

Gula est inordinatus cibi aut potus appetitus : unde dupliciter hoc peccatum committi potest, nimirum per excessum in cibo aut in potu non inebriativo, et dicitur crapula, et per excessum in potu inebriativo, et dicitur ebrietas.

De crapula.

Crapula ex genere suo est peccatum mortale, siquidem B. Paulus eum inter peccata a regno cœlorum excludentia collocat, Gal. v, 21, nominans *comessationes*, et gravem habere potest deformitatem, si nempe 1° quis paratus sit mortaliter peccare ad oblectationibus cibi vel potus fruendum, et tunc in eis finem ultimum ponit, juxta hæc Apostoli verba, Philipp. III, 19 : *Quorum Deus venter est ;* 2° si ita dispositus sit ut nihil aliud quærat quam edendi et bibendi voluptatem; 3° si per cibi vel potus excessum valetudini suæ graviter noceat; 4° si ob voluptatem edendi vel bibendi usque ad vomitum scienter se ingurgitet, quia, etiam seclusis scandalo et ebrietate, hoc gravem continet inordinationem; 5° si voluntarie ad vomitum se excitet, ut iterum propter voluptatem edat : sicut de Vitellio refertur : hoc quippe naturam rationalem valde dedecet; 6° si absque necessitate, carne humana aut sanguine vescatur; ad hoc enim tanquam a re valde inordinata et extremæ feritatis semper abhorruerunt omnes gentes non penitus barbaræ; 7° si grave præbeat scandalum, puta si religiosus vel clericus commessationibus in loco publico nimis indulgeat.

Extra hos casus, peccatum gulæ est solum veniale, ut docent S. Thomas 2 2, q. 148, art. 2, et generaliter theologi.

Peccatum gulæ, sive mortale, sive veniale, quinque modis sequenti versu expressis committi potest :

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Qui congruum comestionis tempus prævenit, v. g., die jejunii, *præpropere* peccat; qui cibos pro statu suo nimis delicatos requirit, peccat *laute ;* qui mensuram moderatæ refectionis excedit, peccat *nimis*; qui avide sumit cibos etiam viles, peccat *ardenter* ; tandem qui vult cibos nimis accurate et sapide præparatos, relative ad suam conditionem, peccat *studiose*.

Quinque illi modi satisfaciendi gulæ enumerantur a S. Gregorio, lib. 30 Moral., cap. 18.

Naturali sapore cibi et potus frui non est per se peccatum ; infirmitas enim humana non tantum cibo et potu, sed et ipso sapore indiget, ut refectionem suam sumere valeat. Verum edere aut bibere propter saporis voluptatem, peccatum est veniale, ut communissime docent theologi. Unde Innocentius XI sequentem damnavit propositionem : « Comedere et bibere usque ad saturitatem, » ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non ob- » sit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis » actibus frui. »

Notandum quamdam esse decentiam statui proportionatam in delectu et copia ciborum, sicut in supellectili et vestibus, quam modeste et pura intentione servare non est peccatum.

De ebrietate.

Ebrietas est excessus in potu usque ad violentam rationis privationem : igitur malitia ejus in eo præcise sita est, quod homo sciens et volens, directe vel indirecte, cum tali excessu bibat ut usu rationis careat.

Ebrietas perfecta et voluntaria, semper est peccatum mortale : constat : 1° ex Scriptura, I Cor. VI, 10 : *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt*; Gal. V, 21, *ebrietates* numerantur inter opera carnis, quæ a consecutione regni Dei impediunt : 2° ex SS. Patribus et Ecclesiæ doctoribus, qui unanimi ore pronuntiant ebrietatem esse malam in se et peccatum mortale; 3° ex ratione; nonne gravis est difformitas naturæ rationali repugnans, se ita ad bruto-

rum stoliditatem abjicere, et imaginem Dei in se sic voluntarie deturpare? Ergo. Unde ebrietas est intrinsece mala, ac proinde se inebriare non licet etiam ad servandam vitam.

Signa autem perfectæ ebrietatis sunt : 1° si quis inter licitum et illicitum jam non discernat ; 2° si solita officia exercere nequeat ; 3° si postridie non meminit quid dixerit aut fecerit, quomodo domum redierit, etc. ; 4° si ea fecerit quæ nunquam integra mente facere consuevit, v. g., si absurda dixerit, si turpia protulerit, si familiam turbaverit, uxorem verberaverit, etc., dum hæc nunquam faciebat.

Perfectæ autem ebrietatis *non sunt signa certa,* inquit S. Ligorius, *hæsitatio linguæ, titubatio pedum, nec objecta videre duplicia aut titubantia.*

Qui alios excitant ad bibendum, vel, absque causa excusante, potum se inebriaturis præstant, inebrietatis eorum fiunt participes.

Ebrietas imperfecta sæpe est mortalis ratione scandali, periculi alteriusve circumstantiæ ei annexæ; secus est duntaxat venialis.

Filiæ gulæ, juxta S. Greg., sunt : inepta lætitia, scurrilitas, immunditia corporis, multiloquium et hebetudo mentis.

Qui ad serviendum gulæ per crapulam aut ebrietatem, inclinantur, sequentia Christi verba sæpe meminerint : *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa.* Luc. XXI, 34.

ARTICULUS QUINTUS.

DE IRA.

Ira, quæ etiam dicitur iracundia, est inordinatus vindictæ appetitus.

Dicimus *inordinatus,* quia fieri potest ut vindicta ordinate appetatur, et tunc ira non est peccatum : unde Psalmista dicit, Ps. IV, 5 : *Irascimini, et nolite peccare.*

Duplici modo autem vindicta inordinate appeti potest, nempe 1° si optetur ei qui eam non meruit, vel ultra quod meruit, et tunc ira ex genere suo est peccatum mortale; idcirco B. Paulus, Gal. v, 20, eam inter peccata a regno Dei excludentia numerat. Sæpe tamen est venialis ob defectum advertentiæ sufficientis, vel ob levitatem materiæ. 2° Si quis justam vindictam appetendo, nimis ardenter irascatur interius, si minis exterius manifestet signa iræ; in eo casu ira rationem peccati venialis per se non excedit. Sic S. Th. 2 2, q. 158, art. 3. Potest tamen esse mortalis ratione scandali, blasphemiæ, injuriæ, maledicti, convicii, etc.

Filiæ iræ, a S. Gregorio numeratæ, sunt : indignatio, tumor mentis, contumeliæ, rixæ, clamor et blasphemia, quarum ordo a S. Th. sic consideratur, art. 7 : « Ira in » quantum est in mente, gignit indignationem et tumo- » rem mentis; in quantum est in ore, producit clamorem, » contumeliam et blasphemiam; in quantum transit ad » facta, generat rixas, ad quas referuntur pugnæ et omnia » nocumenta quæ ex ira proximo inferuntur. »

Ejus remedia præcipua sunt : 1° considerare quam sit injusta et perniciosa; 2° orare, et mansuetudinem Christi meditari; 3° nihil agere aut loqui in motu iræ, sed exspectare donec quiescat; 4° motus iræ impedire, aut nascentes statim reprimere, et frequentes actus mansuetudinis, patientiæ ac humilitatis exercere.

ARTICULUS SEXTUS.

DE ACEDIA.

Acedia generatim est torpor circa spiritualia, et sic spectata non est peccatum speciale, sed potius circumstantia cujuslibet peccati; siquidem omne vitium est torpor circa bonum spirituale sibi oppositum.

Acedia specialiter sumpta, prout est peccatum capitale, est tristitia seu tædium de bono spirituali ad nos pertinente, ut sunt gratia Dei, sacramenta, observantia divinorum præceptorum, virtutes christianæ, etc.

Differt ab odio Dei, quo bonum prout est in Deo aversatur, et ab invidia quæ est tristitia de bono prout est in proximo; acedia enim respicit bonum spirituale prout est vel esse potest in nobis.

Est de genere suo peccatum mortale, juxta S. Th. 2 2, q. 35, art. 3, et omnes alios doctores, quando versatur circa necessaria ad salutem, vel circa ea quæ graviter sunt præcepta : secus, est solum peccatum veniale, plus minusve notabile, juxta gradum tædii et periculi ulterius progrediendi, dummodo necessaria aut præcepta non omittantur. Ut filiæ acediæ numerari solent mentis evagatio, torpor, rancor, pusillanimitas, malitia et desperatio.

1° Evagatio mentis in exercitio spirituali graviter præcepto, v. g., in recitatione officii divini, et perfecte voluntaria in se vel in causa, est peccatum mortale, si in parte notabili perseveret : in oratione non præcepta, est duntaxat peccatum veniale.

2° Torpor est languor animi quo bonum omittitur aut fit negligenter; in iis quæ graviter præcipiuntur est mortalis : *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter*, et in Septuaginta interpretibus, *negligenter;* Jerem. XLVIII, 10: semper valde periculosus est et ad mortale disponit.

3° Rancor est fastidium et quædam indignatio adversus eos qui nos excitant ad virtutem ; indicium est animæ in servitio Dei saltem graviter periclitantis.

4° Pusillanimitas est propriarum virium diffidentia, qua quis opera ardua et sua officia refugit aut negligit, sicut servus piger Evangelii, qui acceptam domini pecuniam, in terram abscondit. Matth. XXV, 18.

5° Malitia in eo consistit, quod quis, ob difficultates in servitio Dei superandas, bona spiritualia odit, vellet ea non esse, beneficium Dei contemnit, v. g., optaret se bestiis esse similem, etc. Nullum est dubium quin sit mortalis ubi est plene voluntaria.

6° Desperatio, qua quis de consecutione felicitatis æternæ desperans, omne salutis studium postponit, peccatum est mortale.

Hinc patet quam periculosa et in negotio salutis timenda sit acedia : omnem devotionem exsiccat, vires extenuat, zizania vitiorum spargit, mentis stuporem et obscuritatem inducit, eamque ita hebetat et corrumpit, ut solidorum virtutis officiorum fiat incapax : semper igitur meminerimus hæc Apostoli verba, Rom. XII, 11 : *Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes;* metu judiciorum Dei et intuitu ejus præmiorum semper nos excitemus ad officia nostra accurate et jugiter implenda.

FINIS TRACTATUS DE PECCATIS.

TRACTATUS
DE DECALOGO.

Decalogus, a duobus verbis græcis, δεκα, *decem,* et λογος, *verbum* seu *sermo,* veniens, definiri potest : *Lex naturalis et divina, in decem præcepta distributa, digito Dei in tabulis inscripta, et per manus Moysis populo Judaico data.*

Dicitur 1° *Lex naturalis,* id est, in natura hominis fundata, in corde ejus a Deo creante aliquo modo insculpta et ei manifestata, præcipiens quod in se bonum et vetans quod in se malum est.

Dicitur 2° *divina :* quia Deus hanc legem a se in homine inscriptam eique primitus manifestatam, sed oblitam vel deturpatam, iterum positive revelavit et observari jussit. Nam, ut ait S. Aug., Enarr. in Ps. LVII, « ne sibi homi» nes aliquid defuisse quererentur, scriptum est in tabu» lis quod in cordibus non legebant : non enim scriptum » non habebant, sed legere nolebant. »

Dicitur 3° *in decem præcepta distributa;* teste enim Moyse, Exod. XXXIV, 28, *scripsit* (Deus) *in tabulis verba fœderis decem,* quæ in Exod. XX referuntur : præcipua sunt capita in quibus omnia legis naturalis officia plus minusve proxime continentur.

Dicitur 4° *digito Dei in tabulis inscripta;* Deus enim legem suam alta voce promulgaverat in monte Sinai, inter fulgura, tonitrua, nubem densissimam, fumum ascendentem et sonitus buccinæ, universo populo audiente et perterrito : *Eratque omnis mons terribilis,* Exod. XIX, 18 : *Scripsit autem Moyses universos sermones Domini... assumensque volumen fœderis legis, audiente populo, qui dixerunt : Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, et erimus obedientes,* Exod. XXIV, 4 et 7. Moyses iterum vocatus in montem, multa accepit a Deo mandata circa arcam, tabernaculum, vestes sacerdotales, etc., et completis hu-

juscemodi sermonibus in monte Sinai, dedit ei Dominus *duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei,* ibid. xxxi, 18. Descendens de monte et videns populum in adoratione vituli aurei occupatum, iratus valde, *projecit de manu tabulas et confregit eas ad radicem montis;* ibid. xxxii, 19. Iterum, dicente Domino : *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, et scribam super eas verba quæ habuerunt tabulæ quas fregisti... Excidit ergo duas tabulas lapideas quales antea fuerant,* ascendit in montem ibique fuit *cum Domino quadraginta dies et quadraginta noctes; panem non comedit et aquam non bibit; et scripsit in tabulis verba fœderis decem,* Exod. xxxiv, 1, 4 et 28. Verbum *scripsit* refertur ad Deum, ut patet ex ℣ 1, et ex Deut. x, 4, ubi Moyses narrat populo Deum scripsisse *in tabulis juxta id quod prius scripserat verba decem.* Constat ergo Decalogi præcepta digito Dei in duabus tabulis fuisse scripta.

Dicitur 5° *per manus Moysis,* etc., quia, licet Dominus præcepta sua immediate populo annuntiasset, tabulas ea continentes inscripta commisit Moysi, qui eas ad populum detulit et in arcam custodiendas posuit. Deut. x, 5.

Dicitur 6° *populo Judaico data;* huic quippe populo peculiariter selecto nova primitivæ legis manifestatio facta est; sed nihilominus lex ista, quatenus est naturalis, ad cunctas gentes necessario respicit.

Plurima autem hic sunt notanda :

1° Vox *Decalogus* non invenitur in Scriptura : eam primus usurpavit Clemens Alexandrinus, Pædag. l. 3, cap. 12, et Stromat. l. 6, ad exprimenda decem Dei præcepta in monte Sinai solemniter promulgata et in tabulis lapideis inscripta. Eam, ut pote congruentissimam, postea adhibuerunt Patres, tum Græci, tum Latini.

2° Certum est duas exstitisse tabulas lapideas, in quibus decem præcepta erant scripta; sed nullibi tradit Scriptura quæ mandata in utraque tabula fuerint expressa. Ut certum habetur unam respexisse ad Deum et alteram ad proximum. Judæi, præcipue Josephus et Philo, ac plures Ecclesiæ Patres, volunt quatuor in prima tabula exstitisse

præcepta, et sex in secunda : primum in duo scindebant hoc modo : *Non habebis Deos alienos coram me ; non facies tibi sculptile,* etc., et quæ in numeris 9 et 10 habemus in unum adunabant. Hanc opinionem acriter defendit Calvinus (Institut. l. 5, cap. 8, § 12), ea intentione ut sacras imagines ex secundo mandato reprobandas esse ostendat.

Communissima vero sententia tenet tria fuisse præcepta in prima tabula, et septem in secunda, atque omnia modo apud nos usitato numeranda esse.

3° Christus de duplici amore nempe Dei et proximi, loquens, ait : *In his duobus mandatis universa Lex pendet et Prophetæ*, Matth. XXII, 40. Totam igitur Decalogi substantiam ad duplex hoc principium duabus tabulis congruens reducit : qui enim recte amat Deum, omnia implet sua officia erga eum ; similiter et qui recte diligit proximum. Merito igitur duæ erant tabulæ, quarum una respiciebat ad Deum et altera ad proximum.

4° Lutherus et cum illo *Mélanchthon* affirmare non erubuerunt Decalogi præcepta ad solos respicere Judæos quos Deus ex Ægypto eduxerat, non vero ad Christianos qui in libertatem filiorum Dei vocati sunt. Sed Christus, Matth. XIX, 17, respondet cuidam ab eo sciscitanti quid agendo vitam æternam haberet : *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata,* et deinde præcipua Decalogi præcepta enarrat. Unde concil. Trid., sess. 6, can. 19, anathemate percutit eos qui dixerint « nihil præceptum esse » in Evangelio præter fidem, cætera sese indifferentia, » neque præcepta, neque prohibita, sed libera ; aut præ» cepta nihil pertinere ad Christianos. » Idem habetur in canone seq.

5° Constat igitur ea præcepta ex genere suo obligare sub mortali; sunt enim per se in materia gravi, et illorum expletio ad vitam æternam prærequiritur. Quisquis ergo rationis est compos, ea saltem quoad substantiam scire graviter obligatur. Hinc a mortali culpa non facile excusantur parentes, domini et præsertim pastores qui suos inferiores hæc ignorare sinunt. Communiter tamen docetur eum mortaliter non peccare, qui, secluso con-

temptu, verba et ordinem præceptorum Decalogi memoriter non tenet, modo substantiam percipiat, dum, e contra, non sufficeret verba recitare, si res ignorarentur.

6° Ex ipsa præceptorum Decalogi natura infertur ea esse immutabilia, omnes gentes universorum sæculorum obligare, et nulla dispensatione etiam divina relaxari posse, si excipias prohibitionem imaginum et circumstantiam sabbati, de quibus infra.

7° Præcepta Decalogi sunt alia affirmativa, et alia negativa : affirmativa ea sunt quæ aliquid fieri præcipiunt, v. g. : *Memento ut diem sabbati sanctifices*; *Honora patrem tuum et matrem tuam*. Negativa vero ea sunt quæ aliquid fieri vetant, v. g. : *Non occides : non mœchaberis, etc.* Affirmativa obligant semper, sed non pro semper; non tenemur enim singulis momentis actus religionis producere, parentes honorare, etc. Præcepta vero negativa obligant semper et pro semper, siquidem nullum est instans in quo rem prohibitam, v. g., homicidium, mœchiam, facere liceat.

8° Decem Decalogi præcepta inter se perfectum servant ordinem, ut optime notat S. Th. 1 2, q. 100, præsertim art. 3 et 6. In prima enim tabula præcipiuntur erga Deum fidelitas, reverentia et famulatus : in secunda vero tabula statuitur ut reddamus proximo, incipiendo a parentibus, quidquid ei debemus, et neminem lædamus in persona, in bonis aut in fama, neque opere, neque ore, neque etiam cogitatione.

Sicut ergo summam credendorum habemus in Symbolo, summam petendorum in oratione Dominica, sic summam agendorum in Decalogo.

His notatis, de unoquoque præcepto seorsim sumpto acturi sumus, sexto et nono prætermissis, ut pote alibi specialiter explicatis.

CAPUT PRIMUM.

DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

Sic exprimitur in Exod. xx, 3 : *Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper et quæ in terra deorsum, nec eoram quæ in aquis sub terra. Non adorabis ea neque coles : Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitates patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me ; et faciens misericordiam in millia his quis diligunt me et custodiunt præcepta mea.*

Quamvis præceptum istud verbis negativis exprimatur, certum est tamen illud esse simul affirmativum ; prohibens enim quemlibet cultum erga falsas divinitates, præscribit ut legitimus cultus soli vero Deo rependatur : verba, *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes*, etc., hoc supponunt tanquam principium lucidissimum ; et Christus, Matth. IV, 10, ait : *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.*

Inferiores autem alicujus personæ in dignitatibus constitutæ eam convenienti modo non colunt seu honorant, nisi fidem ei loquenti adhibendo ; ipsi adhærendo, eam diligendo, et externa hujusmodi affectuum internorum signa exhibendo : sic pariter Deus colendus est fide, spe, charitate et religione, de quibus seorsim nobis dicendum est. Vide S. Aug., Enchir. cap. 3.

ARTICULUS PRIMUS.

DE FIDE.

Suppositis quæ in Tractatu *de Fide* diximus, hic in quatuor paragraphis agemus 1° de necessitate fidei internæ ad salutem ; 2° de iis quæ credenda sunt ; 3° de externa fidei professione, et 4° de vitiis fidei oppositis.

§ I. — De necessitate fideï internæ ad salutem.

Duplex distinguitur necessitas quoad salutem, una medii et altera præcepti. Illud necessarium est necessitate medii sine quo, etiam inculpabiliter omisso, salus obtineri non potest : tale est baptisma in re vel in voto, nisi suppleatur martyrio : illud vero necessarium est necessitate præcepti, quod voluntarie omittere non possumus sine peccato, sed cujus inculpabilis omissio saluti non nocet, ut, v. g., realis Eucharistiæ susceptio.

Quod necessarium est necessitate medii, eo ipso necessarium est necessitate præcepti, si possibile sit, quia Deus vult omnes teneri salutem suam operari, ac consequenter eligere media ad illam consequendam necessaria.

Fidem habitualem necessariam esse necessitate medii ad placendum Deo et vitam æternam ingrediendum, apud Christianos non ambigitur ; ad hoc quippe gratia sanctificans est omnino necessaria : porro fides habitualis, quæ est virtus divinitus infusa, a gratia sanctificante est inseparabilis : ergo. Hæc fides in infantibus aliisque rationis usu perpetuo carentibus procul dubio sufficit, cum indubium sit eos cum gratia baptismatis decedentes vitam æternam obtinere. Quæstio igitur solummodo moveri potest de fide actuali respectu adultorum usum rationis habentium.

Notandum fidem actualem eam dici quæ usum rationis necessario supponit; per oppositionem ad fidem habitualem in anima residentem, quæ nullum exigit actum mentis. Fides autem actualis potest esse vel *actualiter* præsens, vel *virtualiter* tantum, id est in serie actuum perseverans.

PROPOSITIO PRIMA.

Actus internus fidei divinæ est necessarius necessitate medii ad salutem omnibus adultis in peccato mortali existentibus.

Prob. Scriptura sacra, conc. Trid. et testimoniis Patrum.

1° *Scriptura sacra.* Marc. XVI, 16 : *Qui crediderit, salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur*; Joan. III, 18 : *Qui non credit, jam judicatus est;* Rom. III, 28 : *Arbitramur enim hominem justificari per fidem;* et Hebr. XI, 6 : *Sine fide impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Patet igitur peccatores adultos justificationem obtinere non posse sine fide actuali, qua scilicet ad Deum accedant. Ergo 1°.

2° *Conc. Trid.,* sess. 6, cap. 8 : « Fides est humanæ » salutis initium; fundamentum et radix omnis justifi- » cationis. » Ergo non magis justificatio existere potest sine fide, quam ædificium sine fundamento aut arbor sine radicibus. Ergo 2°.

3° *Testimoniis SS. Patrum,* qui omnem Scripturam de necessitate fidei loquentem eodem sensu ac nos interpretantur, v. g., S. Aug., vel potius antiquus auctor sermonis inter opera ejus relati in Appendice : « Merito lauda- » tur fides sine qua nihil unquam boni operis inchoatur » atque perficitur, secundum illud quod scriptum est : » *Sine fide impossibile est,* etc. » Ergo 3°.

Hinc communissime rejicitur ut falsa opinio Andreæ Vegæ aliorumque paucorum dicentium testimonia supra recensita intelligi posse de fide in re vel in voto, sicut de Baptismo et Pœnitentia dici solet, atque ideo adultos ignorantia invincibili mysteriorum fidei laborantes, nihilominus justificari posse : nam 1° possibile esset placere Deo sine fide; quod adversatur Scripturæ, concilio Trid. et communi Patrum ac doctorum sensui. 2° Ecclesia semper docuit Baptismum et Pœnitentiam per votum una cum contritione perfecta suppleri posse : idem vero de

fide nunquam censuit. 3° Baptismus, Pœnitentia aliaque similia sunt media externa ex divina institutione ad justificationem requisita, quæ aliquid prius supponunt, nempe fidem; at fides est dispositio interna omnis justificationis radix et fundamentum, et nihil supponens in quo votum ejus includatur. Ergo. Hanc conclusionem adeo certam judicat *Suarez*, ut censeat eam absque errore in fide negari non posse.

Inde tamen inferri non potest aliquos homines in proprie dicta existere impossibilitate salutem obtinendi; omnis enim homo ratione naturali et aliis subsidiis, quæ Deus per suam providentiam unicuique confert, recte uti vel abuti potest. Qui hujusmodi subsidiis abutitur, conqueri non potest si gratiam fidei non obtineat; qui vero eis bene utitur a Deo illuminabitur, non ex suo merito, sed ex pura gratia quam Deus paratus est dare omnibus quod in se est facientibus. Ergo.

Diximus *adultis in peccato mortali existentibus;* nam adulti in infantia baptizati, et nullo peccato mortali inquinati, si actualem fidem inculpabiliter non habuerint, nihilominus salvabuntur, quia in gratia sanctificante, cui fides habitualis necessario est juncta, constituuntur et tanquam infantes considerantur. Porro repugnat eos qui constituti sunt in gratia sanctificante reprobandos fore si in eo statu decedunt.

PROPOSITIO SECUNDA.

Datur omnibus adultis præceptum divinum speciale et per se eliciendi actum fidei internum.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* I Joan. III, 23 : *Hoc est mandatum ejus : ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi.*

2° *Ratione theologica.* Unusquisque tenetur, ex præcepto tum divino positivo, tum naturali, salutem suam operari, ac proinde media ad eam consequendam necessaria quærere : porro, ex dictis, salus obtineri non potest sine actu fidei interno ab adultis in peccato mortali constitutis elicito : ergo saltem pro his datur præceptum, etc. Sed

hæc obligatio existit etiam pro justis, nam *justus ex fide vivit*, Habacuc, II, 4; Rom. I, 17; Hebr. X, 38. Insuper justus vivere tenetur modo supernaturali; sed eo modo vivere non potest, nisi actus fidei internæ saltem aliquoties eliciat. Unde sequens damnata est propositio ab Innocentio XI : « Fides non censetur cadere sub præceptum » speciale et secundum se. »

Verum quo tempore eliciendus est actus fidei ut præcepto satisfiat ?

Præceptum fidei obligat *per se* ad eliciendum actum in sequentibus casibus :

1° Quando res credendæ sufficienter propositæ sunt, sive puero in infantia baptizato et usum rationis adepto, sive adulto infideli vel hæretico ; unisquisque enim horum statim moraliter acquiescere ac credere tenetur, tum quia mentis obsequium Deo debitum præstare debet, ad quod necessaria est fides actualis ; tum quia, si assensum suum suspenderet, gravem injuriam auctoritati Dei irrogaret ;

2° Quando quis in hæresim vel in voluntariam dubitationem lapsus est, quia statim reparanda est injuria Deo summe veraci et revelanti illata ;

3° Quando aliqua exsurgit contra fidem tentatio, quæ non nisi per actum fidei vincenda videtur ;

4° Quando quis tenetur fidem exterius confiteri, ut infra dicetur ; alioquin fidem non sincere profiteretur, sed simularet ;

5° In exitu vitæ et quocumque probabili mortis periculo ; quia tunc maxime tenemur tendere in Deum, ut finem nostrum ultimum, quod fit præcipue per actus fidei, spei et charitatis.

6° Præter hos casus, præceptum fidei obligat sæpius indirecte, seu, ut aiunt, per accidens, id est, ratione alterius præcepti, quod sine actu fidei rite adimpleri non potest. Ita passim loquuntur theologi, quamvis rectius diceretur sæpius in vita recurrere obligationem utendi sua fide. Porro vi præceptorum implendorum non requiritur actus fidei *formalis*, sed *virtualis* tantum, v. g., ad

orationem, ad Missæ auditionem, ad sacramenti susceptionem, etc.

7° Præceptum autem fidei obligatne per se, in decursu vitæ, extra casus citatos, ad actus fidei formales eliciendos? Communissime affirmant auctores. Quandonam autem? Non sibi consentiunt. Alii enim dicunt singulis diebus dominicis et festivis; alii quando celebrantur mysteria fidei credenda, etc.; sed qui vitam christianam ducunt, certe hoc præceptum sufficienter implent, alios religionis actus exercendo : constat in primis eum satisfacere, qui ex animo Symbolum recitat; licet enim motivum fidei non exprimat, illud tamen in se habet. Eo facilius hæc admittenda sunt quod formulæ actuum fidei, spei et charitatis recentioris sint usus in Ecclesia : valde tamen utiles judicantur, et Bened. XIV, Inst. 72, præcipit parochis eos singulis dominicis et festis recitare.

8° Hinc, cum actus fidei elici nequeat nisi circa veritates cognitas, stricta datur obligatio ediscendi, quæ credenda sunt. Unde gravis etiam incumbit obligatio parentibus, heris aliisque superioribus, et maxime pastoribus, erudiendi pueros et ignaros circa fidem ejusque objectum, motivum, exercitium : gravis similiter datur obligatio pueris et ignaris hæc pro sua capacitate et opportunitate ediscendi. Gravitas autem peccati æstimanda est ex adjunctis, absque scrupulis.

9° Huc usque de præcepto fidei affirmativo locuti sumus. Cum autem in quovis præcepto affirmativo, quo actus virtutis præcipitur, includatur præceptum negativum quo vitium oppositum prohibetur, sequitur ex dictis dari obligationem negativam fidei; id est, veritas a Deo revelata rejici non potest ut falsa, nec de illa voluntarie dubitare licet; si enim talis veritas aut negaretur aut in dubium revocaretur, gravis injuria Deo inferretur; secus, si propositio revelationis sufficienter facta non fuisset; tunc enim non constaret Deum locutum esse.

Notandum quod in dubiis circa fidem caute advertendum sit an hæsitatio mentis sit in voluntate an in imaginatione tantum, an aliqua ratione sit fundata, an sit

vaga et sine ullo alicujus ponderis motivo : in posteriori casu, spernendum est dubium; in priori, solvenda est difficultas, et mens illuminata hæsitare non potest sine peccato.

§ II. — De iis quæ credenda sunt.

Fides alia est explicita et alia implicita, ut in Tractatu *de Fide* explicavimus.

Omnes veritates a Deo revelatæ credi debent et semper credi debuerunt saltem fide implicita latiori sensu; nunquam enim licitum fuit aliquam ex illis negare aut de veritate illius voluntarie dubitare : semper parati esse debemus ad firmiter credendum quidquid Deus revelavit.

Verum fides implicita sola non sufficit ad salutem : nemo quippe dicet fidem, cujus necessitatem pro adultis demonstravimus, simpliciter esse hanc fidem qua quis adhæreret generatim omnibus a Deo revelatis, nullam in particulari cognoscens veritatem revelatam. Hoc insuper magis patebit ex dicendis.

Nobis igitur agendum est, 1° de veritatibus quarum fides explicita necessaria est necessitate medii; 2° de iis quarum fides explicita necessaria est ex præcepto; 3° brevem Symboli Apostolorum expositionem trademus.

Punctum primum. — *De veritatibus quarum fides explicita necessaria est necessitate medii.*

1° Omni tempore necessarium fuit adultis, necessitate medii, credere actu explicito et supernaturali Deum existere, atque justos in vita futura remunerandos esse; nam B. Paulus, Hebr. XI, 6, non dicit tantum : *Sine fide impossibile est placere Deo;* sed addit : *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.*

Et revera, ut quis vitam æternam per bona opera mereatur, modo supernaturali vivere debet : atqui hoc modo vivere non potest, nisi Deum auxiliatorem et remuneratorem explicite cognoscat, quod quidem complectitur

illud Psalmistæ, LXXXIII, 12 : *Gratiam et gloriam dabit Dominus*, et quod ratio per se assequi non potest. *Ita omnes.*

Nonnullorum sententia tenet etiam fidem explicitam Dei malos punientis eodem modo semper necessariam fuisse.

2° Post lapsum generis humani in peccatum, aliqua fides in Christum adultis fuit necessaria necessitate medii ad salutem; idque constat 1° *ex Scriptura sacra*. Joannes, XIV, 6 : *Ego sum via, veritas et vita : nemo venit ad Patrem nisi per me;* Act. IV, 12 : *Non est in alio aliquo salus, nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri*; Gal. II, 16 : *Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi*. Hæc verba aliaque similia sunt generalia, et fidem in Christum tanquam conditionem ad salutem necessariam exprimunt. Ergo, etc. 2° *Ex ratione*. Homo lapsus reparari non potest nisi aliquo modo uniatur Redemptori et per Redemptorem Deo : at uniri non potest Redemptori nisi per aliquam fidem : ergo. Sic expresse S. Th. 2 2, q. 2, art. 7, et cum illo generaliter theologi, qui tres distinguunt gradus fidei implicitæ in Christum : 1us gradus, si credatur Deum homines salvaturum esse per media sibi nota; 2us si credatur futurum esse Redemptorem seu Mediatorem inter Deum et homines; 3us si credatur hunc Mediatorem futurum esse Deum, licet ignorentur media quibus operanda sit redemptio; secus fides explicita esset, et non tantum implicita.

Fatentur auctores tertium gradum necessarium non esse; quidam volunt secundum gradum requiri : sed alii communius dicunt primum gradum sufficere, 1° quia hic gradus videtur proportionatus imbecillitati hominum lumine revelationis positivæ destitutorum; 2° quia durius esset dicere omnes Judæos Messiam temporalem tantum exspectantes et aliunde recte viventes, vel ad Deum sincere redeuntes, salutem consequi non potuisse.

Æstimat autem S. Th. quosdam ante Christum fidem explicitam Incarnationis habuisse, alios vero tantum

fidem implicitam in fide majorum ac sub figuris sacrificiorum contentam, et tamen salvatos fuisse; item aliquos ethnicos salutem assecutos esse per fidem implicitam in Christum, quia lex Mosaica eos non astringebat : qui ergo, ex primitiva traditione, fidem unius Dei remuneratoris habebant, legem naturæ servabant, fideque implicita Christi, in sensu supra exposito, persuasi erant, salutem æternam assequi poterant. Talis est communis Patrum et theologorum sententia.

3° Communiter sententia theologorum est fidem explicitam mysterii sanctissimæ Trinitatis et mysterii Incarnationis, sub quo comprehenditur Redemptio, post sufficientem Evangelii promulgationem, omnibus adultis necessariam esse necessitate medii ad salutem, suamque sententiam probare nituntur, 1° *ex Scriptura.* Joan. XVII, 3 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum.* Ibid. III, 14 : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Aspectus autem serpentis ænei erat medium omnino necessarium ad sanandos morsus. Ergo. 2° *Ex concil. Trid.*, sess. 6, cap. 6, ubi asseritur, ad obtinendam justificationem, in primis credendum esse *a Deo justificari impium per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* 3° Ex S. Aug. lib. de Correptione et Gratia, cap. 7, n. 11 : « Nemo liberatur a damnatione quæ facta est per » Adam, nisi per fidem Jesu Christi; et tamen ab hac » damnatione non se liberabunt qui poterunt dicere se » non audisse Evangelium Christi, cum fides ex auditu » sit. » 4° *Ex ratione.* Fides saltem implicita in Christum omni tempore fuit necessaria : at cum status gratiæ perfectior sit statu legis aut naturæ, amplior necessaria est cognitio Christi. Quoniam vero Christus explicite cognosci non potest, quin explicita habeatur notitia sanctissimæ Trinitatis, fides explicita utriusque mysterii necessaria est necessitate medii ad salutem.

Attamen fatendum est hanc rationem non convincere : ex eo quod enim status gratiæ sit perfectior, non sequitur

majorem Christi cognitionem de necessitate medii ad salutem requiri; alioquin salus nunc difficilius obtineretur quam ante Christum : atqui hoc repugnat. Testimonia autem allegata de fide implicita aut de necessitate præcepti intelligi possunt. Ergo præcedens sententia licet communius admissa, non solide probatur.

Unde multi nunc eam rejiciunt, contenduntque fidem explicitam Trinitatis et Incarnationis, post sufficientem Evangelii promulgationem, necessariam esse ad salutem ex præcepto, non vero ex necessitate medii. Hinc inferunt 1° adultos in infantia baptizatos et mysteria Trinitatis ac Incarnationis invincibiliter ignorantes, nihilominus justificari et salvari posse, modo fide supernaturali credant Dei remuneratoris et alterius vitæ existentiam, cum fide implicita in Christum, parati quælibet alia revelata credere si ea cognoscerent; 2° ipsos infideles, juxta legis naturæ dictamen viventes, quibus revelatio Evangelica nondum innotuit, per fidem implicitam in Christum, et Dei remuneratoris explicitam, salvari posse; ea via enim Cornelius fuit justificatus, inquit *De Lugo*, quia Evangelium nondum erat perfecte promulgatum respectu ejus; porro Evangelium similiter non satis est promulgatum respectu illius qui prædicta mysteria invincibiliter ignorat, et bonitati ac providentiæ divinæ repugnat ut talem hominem recte viventem damnet; 3° nihil inde pretio redemptionis Christi detrahi; nam sola inculpabilis ignorantia excusatur, et aliunde fides supernaturalis Dei remunerantis cum fide implicita in Christum difficile inveniri potest, seclusa speciali Dei assistentia, ubi lumen Evangelii nondum affulsit. Ergo.

4° Certum est eos qui sua culpa prædicta ignorant mysteria, absolutionis beneficio indignos esse : sequitur ex dictis et ex propositione ista ab Innocentio XI, anno 1679, damnata : « Absolutionis capax est homo, » quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et » etiamsi per negligentiam culpabilem nesciat mysterium » sanctissimæ Trinitatis et incarnationis Domini nostri » Jesu Christi : sufficit illa semel credidisse. » Manifes-

tum est hanc censuram necessitatem medii non arguere, sed grave supponit præceptum : ergo, etc. Unde qui cum ignorantia mortaliter culpabili hujusmodi mysteriorum sacramentalem absolutionem susceperunt, confessiones suas certo iterare debent.

5° Sed eadem mysteria invincibiliter ignorantes valide absolvi potuerunt, juxta secundæ sententiæ patronos, ac proinde confessiones in tali ignorantia factas iterare non tenentur; prioris vero sententiæ defensores contendunt confessiones sic factas prorsus esse nullas ac consequenter iterandas, nisi aliqua sit causa ab integritate confessionis excusans, ut in Tractatu *de Pœnitentia* diximus. Constat hanc sententiam esse tutiorem, et fere omnes fatentur eam in praxi sequendam esse, quia confessiones ab ignorante præfata mysteria factæ, essent ad summum probabiliter validæ : at talis probabilitas in materia justificationis non sufficit : ergo. Vide S. Ligorium, l. 2, n. 2.

6° *Notandum* aliud esse ea mysteria credere, et aliud ea scire : omnes ratione compotes ea credere tenentur, sed qui mente sunt obtusi illa memoria retinere non semper obligantur, si nempe id moraliter non possint : sufficit ut ea sibi accurate proposita explicite credant immediate ante absolutionem. Ita S. Ligorius cum pluribus aliis; auctor operis gallici, *la Conduite des âmes*, etc.

7° Sedulo attendere debent confessarii an sui pœnitentes ea quæ necessitate medii probabiliter necessaria sunt cognoscant, tum ut eos absolvant, tum ut de præteritis eorum confessionibus judicent : quoties igitur de sufficienti eorum scientia circa hoc punctum dubitandi est locus, prudenter interrogandi, et, si opus sit, erudiendi sunt prius quam absolvantur. Non raro inveniuntur homines in humanis litteris sat expoliti, qui circa religionem crassa laborant ignorantia : cavendum igitur ne, propter damnabilem reverentiam, in tali relinquantur ignorantia.

8° Ut mysteria sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis explicite credantur, non requiritur perfecta eorum noti-

tia quoad circumstantias, v. g., personas proprietatibus relativis constitui, humanitatem Christi propria carere subsistentia ; sed sufficit, inquit sylvius, t. III, « quod » rudiores credant Patrem, et Filium, et Spiritum sanc- » tum esse unum Deum, etiamsi distincte non sciant » quod sit una essentia in tribus personis ; et similiter » quod credant Filium Dei, verum Deum et hominem, » esse passum et mortuum pro nobis, etiamsi non nove- » rint distinguere quod sint duæ naturæ et una tantum » persona. »

9° Qui adeo sunt rudes ut simplices hujusmodi notiones sibi propositas percipere non possint, infantibus et fatuis comparantur ; absolvi non possunt nisi in periculo vitæ, quo in casu sacramenta ad salutem necessaria nullitati exponuntur.

Punctum secundum. — *De veritatibus quarum fides explicita necessaria est ad salutem ex præcepto.*

Certum est divinum dari præceptum veritates Evangelicas credendi ; Christus enim dixit Apostolis, Marc. XVI, 15 : *Prædicate Evangelium omni creaturæ ; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit qui vero non crediderit, condemnabitur.* Obligatio autem prædicandi supponit obligationem sciendi et credendi. Idem constat ex supradictis. Ergo.

Quoad veritates credendas in particulari, unusquisque fidelis tenetur sub peccato mortali credere explicite et scire saltem quoad substantiam :

1° *Quæ necessaria sunt necessitate medii ;* quia unusquisque, ex mandato divino, salutem suam exquirere tenetur ; ergo et eligere media ad eam conducentia.

2° *Symbolum Apostolorum ;* tenentur enim saltem præcipua doctrinæ Evangelicæ capita credere, alioquin vitam christianam instituere non possemus : porro præcipua doctrinæ Evangelicæ capita in Symbolo Apostolorum continentur, et ideo Apostoli hanc contexuerunt et tradiderunt regulam. Unde perpetua Ecclesiæ praxis fuit ut baptizandi Symbolum ediscerent, Decret. 3ª part., dist. 4,

can. 58 et 59, et baptizati illud scire tenerentur, ibid., can. 10; sic etiam S. Aug. ait, Serm. 59 : « Prius Symbolum didicistis, ubi est regula fidei vestræ brevis et grandis; brevis numero verborum, et grandis pondere sententiarum. »

3° *Sacramenta quæ suscipienda sunt, et quæ ad ea rite suscipienda requiruntur;* quia, sine tali cognitione valide aut saltem debite suscipi non possent. Item sacrificium Missæ, cui omnes adulti interesse debent.

4° *Necessitatem orandi et substantiam Orationis Dominicæ;* datur enim omnibus præceptum orandi, et Christus hanc formam orandi præscripsit. Hinc S. Aug., in Decreto, 3ª parte, dist. 4, can. 105, relatus, ait : « Ante omnia Symbolum et Orationem Dominicam et vos ipsi tenete, et illis quos suscepistis de sacro fonte ostendite; » et Ecclesia dicit in Missa : « Præceptis salutaribus moniti...., audemus dicere : *Pater noster*, etc. »

5° *Præcepta Decalogi et mandata Ecclesiæ*; hoc enim observare tenentur adulti : ergo et scire. Idem dicendum est de singulis proprii status officiis.

6° Hinc omnes qui usum rationis assecuti sunt, tenentur sub mortali hæc, pro posse suo, saltem quoad substantiam, addiscere et credere; et idcirco parentes, domini aliique superiores qui non curant ut liberi et subditi hæc discant, mortaliter peccant : *a fortiori* et parochi qui oves suas in iis erudire omittunt vel graviter negligunt.

7° Si confessarii rationabiliter timeant ne pœnitentes ea ignorent quæ ex divino præcepto scire tenentur, debent eos prudenter interrogare, erudire vel curare ut ab aliis vel ope librorum erudiantur : si tamen judicent illorum ignorantiam non fuisse mortalem et circa ea quæ ex necessitate medii necessaria sunt non versari, præteritas confessiones habebunt ut validas, et absolutionem impertire poterunt pœnitentibus bonam voluntatem ostendentibus, etsi nondum sciant quæ ex præcepto credenda sunt.

8° Datur præceptum Ecclesiæ sciendi memoriter Symbolum, Orationem Dominicam et Salutationem Angeli-

cam, sed communius docent auctores illius obligationem esse tantum sub veniali : allegant consuetudinem; consuetudo autem est optima legum interpres. Stricte ergo absolvi possent, positis aliis ponendis, qui quoad Symbolum, præcepta et sacramenta, parati essent respondere interroganti, juxta singulorum substantiam, accurate quidem, licet aliis verbis; quoad Orationem Dominicam, qui scirent omnia bona a Deo petenda esse, et quæ præcipue quærenda. Sic S. Carolus Borrom. in Inst. ad confess., *Bonacina, Layman, Sanchez*, S. Ligorius, etc.

9° Item plures dicunt veniale esse tantum peccatum nescire facere signum crucis : alii, ut Sylvius, dicunt esse mortale. Certum est voluntariam hujus praxis ignorantiam ab omni culpa non excusari; sed per se validitati confessionum essentialiter non nocet.

10° Nihilominus curandum est ut omnes, etiam rudiores, Symbolum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, sacramenta, Decalogi et Ecclesiæ præcepta memoriter sciant, saltem in vernacula lingua, ac maxime ut ea intelligant; qui enim ea retinerent, sed non perciperent, fidem præscriptam non haberent.

Punctum tertium. — *Brevis Symboli Apostolorum explicatio.*

Diximus in Tractatu *de Fide* quid sit illud Symbolum, et qua ratione Apostolis tribuatur. A Catechismo concilii Trid., in duodecim articulos dividitur; quam divisionem a doctoribus catholicis generatim admissam retinemus.

1us. *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ.* Dicitur 1° *credo*, id est, firmiter, ex totis viribus adhæreo, non vero existimo, puto, opinor : verbum *credo* triplicem babet sensum, ut notat S. Th. 2 2, q. 2, art. 2, et dici potest, Credo Deum, id est, Deum esse; Credo Deo, id est, ea quæ locutus est Deus esse vera; et Credo in Deum, id est, credendo Deum esse et vera loqui, ei adhæreo. « Si creditis in eum, » inquit S. Aug., tract. 29 in Evang. Joan., n. 6, « creditis ei : non autem conti- » nuo qui credit ei, credit in eum. Nam et dæmones cre-

» debant ei, et non credebant in eum. Rursus de Apostolis ipsius possumus dicere, Credimus Paulo, sed non, Credimus in Paulum ; Credimus Petro, sed non, Credimus in Petrum. Quid est ergo credere in eum ? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, et ejus membris incorporari. » Dicitur 2° *Patrem*, primam scilicet personam sanctissimæ Trinitatis et omnium rerum principium ; 3° *omnipotentem*, principale ejus attributum designando ; 4° *Creatorem cœli et terræ*, exprimendo Deum cœlum, terram et omnia quæ in eis sunt, condidisse : nomine cœli et terræ intelliguntur Angeli, sidera et omnia quæ non sunt Deus.

2us. *Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum.* 1° *Et*, id est, credo. 2° *In*, sensu supra exposito, quia Christus ut Deus est finis noster ultimus, eodem sensu ac Pater. 3° *Jesum ; Jesus* oritur a verbo hebraico ISSA, salvare, et significat Salvator : *Christum ;* nomen *Christus*, a verbo græco χρίω, unde χριστός, significat *unctus ;* itaque Jesus Christus idem est ac salvator a Deo unctus, scilicet in sacerdotem, prophetam et regem, quia Filius Dei factus homo est summus sacerdos, propheta et rex. A sanctissimo hoc nomine dicimur *Christiani.* 4° *Filium ejus unicum* ; hæc verba secundam sanctissimæ Trinitatis personam per æternam generationem a Patre procedentem denotant. 5° *Dominum nostrum*, quia Christus ut Deus homo omnibus dominatur, nos redemit, ipsius sumus : est ergo noster Dominus.

3us. *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.* Hic articulus enuntiat Christum ut hominem miraculose fuisse conceptum, et beatam Mariam eum concipiendo et pariendo mansisse virginem, juxta celebre Isaiæ vaticinium, VII, 14 : *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium.*

4us. *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus.* Hæc verba, quæ mysterium redemptionis nostræ continent, exprimunt Christum ut hominem passum fuisse, morte turpissima occubuisse et corpus ejus fuisse sepultum, sicque prophetias hæc de ipso annuntiantes

eventibus congruisse : circumstantia Pontii Pilati in Symbolo consignatur, ut omnes advertant nullam fraudem existere potuisse.

5us. *Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis.* 1° *Descendit ad inferos,* id est, anima ejus, a corpore per mortem separata, descendit ad loca inferiora ubi detinebantur animæ, et quorum triplex erat status, videlicet damnatorum, purgandorum et justorum purgatione non amplius indigentium. Tertius iste status dicebatur limbus. Anima Christi in hunc locum descendit, dum corpus ejus erat in sepulcro, et probabiliter animas in purgatorio detentas visitavit, ut eas recrearet ac consolaretur. Non verisimile est autem eam locum damnatorum perlustrasse. Ita *Dens,* t. II. 2° *Tertia die resurrexit a mortuis :* quomodo Christus tribus diebus et tribus noctibus fuerit in corde terræ, Matth. XII, 40, explicavimus in Tractatu *de Religione :* surrexit, non vero suscitatus est a mortuis, quia non aliena, sed propria virtute suam quam posuerat animam iterum sumpsit, ut prædixerat, Joan. X, 17, et corpori suo naturali vita univit.

6us. *Ascendit ad cœlos, sedet a dexteram Dei Patris omnipotentis.* 1° *Ascendit,* non vero sublatus est, ut legitur de Elia, nec præcise assumptus, ut dicitur de B. Maria quia eadem virtute qua resurrexit, ad cœlos ascendit; non secundum divinitatem, quæ cœlos nunquam deseruit, sed secundum humanitatem. Absolute tamen dici potest illum fuisse suscitatum, et in cœlos assumptum, ut in Act. I, 11, et II, 24, legitur, id de humanitate respectu divinitatis intelligendo. 2° Theologi communiter docent, cum S. Th., 1a part., q. 66, art. 3, per *cœlos* intelligendum esse immensum spatium supra sidera elevatum, divino splendore illuminatum ac decoratum, in quo animæ beatæ visione Dei intuitiva fruuntur et torrente voluptatis inebriantur. Hoc cœlum vocant tertium cœlum, scilicet post atmosphæram et cœlum sidereum, et cœlum empyræum a particula græca, ἐν, et verbo πῦρ, *ignis,* quia splendor, hoc spatium illuminans, repræsentatur ut purissimus et vivificus ignis. 3° *Sedet ad dexteram Patris omni-*

potentis : cum Deus sit spiritus purissimus, non habet dexteram, nec sinistram : locutio igitur, *sedet ad dexteram,* non designat situm corporis, sed gloriam, honorem, majestatem et potestatem cum Patre æqualem. Est autem persona Christi ex duplici natura constans, quæ in hoc summo honore constituitur : ratione divinitatis, illo nunquam caruit, sed ratione humanitatis ad eum elevata est.

7us. *Inde venturus est judicare vivos et mortuos* : 1° *Inde,* id est de cœlo ubi sedet in gloria; 2° *venturus est*, ut describitur apud Matth. XXIV, 30, et XXV, 31 et seq.; 3a *judicare*, videlicet unicuique solemniter reddet secundum opera ejus, ex summa æquitate; 4° *vivos et mortuos,* quibus verbis comprehenduntur qui ab origine mundi usque ad ultimum judicium mortui sunt, et qui in ultima flagratione morientur, nam *elementa calore solventur*; *terra autem et quæ in ipsa sunt opera exurentur*, II Petr. III, 10; *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium,* Hebr. IX, 27; *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum,* II Cor. V, 10. Unusquisque statim post mortem judicatur, et est judicium particulare : sed de fide est totum genus humanum ad vitam inamissibilem revocatum, et in cœtu universali coram Christo congregatum, solemniter judicandum esse, ut Christus, olim injuste damnatus, clarificetur, ut homo quoad corpus sicut et quoad animam convenientia supplicia vel præmia suscipiat, ut justitia Dei nunc sæpe occulta manifeste appareat et ut quæque secreta omnibus manifestentur, ad solamen justorum et confusionem peccatorum. *Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium*, I Cor. IV, 5 : unusquisque igitur, ut docet S. Th., Suppl. q. 88, art. 1 et 2, omnia opera sua in propria conscientia et omnia aliena opera in singulorum conscientia aperte videbit, cum omnibus circumstantiis bonitatis vel malitiæ, unde suprema Dei justitia relucebit. Tenet insuper S. Th. peccata remissa etiam patefacienda fore, quia Scriptura a generali hac manifestatione cordium nihil excipit, et tamen hanc ma-

nifestationem in ignominiam beatis non cessuram, sed potius in gloriam, propter pœnitentiam quam fecerunt : sic hodie in encomiis Davidis, S. Magdalenæ, S. Aug., etc., peccata eorum absque ignominia publicantur.

Tempus quo ultimum fiet judicium prorsus nos latet : nam *de die illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater*, Marc. XIII, 35 : Filius autem hunc diem nescire dicitur, eo sensu quod illum manifestare non possit, aut nescire vi humanitatis, quamvis illum reipsa sciverit ut homo, sed vi divinitatis.

Quoad signa judicium universale præcedentia nihil certo sciri potest ; quæ enim apud Matth. XXIV, leguntur, « ad tempus destructionis Jerusalem et ad adventum quo » Christus continuo Ecclesiam suam visitat, » referri possunt, ait S. Th., Suppl. q. 73 vel 75, art. 1. Quædam tamen ut verisimiliora et partim ut certa assignantur, v. g., 1° prædicatio Evangelii *in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio*, Matth. XXIV, 14 ; 2° quædam generalis apostasia : *Quoniam nisi venerit discessio primum et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis*, II Thess. II, 3 : *Et filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Luc. XVIII, 8 ; 3° adventus et persecutio Antichristi qui venit *in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus, et omni seductione iniquitatis; quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui*, II Thess. II, 8, 9 et 10. Circa illius ortum, patriam, tempus, ætatem, conditionem, nihil certi habemus : S. Joannes Damascenus putat illum ex fornicatione nasciturum, et veteres docuerunt eum ex tribu Dan oriturum, eo quod in Apoc. VII, tribus illa cum salvandis non numeretur. Notandum hæreticos aliosve perversos homines dici quandoque Antichristos propter eorum cum Antichristo similitudinem; v. g., in I Joan. II, 18 : *Nunc antichristi multi facti sunt.* 4° Durante persecutione Antichristi, Henoch et Elias apparentes prædicabunt : de Henoch enim legitur in Ecclesiastico, XLIV, 16 : *Placuit Deo et translatus est in paradisum ut det gentibus pœnitentiam.* De Elia dicitur in Malachia, IV, 5 : *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, an-*

tequam veniat dies Domini magnus et horribilis, et convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam et percutiam terram anathemate. Matth. XVII, 11 : *Elias venturus est et restituet omnia.* Conversio Judæorum prædicitur a B. Paulo, Rom. XI, 25 et 26. 5° Sol, luna et stellæ obscurabuntur : *Virtutes cœlorum commovebuntur, et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo*, Matth. XXIV, 29. 6° *Cœli qui nunc sunt et terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii et perditionis impiorum hominum... Novos cœlos et novam terram, secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat*, II Petr. III, 7 et 13; Deus quippe apud Isaiam, LXV, 17, dixerat : *Ecce enim ego creo cœlos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora.* Idem habetur in cap. seq., ℣ 22, et in Apoc. XXI, 1. Igitur cœli et terra non destruentur, sed igne purgati nova erunt et ad oblectamentum sanctorum inservire poterunt. 7° S. Hieronymus et alii docuerunt ut verisimile ultimum judicium exercendum esse in valle Josaphat, quæ sita est prope Jerusalem, et hanc sententiam eruunt ex verbis sequentibus Joelis, III, 2 : *Congregabo omnes gentes et deducam eas in vallem Josaphat; et disceptabo cum eis ibi*; et ℣ 12 ejusdem capitis : *Consurgant et ascendant gentes in vallem Josaphat; quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu.* D. *Calmet* et alii plures dicunt nullam existere in Palæstina vallem nomine Josaphat, et nomen hoc, significans hebraice judicium Dei, esse symbolicum, sicut vallem *concisionis* de qua in versiculo 14. Nihil ergo circa locum judicii certo concludi potest, et ex hypothesi quod in angusta valle exercendum sit omnes judicandi intra limites vallis non necessario contineri deberent : vana est igitur objectio ex nimia vallis Josaphat arctitudine desumpta.

8us. *Credo in Spiritum sanctum*, eodem modo ac in Patrem et Filium, quia est Deus sicut Pater et Filius : dicitur Spiritus quasi spiratus, quia per spirationem a Patre Filioque procedit, vel quia Deus purus est spiritus. Hoc nomen tertiæ sanctissimæ Trinitatis personæ attribuitur, ut a duabus aliis distinguatur.

9us. *Sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem :* non dicimus, Credo in Ecclesiam, sed Credo Ecclesiam, scilicet eam esse. De illius notis et proprietatibus in speciali de illa Tractatu fuse diximus. Per sanctorum communionem intelligitur quamdam esse societatem et bonorum spiritualium participationem inter eos qui sunt in Ecclesia; quam sic describit B. Paulus, I Cor. XII, 12 : *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa ; omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*, etc.

Hæc communio consistit in participatione eorumdem sacramentorum, in unitate fidei et religionis, in unione charitatis, in fructu indulgentiarum, sacrificiorum, suffragiorum, precum aliorumque bonorum operum; et ad omnes extenditur qui sunt in Ecclesia triumphante, militante et patiente, quatenus animæ in purgatorio detentæ a nobis adjuvantur et Sancti in cœlo nos adjuvant, etc. Qui plus in eam spiritualem societatem conferunt, ampliorem ex illa fructum percipiunt, et illa communium bonorum spiritualium participatio non impedit quin specialis sacrificii Missæ oblatio plus ei prosit pro quo offertur, ut constat ex concilio Trident., sess. 23, de Reform. cap. 1 ; ex Bened. XIV, Const. *Cum semper,* Bull. t. I; ex Pio VI, bulla *Auctorem fidei,* doctrinam synodi Pistoriensis damnante, prop. 30.

Ab hac communione excluduntur quicumque infideles, apostatæ, hæretici et schismatici saltem manifesti et excommunicati, non vero peccatores ad Ecclesiam pertinentes, exceptis fructibus qui in charitate fundantur.

10us. *Remissionem peccatorum :* id est, credo Ecclesiam habere potestatem remittendi omnia peccata ac pœnam peccatis debitam, per Baptismi et Pœnitentiæ sacramenta, nec non per indulgentiam, et sicut extra Ecclesiam nulla est salus, nullam pariter esse peccatorum remissionem.

11us. *Carnis resurrectionem.* Dicimus, credo *carnis* non vero hominis resurrectionem, ut ostendatur solum corpus humanum corrumpi, dum anima remanet integra,

et solum in ultima die, qua instabit judicium, suscitandum et iterum animæ uniendum fore. Dogma resurrectionis et futuras corporum tum beatorum, tum reproborum qualitates probavimus in Tractatu *de Actibus humanis*.

12us. *Vitam æternam,* id est beatitudinem cœlestem quæ futura est æterna : simul indirecte profitemur pœnam damnatorum finem non esse habituram.

Additur *Amen,* vox hebraica idem significans ac *vere, certe,* vel, *ita sit* aut *fiat;* exprimit igitur quamdam fidei professionem circa omnes articulos enumeratos.

§ III. — De externa fidei professione.

In obligatione fidem exterius profitendi duplex existit præceptum : unum affirmativum, fidem exterius profitendi; et alterum negativum, nihil contra fidem agendi.

Punctum primum. — *De præcepto affirmativo fidem exterius profitendi.*

Existere hujusmodi præceptum divinum constat, 1° *ex B. Paulo,* Rom. x, 9 et 10 : *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum et in corde tuo credideris quod Deus suscitavit illum a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem;* 2° *ex S. Aug.* Serm. 179, n. 7 : « Quid prodest corde credidisse ad jus- » titiam, si os dubitet proferre quod corde conceptum » est? » 3° *ratione.* Honor enim auctoritati Dei revelantis debitus exigit ut non solum assensu interno, sed ex professione externa ei adhæreamus? æquum est ut homo ex anima et corpore coalescens, utrumque Deo subjiciat.

At fieri potest ut ad externam fidei professionem teneamur ex præcepto divino obligante *per se,* vel obligante *per accidens,* id est ratione actus alterius virtutis nobis alio præcepto divino impositi.

Divinum præceptum fidem exterius profitendi obligat *per se :*

1° Quando adultus societati christianæ per baptismum

incorporatur; item quando fides sufficienter proponitur homini in infantia baptizato, sed usum rationis jam adepto, vel hæretico nuper converso : attamen jus divinum publicam fidei professionem non statim exigeret, si dilatio ad maxima vitanda incommoda æstimaretur necessaria.

2° Quando externa fidei confessio necessaria videtur ut quis morale periculum a fide deficiendi avertat, v. g., si ex dictis aut factis aliorum, timore vel erubescentia concutiatur.

3° Sæpe in decursu vitæ; fidelis enim qui raro fidem suam exterius significat, merito reputatur vel Deo et Ecclesiæ ejus non assentire, vel nolle testimonium fidei reddere. Huic autem obligationi evidenter satisfit per publicam officiorum religionis impletionem.

4° Præceptum illud generaliter obligat « quando per » omissionem hujus confessionis subtraheretur honor » Deo debitus et etiam utilitas proximo impendenda, » S. Th. 2 2, q. 3, art. 2. In casu utilitatis proximi, ut loquitur S. Doctor, præceptum de quo agitur, magis obligat *per accidens* quam *per se*, nisi spectetur quatenus honor Dei imponit obligationem impediendi ne alii vacillent in fide.

Variæ autem inde exsurgunt difficultates pro quibus solvendis sequenda statuemus :

1° Qui auctoritate publica etiam tyrannica interrogaretur de fide sua, eam simpliciter confiteri teneretur, quia secus Christum erubesceret et honorem Deo debitum subtraheret, sicque opponeretur 1° verbis Evangelii Luc. IX, 26 : *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua*; 2° Innocentio XI, qui sequentem damnavit propositionem : « Si » a potestate publica aliquis interrogetur, fidem ingenue » confiteri ut Deo et fidei gloriosum, consulo; tacere au» tem ut peccaminosum non damno; » 3° agendi rationi martyrum et confessorum omnium sæculorum ac communi theologorum opinioni. Ergo.

Attamen si quis de fide sua interrogetur propter fines

ad illam non spectantes, v. g., ad detegendum utrum sit hostis, utrum teneatur solvere tributum catholicis impositum, etc., non peccat responsionem omittendo, sed caveat ne fidem neget.

2° Qui a personis privatis interrogatur, fidem suam confiteri non semper tenetur : nam fieri potest ut tacendo vel dissimulando, etiam coram multitudine, non habeatur tanquam Christum erubescens, sed tanquam interrogantem contemnens, atque ideo honor Deo debitus vel utilitas proximo impendenda non subtrahatur; si, v. g., interrogatus audenter dicat : Quid ad te? sentio quod volo, nullam rationem tibi debeo, etc.; attamen si, habita ratione circumstantiarum, taciturnitas vel dissimulatio in Dei contemptum vel proximi scandalum vergeret, fides palam profitenda esset : id sequitur ex supradictis. Obligatio igitur fidem exterius profitendi ex jure interrogantis non oritur; nam publica auctoritas sæpe non magis habet jus quam privata talem exigendi professionem; sed ex duplici principio a S. Th. aliisque theologis allegato, nempe honore Dei et utilitate proximi.

3° Ad externam autem fidei professionem quilibet tenetur cum adest periculum ne populus a fide deficiat, vel ne in ea vacillet, aut ne alii inde sumpturi sint occasionem in apostasiam, hæresim, schisma, blasphemias, etc., labendi; vel demum si, ex ipsius silentio, judicandus sit, ob circumstantias, fidem deserere, juxta regulam Juris 43: *Qui tacet, consentire videtur*; v. g., ille cujus nomen fuit inscriptum in tabella eorum qui a fide recesserunt, statim ac tabella prodit, reclamare tenetur.

4° Si princeps vel magistratus infidelis aut hæreticus præciperet ut catholici nonnullis induerentur vestimentis quibus ab aliis distinguerentur, hi obedire non tenerentur; nimis enim vagum foret præceptum, ut inobedientes censerentur Christum erubescere, et dici non posset honorem Deo debitum et utilitatem proximo impendendam per hanc inobedientiam subtrahi. *Sic etiam communiter theologi.*

Item, si per edictum præcipiatur ut omnes fideles sese

prodant cum multi sint occulti, nullus tenetur, præcise vi hujus præcepti, se palam facere.

Tandem licitum esse potest uti precibus vel pecunia ad impediendum ne quis a magistratu de fide sua interrogetur, quia ex una parte, hæc agendi ratio est quædam fidei professio, et, ex altera parte, tales concurrere possunt circumstantiæ, ut nihil inde contingat injuriosum fidei, nec proximi religioni nocivum. Vid. Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 13, cap. 20, n. 11.

Jam vero præceptum divinum fidem exterius profitendi obligat *per accidens* in sequentibus casibus :

1° Ratione charitatis Deo debitæ ; catholicus videns Eucharistiam, sacras imagines, reliquias contemni, crucem everti, frangi, conculcari, etc., si hæc impedire possit, contradicere et fidem suam aperte confiteri debet; alioquin honor Deo debitus subtraheretur : tunc, non quidem ratione virtutis fidei, sed ratione charitatis erga Deum, has injurias quantum potest impedire tenetur. Si vero timendi sit locus ne ipsius oppositio tales homines potius irritare, in proterviam et blasphemias inducere quam compescere debeat, tacere potest; imo et debet. *Ita communiter theologi,* quidquid in contrarium dicat *Concina.* Ut cum vitæ periculo fidem confiteri teneatur, sufficit quod prudens affulgeat spes obtinendi magnum gloriæ Dei augmentum, puta si inde oritura speraretur multorum infidelium vel hæreticorum conversio.

2° Ratione officii fidem profiteri tenentur ii quibus incumbit munus alios edocendi ac in fide confirimandi. Eadem obligatio quandoque oritur ex sola charitate proximo debita.

3° Qui ortam vel mox orituram videt persecutionem, fugere vel se occultare communiter potest; Christus enim dixit, Matth. x, 23 : *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Ita generaliter docuerunt Patres et doctores contra Tertullianum, qui integrum composuit librum ad probandum fugientem in persecutione, se ostendere in fide inconstantem et vacillantem. Elias olim fugit Jezabel, S. Paulus fuga Damasci præposito se subtraxit;

S. Polycarpus, S. Cyprianus, S. Athanasius et multi alii sancti viri fugerunt. Ergo.

Diximus *communiter* : nam si fidei confessio honori Dei vel utilitati proximi necessaria esset, fugere non liceret. Hinc qui curam habet animarum, persecutionem contra se tantum directam fugere potest, modo aliunde subsidia religiosa suo populo non sint defutura. Sed persecutionem sibi et populo fideli communem fugere non posset, ob detrimentum populo inde obventurum : nam *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis,* Joan. x, 11.

Seclusa autem necessitate atque proximi utilitate, externa fidei professio tempore persecutionis, nedum necessaria, quandoque illicita esset; v. g., si quis temere se exponeret periculo tormentorum, quæ forsan tolerare non valeret; si per hanc intempestivam fidei professionem daret infidelibus occasionem peccandi, fideles persequendi, etc.

Præter divinum fidem confitendi præceptum de quo huc usque diximus, datur ecclesiasticum quo astringuntur, ex concilio Trid., sess. 24, de Reform. cap. 12, 1° provisi de beneficiis curam animarum habentibus, qui, intra duos menses a die possessionis, coram episcopo, vicario generali aut officiali « orthodoxæ suæ fidei publicam fa» cere professionem, et in Ecclesiæ Romanæ obedientia » se permansuros » spondere debent ac jurare. 2° Provisi de canonicatibus vel dignitatibus idem facere tenentur, non solum coram episcopo seu ejus officiali, sed etiam in capitulo. 3° Quicumque in patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos promovendi, in prima synodo provinciali in qua interfuerint idem facere debent, ex eodem Concilio, sess. 25, de Reform. cap. 2. 4° Eadem lege tenentur omnes prælati religionum, ex Pio IV, et omnes promovendi in doctores, magistros, regentes et professores, ex Pio V, ut videre est apud *Concina,* l. 1, in Decal., de Fide, cap. 13, n. 12; S. Ligorium, l. 2, n. 11, etc. Verum hæc decreta in multis locis non fuerunt recepta, vel desuetudine fuerunt abolita aut mutata. In Gallia nunc ad solos episcopos in consecratione sua, et canonicos in sua

installatione reducta sunt in praxi. Videantur quæ dicta sunt t. IV, p. 577.

Punctum secundum. — *De præcepto negativo fidem exterius profitendi.*

Apud omnes constat existere præceptum non negandi fidem, obligans semper et pro semper : nam 1° Christus ait, apud Matth. x, 33 : *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo;* et B. Paulus, II Timoth. II, 12 : *Si sustinebimus, et conregnabimus; si negaverimus, et ille negabit nos.* 2° Ecclesia semper detestata est et gravissimis pœnis mulctavit eos qui in persecutionibus fidem Christi exterius tantum negabant, ut acerbissimam devitarent mortem. 3° Vel fidem exterius negans, eam interius abjiceret, vel non : si prius, vera esset apostasia; si posterius, esset mendacium Deo valde injuriosum. Ergo.

Notandum fidei occultationem ab ejus negatione valde differre : fidem nunquam negare licet, patet ex dictis; eam vero occultare, quando non urget præceptum affirmativum eam exterius confitendi, nullum est peccatum. Unde, seclusa intentione fidem negandi, hoc admittendum est generale principium quoad externa : Vel verba aut signa, quibus utimur, nullam movent suspicionem de fide nostra; vel ex circumstantiis dant occasionem judicandi nos veram negare fidem, aut de illa erubescere. In priori casu nullum est peccatum si præceptum affirmativum de fide exterius profitenda non urgeat, quia est mera fidei occultatio : in posteriori vero, adest fidei negatio vel erubescentia saltem virtualis, et nulla ratione cohonestari potest.

Quod spectat ad communicationem ritibus hæreticis aut schismaticis, maxime ab ea semper abhorruit Ecclesia. Attamen, a Const. Martini V licita est cum omnibus, nisi sint nominatim denuntiati, communicatio etiam activa in civilibus : in sacris autem, si agatur de hæreticis aut schismaticis ecclesiam separatam constituentibus, communicatio passiva permittitur : communicatio vero

activa in terminis juris divini remanet, id est, prohibetur 1° quoties continet adhæsionem errori etiam mere externo, seu ritui habenti aliquid falsi aut ab Ecclesia reprobati; 2° quando inducit periculum seductionis; 3° quando scandalum fidelium generat. Hæc enim omnia prohibet lex divina. Vide Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 6, cap. 5.

Ex his principiis variæ nascuntur applicationes, quas singulatim indicare operæ pretium est.

1° Negat fidem, imo negat Christum qui negat se Christianum esse. Christus futuram Petri negationem annuntians non dixit, ut advertit S. Aug., Tract. in Joan. 113, n. 2 : « Discipulum meum te negabis; sed : Me negabis. » Negavit ergo ipsum, cum se negavit ejus esse discipu» lum. » Idem dicendum est de eo qui negaret se esse *papistam*, aut Romanum, supposito quod interrogatio ad dignoscendam religionem fieret : si autem ad cognoscendam nationem vel patriam dirigeretur, negatio purum esset mendacium.

2° Qui intuitu religionis interrogatus an sit Calvinista vel Mahumetanus, affirmaret, fidem negaret : idem quippe est dicere se hæreticum aut Mahumetanum, quam negare se esse Catholicum aut Christianum.

3° Fidem *a fortiori* negaret qui ante idolum genua flecteret, thus adoleret, aliave religionis signa exhiberet, etiam hæc intus detestando; nam externæ illæ actiones ex natura sua seu ex communi hominum usu et sensu religionem sapiunt : ergo ad idolum referri non possunt, etiam duntaxat exterius.

Objicitur quidem exemplum Naaman, qui ad fidem conversus licentiam obtinuit ab Eliseo, IV Regum, v, 18 et 19, cum rege Syriæ, domino suo, templum Remmon ingrediendi et ibi cum illo adorandi. Sed prius asseruerat se holocaustum et victimam diis alienis non facturum : terram de Israel asportare volebat ut super illam Domino sacrificaret : non ergo licentiam Remmon adorandi statim petebat, bene vero, quod plerique docent interpretes ut sibi liceret, sicut prius, dominum suum in templum se-

qui, brachium ei præbere, cum illo ambulare, stare, procumbere. Hæc omnia exprimuntur per verbum adorare; tale autem obsequium præsertim in eo qui palam noscitur ut solius Dei veri cultor, ad idolum non refertur. Ideo Eliseus dixit Naaman hoc deprecanti : *Vade in pace*, id est, hæc te non torqueant, ne habeas scrupulum. Vide D. *Calmet*, dissert. in hanc orationem Naaman.

Contra vero Daniel et ipsius socii statuam Nabuchodonosor adorare non potuissent, quia illa adoratio ut cultus religiosus petebatur; itaque extrema maluerunt subire supplicia quam ita veri Dei honorem prævaricari.

4° Si tyrannica potestas juberet ut catholici cœtibus hæreticorum vel schismaticorum, religionis causa, assisterent, prout in Gallia contigit annis 1792 et seq., potius moriendum esset, quia obedientia in iis circumstantiis esset adhæsio hæresi vel schismati. Eo sensu respondit Paulus V, a catholicis Anglis hac de re consultus an. 1606, et Pius VI, in brevi diei 13 martii 1792, ad clerum et populum regni Galliarum directo. Idem tamen Pontifex, consultus an liceret fidelibus genua flectere coram hostiis consecratis ab intrusis, respondit, die 1 aprilis 1794, id faciendum esse, « cum in iis (hostiis) contineantur vere, » realiter et substantialiter corpus et sanguis, una cum » anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi. Ne vero » in ejusmodi cultu præstando immiscere se videantur » catholici cum schismaticis, curabunt iidem catholici » occasiones declinare occursus schismaticorum, cum sa» cramentum deferunt. »

5° Qui ad vitandam persecutionem fingebant se assistere Missæ aliisve officiis, nihilominus gravissime peccabant; talis enim simulatio honorem Deo debitum subtrahit, populum scandalizat et habetur velut approbatio erroris. Unde Eleazarus valde laudatur in II Machab. VI, eo quod prætulerit mori quam simulare se manducasse de sacrificii carnibus, sicut rex imperaverat : *Patienter sustinens, destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem... Vita decessit, non solum juvenibus, sed et universæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis et*

fortitudinis derelinquens : et qui in persecutionibus accipiebant libellum quo significaretur eos, quamvis falso, idolis sacrificasse, vel edictis imperatorum satisfecisse, inter apostatas computati sunt. Ergo.

6° Pius VI, in responsis ad diversa quæsita, datis die 1ª aprilis 1794, prohibuit ne fideles absolutionem et communionem quovis anni tempore, etiam tempore paschali, a parocho jurato peterent, ne ad illum pro sacramentis Baptismatis aut Matrimonii adirent, « excepto tamen (ubi » res sit de Baptismo) casu extremæ necessitatis, in quo » non adesset alius valens baptizare, » ne munere patrini fungerentur; ne mulieres post puerperium benedictionem ab eo peterent : non vetuit tamen ne absolutio in articulo mortis ab hujusmodi sacerdotibus, deficiente quovis alio catholico sacerdote, reciperetur, ut in Tractatu *de Pœnitentia* diximus.

7° Templa schismaticorum, hæreticorum vel infidelium ingredi licet, justis de causis, v. g., ad ea visitanda, ad videndas cæremonias, non vero ad implenda officia religiosa, sive sincere, sive ficte, quia ingressio templi, præsentia corporalis ad cæremonias in eo exercitas non est ex natura sua protestatio religionis. Assistentia prædicationi ex sola curiositate, non est pariter communicatio in divinis, et secluso periculo perversionis aut scandali, non esset prohibita. Hinc excusari possunt milites qui ad templa hæreticorum certis diebus cum hæreticis ducuntur, ibique sermones audiunt : sed nullo signo manifestent se ritus hæreticos approbare, cœnæ non participent, cum hæreticis non cantent nec orent, ac contra periculum perversionis se, quantum poterunt, obmuniant. Cœtus igitur legatorum vel magistratuum diversos cultus profitentium, v. g., Lutheranorum et catholicorum, simul divinis officiis assistere non possunt, modo apud catholicos et altera vice apud Lutheranos : duo sponsi, unus catholicus, et alter hæreticus vel schismaticus, matrimonium, ut actum religionis, contrahere nequeunt ante parochum catholicum et deinde ante ministrum hæreticum, aut vice versa, etc.

8° Attamen « in Germania, inquit *Busenbaum* et post » eum S. Ligorius, audire conciones hæreticorum, deducere funus, assistere baptismo pro patrino, non habentur signa professionis fidei vel communionis cum hæreticorum sacris. Unde, seclusis aliis, v. g., scandalo, » periculo, prohibitione, et si ex justa causa fiant, licent. » » Si promittendum esset, ut in quibusdam locis, puerum cura patrini educandum fore in religione reformatorum, licitum non esset pro dicto patrino procuratione fungi, nec a fortiori catholicus se præstare posset ut patrinum. Nec probabilius prolem hæretici e sacro fonte suscipere potest, etiam quando ritu catholico non essentialiter differt, et nulla fit promissio hæretica, nec officium paranymphi in matrimonio acatholicorum exercere posset.

9° Uti vestibus aut signis infidelium alium usum non habentibus quam falsum exhibere cultum, quales sunt vestes in sacrificiis usitatæ, ut falsæ religionis professio haberetur, nisi jocose et derisorie fieret; item, uti vestibus etiam communibus, quæ continerent quemdam actualem cultum, ut si depictam exhiberent imaginem idoli. Secus vero adhibere vestes aut signa quæ nihil hujusmodi præ se ferrent, nec determinata essent ad falsæ religionis professionem, videlicet quæ nationem vel quemdam personarum ordinem designarent : qui, v. g., toboleam albam (*turban*) apud Turcas deferret, Mahumetismum profiteri non ideo censeretur, nec qui flavo pileo apud Judæos in nonnullis locis consueto uteretur, censendus esset Judæus. Sic *Busenbaum*, *Sanchez*, *Layman*, *Covarruvias*, S. Ligorius, etc., contra plures alios. Gravem tamen requirit causam *Suarez*, ut hæc dissimulatio sit licita, quia habet saltem speciem mendacii.

10° Fatentur omnes non licere, etiam ad vitandam mortem, obtemperari ei qui, ex odio vel contemptu fidei aliquid de natura sua malum vel etiam indifferens exigit, quia nunquam propriæ utilitati nostræ consulere possumus cum detrimento honoris Dei. Secus vero, ipsæ leges ecclesiasticæ negligi possunt et omitti, ubi id necessarium est ad evadendum grave periculum. Unde qui per loca

hæretica transiens, grave timet incommodum si deprehendatur ut catholicus, carnibus die prohibito vesci potest ad dissimulandam fidem, ut periculum imminens, v. g., vitæ, verberum, jacturæ bonorum, etc., præcaveat, non vero si sola derisio aut vexatio timenda esset. Ita communiter theologi, et ratio est quia esus carnium diebus prohibitis non est essentialiter professio falsæ religionis, cum id etiam faciant gulosi et mali catholici, et multi legitimam habeant causam sic agendi. Si vero id in odium religionis catholicæ postularetur, graviter illicitum et fidei oppositum foret.

Idem dicendum est de omissione divini officii et Missæ, de exercitatione operum servilium, mercatus, etc.

11° Quoad subministrationem auxiliorum in exercitium cultus falsi, omnes cooperandi modi, qui involvunt participationem ipsi cultui falso vel tacitam illius approbationem, sunt in omni casu prorsus illiciti. Qui autem hujusmodi participationem vel tacitam approbationem non involvunt, fieri possunt liciti ratione necessitatis proportionatæ ad gradum inflexus, modo in contemptum veræ religionis non exigantur. Hæc ex principiis circa cooperationem deducuntur. Hinc qui in cœtibus religiosis infidelium, hæreticorum vel schismaticorum januas aperirent et clauderent, organa aliave instrumenta pulsarent, metros canerent, campanas sonarent, etc., contra fidem peccarent, ut ex variis decretis supremæ Inquisitionis et pluribus Constitutionibus Bened. XIV contra ritus Madurenses et Sinenses eruitur. Vide P. *Antoine*, edit. in-8, t. II, p. 200.

In eadem prohibitione generali comprehenduntur etiam qui falsorum deorum imagines ab infidelibus colendas pingunt, idola fabricant aut vendunt, templa ædificant, instaurant, mundant, decorant, etc.

Cum tamen posteriora hæc opera participationem cultui falso ejusque tacitam approbationem necessario non involvant, sicut priora, nobis videtur illa fieri posse licita si gravissima urgeret necessitas, et in contemptum veræ religionis non exigerentur.

§ IV. — De vitiis fidei oppositis.

Fidei opponitur infidelitas, ut fert ipsius nomen : triplici autem modo existere potest infidelitas, vel quia nondum habita est fides, et est infidelitas simpliciter dicta; vel quia fides accepta ex parte deseritur, et est hæresis; vel quia fides totaliter deseritur, et est apostasia.

Punctum primum. — *De infidelitate.*

Tripliciter aliquis vera fide carere potest, vel quia de fide nihil audivit, et ipsius infidelitas dicitur *negativa;* vel quia fidem sufficienter sibi propositam amplecti noluit, aut, data occasione, notitiam fidei comparare neglexit, et infidelitas ejus vocatur *privativa;* vel quia, de fide sufficienter instructus, errorem fidei oppositum voluntarie tuetur, et illius infidelitas est *positiva.*

De peccato infidelitatis.

Infidelitas negativa per se non est peccatum : nam 1° Christus apud Joan. xv, 22, ait : *Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent.* 2° Inter propositiones Baii, a summis pontificibus Pio V, Gregorio XIII et Urbano VIII damnatas, reperitur sequens, n. 68 : « Infidelitas pure » negativa in his quibus Christus non est prædicatus, » peccatum est. » Contradictoria est vera. Ergo.

Unde qui in hujusmodi infidelitate versantur, vel aliquod peccatum actuale habent, vel non : si prius, damnabuntur, non propter infidelitatem, quæ non est culpabilis, sed propter illud peccatum cujus remissionem sine fide, ad sensum antea expositum, obtinere non possunt; si posterius, in eodem statu existunt ac infantes non baptizati. Cæterum advertendum est constare, ex probatis in Tractatu *de Gratia,* dari cunctis infidelibus gratiam saltem remote sufficientem, qua recte utentes fidem et conversionem ad Deum obtinerent si vellent : non nisi ergo sua culpa peribunt.

Non est dubitandum quin infidelitas, sive privativa, sive positiva, sit peccatum, et quidem ex genere suo gravissimum cum Deo loquenti directe adversetur, et a voluntate pendeat, ut supponitur.

Inter infideles numerandi sunt, 1° pagani, a verbo latino *pago* sic dicti, quia idololatræ jussu imperatorum christianorum ab urbibus expulsi, in pagos se recipiebant ut idola sua colerent. Sub eo nomine comprehenduntur omnes rei creatæ cultores, id est idololatræ latissimo sensu, athei et deistæ qui non fuerunt baptizati : hi omnes antea dicebantur gentiles; 2° Judæi qui Messiam promissum semper exspectantes, cultum Mosaicum adhuc sequuntur; 3° Mahumetani, qui libros Veteris et Novi Testamenti admittunt, Moysen et Christum habent ut prophetas, sed Mahumetem his majorem esse arbitrantur ejusque doctrinæ ac cultui adhærent.

De conversione infidelium.

Quamvis infidelitas negativa per se non sit peccatum, sed effectus et aliquo sensu pœna peccati, scilicet Adami, nihilominus constat datum fuisse præceptum a Christo Apostolis eorumque successoribus prædicandi *Evangelium omni creaturæ,* Marc. XVI, 15 : vehementi igitur zelo flagrari debemus cujusvis generis infideles ad fidem christianam adducendi, persuasum habentes eos vix aliter salvari posse. Hinc laudabilis consuetudo in Romana Ecclesia perpetuo existens missionarios ad infideles per omnes universi orbis regiones mittendi.

Verum petitur a theologis an sola persuasionis via convertendi sint infideles, ita ut nunquam eos ad fidem amplectendam cogere liceat, et omnes affirmative respondent, sequentibus innixi rationibus : 1° Decretal. l. 3. tit. 42, cap. 3, § *Item*, et ibid. l. 5, tit. 6, cap. 9, ubi Clemens III ait : « Statuimus ut nullus invitos vel nolentes » Judæos ad Baptismum venire compellat. » Eodem sensu Nicolaus I respondit regi Bulgarorum eum hac de re consulenti anno 866; 2° praxi Ecclesiæ, quæ via coactionis nunquam usa est sive per se, sive per reges et imperato-

res christianos, sed, e contra, eam pluries reprobavit. 3° Sufficientem ad hoc non haberet petestatem, quia *de iis qui foris sunt judicare* non potest; I Cor. v, 12. 4° Natura fidei, quæ est actus mentis, non vero corporis, veram prærequirit libertatem, et Christus dicendo : *Qui crediderit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*, supponit unumquemque habere facultatem eligendi. Ergo. Attamen 1° principes christiani prohibere possunt ne subditi infideles cultum idololatricum exerceant, in quantum legi naturali adversatur; quia, vi supremæ auctoritatis, habent facultatem bonis moribus invigilandi et crimina verum Deum offendentia ac societatem scandalizantia impediendi : sic, plaudente Ecclesia, Constantinus Magnus et Theodosius idololatriam proscripserunt; 2° infideles subditos cogere possunt ad doctrinam fidei audiendam, illis denegando jus in provinciis suis habitandi, vel majus tributum eis imponendo, justum tamen, gratias aliis concessas recusando, etc.; sic Gregorius XIII, Constitutione 92, statuit ut Judæi Romæ degentes semel singulis hebdomadis concioni de rebus fidei interesse deberent, sub pœna interdicti cum fidelibus commercii; 3° compellere infideles etiam non subditos ut fidei propagationem non impediant, nam Ecclesia habet jus prædicandi Evangelium omni creaturæ per orbem universum : qui autem habet jus aliquod, eo ipso habet potestatem efficiendi, per se vel per alios, ut exsecutio illius juris non impediatur : ergo non repugnat principes christianos tanquam Ecclesiæ ministros aut ipsi justum præbentes auxilium, violentias infidelium contra fidei prædicatores directas impedire vel repellere. Ita S. Th. 2 2, q. 10, art. 8, et generaliter theologi.

At prorsus illicitum et a spiritu Evangelico alienum foret missionarios cum armis vel militibus incedere, ut infideles ad audiendam fidei doctrinam compellerent; arma enim virorum apostolicorum debent esse patientia, pax, jejunium, vigiliæ, castitas, charitas, veritas, mansuetudo, ut docet B. Paulus, II Cor. vi, 4 et seq. Unde verba Christi, Luc. xiv, 23, *compelle intrare*, sensu mo-

rali accipienda sunt, et intelligenda de compulsione per media suasionis.

De commercio cum infidelibus et rituum tolerantia.

1° Constat, ex supradictis, cum infidelibus in cultu eorum falso vel in cæremoniis ad illum attinentibus communicare illicitum esse. Attamen dicunt auctores illicitum non esse cum infidelibus communicare per quædam sacramentalia, v. g., eis dare aquam benedictam, eos admittere ad orandum ritu catholico. Quidam dubitant an liceat eos tolerare in ecclesia dum celebratur Missa, sed post offertorium. Verum, si turmis se immisceant, non videntur arcendi, quia, inquit *de Lugo*, communiter fructus speratur. Ostendimus in Tractatu *de Matrimonio* quid sentiendum sit de matrimonio cum infideli inito vel ineundo. Restat igitur ut de commercio civili quædam dicamus.

2° Secluso perversionis aut scandali periculo, in cunctis civilibus officiis cum infidelibus communicare licet : quod ipse B. Paulus agnoscit, dicens, I Cor. x, 27 : *Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate.*

3° At jure canonico, Decreti 2ª parte, causa 28, q. 1, can. 13 et 14, et decretal. l. v, tit. 6, cap. 13, statutum est quod non liceret 1° cum Judæis habitare ; 2° conviviis eorum interesse vel eos invitare ; 3° in communi balneo lavari ; 4° eos ut medicos adhibere ; 5° medicinas ab eis datas accipere ; 6° filios eorum in domibus ipsorum enutrire, seu munia nutricis exercere ; 7° iis famulari ; 8° eisdem servitute subjici ; 9° eos in publicis officiis inter Christianos constituere ; 10° eorum azymis vesci : et hæc quidem tum ad dignitatem religionis christianæ conservandam, tum ad vitandum perversionis periculum, ex familiaritate cum Judæis Christo specialiter adversantibus eumque blasphemantibus oriturum. Si non sit periculum perversionis, scandali aut nimiæ familiaritatis cum Judæis, hæc sæpe excusantur a mortali et aliquando ab omni peccato. Sic *Busenbaum* et post eum S. Ligorius,

dicentes hanc sententiam esse communem. Vide *Concina* pro diversorum casuum explicatione.

4° Ritus infidelium a principibus christianis nunquam approbari aut foveri possunt, sed eos aliquando tolerare licet, si nempe per eorum prohibitionem majora inducerentur mala, majora impedirentur bona; ex duobus quippe malis quæ devitari nequeunt, majus vitandum est.

5° Judæi specialius tolerantur, quia ex eorum conservatione magnum provenit Ecclesiæ bonum, videlicet testimonium fidei nostræ, ex hostibus Vetus Testamentum custodientibus depromptum. Hinc in Decretal. lib. 5, tit. 6, cap. 3 et 7, statuitur Judæos unam tantum synagogam in una civitate habituros esse, quæ restrictio nunc in plerisque Europæ regnis non admittitur.

Punctum secundum. — *De hæresi.*

Hæresis, a verbo græco αἱρέω, *seligo*, cui affinis est vox latina *secta*, a verbo *seco*, est voluntarius et pertinax error intellectus contra aliquam fidei catholicæ veritatem in eo qui fidem recepit.

Dicitur 1° *error intellectus;* quia, sicut fides est actus intellectus veritati a Deo revelatæ adhærentis, ita hæresis debet esse actus intellectus veritatem a Deo revelatam rejicientis. Unde qui aliquam fidei veritatem exterius tantum negat, non est hæreticus, nec pœnas contra hæreticos latas coram Deo incurrit.

Dicitur 2° *voluntarius et pertinax;* voluntarius quia, nullum esse potest peccatum sine actu voluntatis; et pertinax, quia, ex omnium consensu, hæresis non simplicem supponit errorem, sed resistentiam auctoritati revelationem proponenti : hæc tamen resistentia in uno temporis momento sufficienter existere potest; nec requiritur ut veritas quæ rejicitur habeatur ut revelata : satis est quod sufficienter proponatur, ut bona fides existere nequeat. Hinc qui superbia, præjudiciis, aliisve passionibus abrepti negant propositionem ab Ecclesia definitam, vel adhærent propositioni damnatæ ut fidei adversæ, prætendentes, sine

rationabili fundamento, illam sic non fuisse definitam aut damnatam, vel Ecclesiam in tali puncto infallibilem non esse, merito judicantur hæretici.

Dicitur 3° *contra aliquam fidei catholicæ veritatem* vel etiam contra aliquas : in hoc enim hæresis ab apostasia proprie dicta distinguitur, quod scilicet unum vel plura fidei catholicæ dogmata rejiciat, dum apostasia omnia deserat. Veritas autem fidei ea est quæ ab Ecclesia clare fuit proposita ut revelata. Unde qui negaret veritatem revelatam, sed non clare ab Ecclesia propositam ut revelatam, non esset stricte loquendo hæreticus.

Dicitur 4° *in eo qui fidem recepit;* qui enim fidem nullo modo recepit, est infidelis simpliciter dictus, et non hæreticus. Non tamen necesse est ut baptismum realiter susceperit; nam Paulianistæ, qui verum baptismi ritum non servabant, nihilominus habiti sunt ut hæretici: item et diebus nostris ut tales habentur Sociniani, licet omnem auferant baptismi necessitatem pro iis qui in Christianismo nascuntur. Verumtamen qui valide non fuerunt baptizati licet coram Deo hæretici, pœnas ecclesiasticas in hæreticos latas incurrere non possunt, quia reipsa de foro Ecclesiæ non sunt.

Certum est hæresim gravissimum esse peccatum : destruit enim fidei virtutem, cum, ex dictis in Tractatu *de Fide,* cap. 6, art. 2, fides in hæretico formali remanere non possit : porro fides est præstantissima virtus, fundamentum justitiæ, radix cæterarum virtutum; sine illa impossibile est placere Deo : ergo.

Dubium voluntarium de aliqua veritate quam Ecclesia proponit ut revelatam, judicando eam esse incertam, aut Ecclesiam eam proponendo errare posse, ad hæresim reducitur et grave est peccatum : nam *dubius in fide infidelis est,* ut habetur in Decretal. l. 5, tit. 7, cap. 1, et ita omnes sentiunt.

Qui assensum deliberate suspenderet circa veritatem sufficienter propositam, ob difficultates intellectui suo objectas, fidem jam non haberet; æquivalenter enim judicaret incertam esse propositionem de qua agitur : secus,

si assensum suspenderet, non ob difficultates objectas, sed quia intellectum ad res alias considerandas divertit; quia firmitas fidei in intellectu ejus non ideo est vacillans. Ita communiter theologi.

Notandum præcedentia dicta non esse pro scrupulosis qui ordinarie dubia circa fidem exsurgentia contemnere debent. Vide quæ diximus in Tractatu *de Pœnitentia,* ubi de agendi ratione confessarii erga scrupulosos.

Nunc seorsum nobis dicendum est, 1° de pœnis hæreticorum; 2° de eorum absolutione, 3° de prohibitione librorum hæreticorum, et 4° de disputatione cum hæreticis.

De pœnis hæreticorum.

1° Certum est Ecclesiam suam non amittere auctoritatem in filios sibi rebelles : hæreticos igitur valide baptizatos pœnis congruentibus plectere potest.

2° *Notandum* quod, ex communi theologorum et canonistarum sententia, hæresis interna non sufficiat ut pœnæ canonicæ incurrantur : debet esse exterius per actus aut signa non æquivoca manifestata. Non tamen necesse est ut sit publica, nisi de publicis effectibus agatur; v. g., de sacramentorum aut sepulturæ ecclesiasticæ denegatione.

Pœnæ autem adversus hæreticos latæ, sunt : 1° excommunicatio major, et quidem *latæ sententiæ,* juxta communem sensum, ex Decreto, parte 2, causa 24, canon. 1 et 3, ex Decretal. l. 5, tit. 7, c. 13, et ex bulla *In Cœna Domini :* ad gravissimam hanc incurrendam pœnam, ex communi doctorum consensu, sufficit hæresis occulta, modo exterius, verbo, signo aut facto prodeat, etiam nemine teste; 2° irregularitas, de qua in Tractatu *de Irregularitatibus* diximus; 3° privatio beneficiorum et dignitatum ecclesiasticarum, ex sexto Decretal., lib. 5, tit. 2, cap. 12, sed per judicis sententiam; 4° privatio jurisdictionis spiritualis, ex Decreto, parte 2, causa 24, q. 1, can. 4 et 36 ; S. Th. aperte docet, 2 2, q. 39, art. 3, hæreticos et schismaticos omni jurisdictione privari. At ex bulla Martini V *Ad evitanda scandala,* in concilio Cons-

tantiensi, anno 1417, data, ii soli jurisdictionem amittunt qui per sententiam fuerunt denuntiati, vel qui ab Ecclesia manifeste recesserunt ut sectæ separatæ adhærerent vel novam formarent sectam; tunc enim jurisdictioni ecclesiasticæ renuntiare censentur; et aliunde Pontifex, in dicta bulla, loquitur tantum de hæreticis inter catholicos versantibus, qui omni jurisdictione ante sententiam judicis, privari non possent sine animarum anxietatibus et gravi incommodo: secus vero ubi agitur de iis qui ab Ecclesia manifeste separati sunt: vide Tractatum *de Ecclesia;* 5° privatio sepulturæ ecclesiasticæ, ex Sexto Decretal., lib. 5, tit. 2, cap. 2; sed hæc pœna infligitur tantum hæreticis denuntiatis vel alicui sectæ ab Ecclesia separatæ adhærentibus. Sæpe tamen inflicta est Jansenianis tanquam rebellibus et ex specialibus episcoporum statutis.

3° *Notandum* credentes, receptatores et fautores hæreticorum ipso facto excommunicari, ex Decretal. lib. 5, tit. 7, cap. 13, § *Credentes.*

4° Plures aliæ reperiuntur pœnæ in jure canonico adversus hæreticos decretæ, v. g., infamia, amissio potestatis paternæ in filios, confiscatio bonorum, ita ut filii et filiæ etiam catholici parentum hæreticorum hæredes non sint, neque per testamentum, neque ab intestato; exsilium, carceres, extrema supplicia, etc.

5° S. Th. 2 2, q. 11, art. 3, aliique theologi, præsertim *Suarez,* contendunt has pœnas, ultimo supplicio non excepto, juste decerni posse; idque probant 1° exemplo Dei qui in veteri Lege jusserat falsos prophetas occidi, Deut. XIII, 5; 2° ex condemnatione art. 14 Joannis *Hus* in concilio Const., qui aiebat doctores affirmantes aliquem censuris ecclesiasticis resistentem et corrigi nolentem, judicio sæculari tradendum esse, comparandos fore pontificibus, Scribis et Pharisæis, qui Christum sibi in omnibus obedire nolentem tradiderunt Pontio Pilato; 3° ex usu et praxi Ecclesiæ, quæ hujusmodi pœnas sæpe decrevit; 4° ratione: constat enim hæreticos rempublicam christianam sæpe graviter perturbasse.

6° Ecclesia, vi promissionum Christi, semper juste judicat, sicut infallibiliter docet : pœnas autem corporales quas adversus hæreticos juste decreverat, per christianos principes aut magistratus pro bono spirituali et temporali societatis christianæ infligebat, ut plures volunt : vel, ut alii melius explicant, ministri Ecclesiæ sive episcopi jure ordinario in sua diœcesi, sive inquisitores jure delegato, doctrinas tantum judicant, hoc unum inquirentes, nempe ut error a fidelibus arceatur; etsi pœnæ afflictivæ, vel etiam capitales, adversus hæreticos fuerint institutæ, id tribuendum est imperatoribus et regibus qui hujusmodi novatores bono reipublicæ noxios arbitrabantur. Sic *Devoti,* t. IV, p. 112 et seq., multas citans auctoritates.

7° In hac agendi ratione generaliter spectata quid deprehenditur arguendum, maxime si attendantur constitutiones eorum regnorum christianorum in quibus omnis hæresis tanquam societati perniciosissima excluditur? Non ideo casus particulares vel sententias cunctorum tribunalium Inquisitionis defendere tenemur.

Prædictæ pœnæ temporales a longo tempore non sunt in usu iis in locis in quibus civilis existit tolerantia et ubi impune grassantur hæreses.

Cæterum S. Th., loco citato, et post ipsum theologi, volunt ut hæretici ad Ecclesiam redeuntes, etsi sæpe relapsi, semper recipiantur, quia Ecclesia est benignissima et gremium suum nulli claudit.

Notanda de pœnis schismaticorum.

Inter schismaticos, alii sunt mixti et alii puri. Schismatici mixti ii sunt qui cum recessu ab obedientia capitis Ecclesiæ, seu ab unione universalis Ecclesiæ, sociant hæresim saltem in aliquo puncto. *Nullum schisma non aliquam sibi confingit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.* (Decret. part. 2, caus. 24, q. 3, can. 26.) Schismatici puri ii essent qui, a communione Ecclesiæ recedentes, nullum in fide admitterent errorem.

Schismatici mixti omnibus hæreticorum pœnis subja-

cent, ut patet. Pœnæ autem schismaticorum purorum sunt sequentes :

1° Excommunicatio major, quæ, juxta multos, ipso facto incurritur, et secundum alios non nisi per sententiam, maxime ubi bulla *In Cœna Domini* non servatur.

2° Inhabilitas ad requirenda beneficia vel officia ecclesiastica, et præsertim ad obtinendam dignitatem episcopalem. Abjurato schismate, statim cessat inhabilitas.

3° Schismatici beneficiis et officiis ante schisma acquisitis per sententiam privari possunt, non autem ipso facto privantur.

4° Schismatici nominatim denuntiati, vel sectæ omnino et evidenter separatæ adhærentes, jurisdictione ecclesiastica ipso facto privantur, adeo ut collationes beneficiorum, sententiæ censurarum, absolutiones, etc., ab eis factæ, ipso facto sint irritæ. Secus judicandum est quamdiu separatio non est manifestata.

5° Qui Ordines a schismatico scienter recipiunt, ipso facto sunt suspensi.

Circa hos aliosque schismaticorum casus, videri potest *Ferraris*, v° *Schisma*.

Ut specialiter noscatur quid sentiendum sit de schismate gallicano anni 1791, in primis consulenda sunt Brevia Pii VI, 13 aprilis 1791 et 19 martii 1792, ex quibus apparet dictum Pontificem *intrusos* ac *juratos* ab Ordine suspendisse, et majorem excommunicationem comminatum fuisse.

Non videtur autem excommunicationem nec suspensionem *ab officio* vel a *beneficio* de facto inflictam esse. Sequitur laicos censuras proprie dictas non incurrisse. Sancta Sedes concessit quidem episcopis facultatem absolvendi a censuris sacerdotes qui schismati adhæserant; sed hæc facultas suam habebat applicationem in absolutione a suspensione. Aliunde, plurimi sacerdotes excommunicationem incurrere potuerant per apostasiam a *statuto religioso* vel etiam ab *Ordine sacro*, aut per adhæsionem *Constitutioni civili*, si, emittendo juramentum præscriptum, probaverint ex animo errores in ea con-

tentos quos Pius VI enumerat et vocat hæreses, in longo Brevi 10 martii 1791, ad cardinalem *de la Rochefoucault.*

De absolutione ab hæresi.

1° Ab hæresi interna, nullo signo exteriori manifestata, non tantum episcopus, sed etiam quilibet confessarius simpliciter approbatus absolvere potest, ut communiter docent theologi etiam extranei, quia hæresis ob censuram reservatur, et nulla est censura pro culpa mere interna : item non reservatur peccatum illius qui verbo aut facto aliquem fidei articulum negavit, interius assensum retinendo; nam, licet in foro externo habendus sit ut hæreticus, coram Deo labe hæresis non est maculatus.

2° Certum est episcopos jure proprio habere potestatem absolvendi ab hæresi, et hæreticos resipiscentes cum Ecclesia reconciliandi, ut ex antiquis synodis et Patribus fuse ostendit Collat. Andeg., t. IV, p. 5, et agnoscit Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 9, cap. 4. Sed jus illud varias pro tempore subiit mutationes, ut nunc dicendum venit.

3° Constat etiam nunc jure communi pertinere ad episcopos de hæresi inquirere et judicare, ac proinde pœnas judicialiter infligere et tollere. Igitur Episcopus absolvere potest hæreticum resipiscentem et ad se sponte venientem, aut ad forum suum adductum, vel eum, postquam errores suos ejuraverit, ad simplicem remittere confessarium, qui illum pro utroque foro absolvere poterit, tum ab hæresi, tum a censura ob hæresim incursa : id pluribus auctoritatibus adstruit Bened. XIV, loco citato, n. 3.

4° At difficultas est de hæresi quæ mansit occulta et ad forum externum non fuit deducta, an reservetur summo Pontifici, an vero episcopi ab illa absolvere possint. Conc. Trid., sess. 24, cap. 6 de Reform., tribuit episcopis, non vero eorum vicariis, facultatem absolvendi, in eo casu, tum a delicto, tum a censura. Sed valde controvertitur apud Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 9, cap. 21, num illa facultas per bullam *In Cœna Domini* fuerit sublata.

Affirmat illustris Pontifex, cum aliis plurimis, quorum sententia longe probabilior videtur. Unde nunc jure communi reservatio viget.

5° An autem hæc reservatio obtineat etiam apud nos? Expresse affirmat idem Pontifex, cap. 5. Verum gallicanarum consuetudinum assertores tenent episcopos in Gallia a crimine hæresis, sive occultæ, sive publicæ, per se vel per vicarios suos vel per quoslibet sacerdotes a se delegatos, absolvere posse, ratum habentes neque concilium Trid. hac in parte, neque bullam *In Cœna Domini*, apud nos fuisse recepta, ac consequenter veterem disciplinam permansisse.

Card. *Gousset* in Coll. Andeg., 2ª edit. in-8°, t. IV, p. 53, ait hanc facultatem episcopis Gallicanis sublatam fuisse per Constitutionem qua Pius VII antiquas sedes episcopales cum privilegiis earum exstinxit et novas erexit; at, juxta expositam Gallorum opinionem, hæc Constitutio non effecit ut bulla *In Cœna Domini* vim legis haberet, et revera de facto, ferme omnes episcopi Galliarum, nunc sicut olim, ab hæresi, sive occulta, sive publica, absolvunt, quod agnoscit idem card. *Gousset*, in sua Theologia morali, t. II, p. 627. Vid. quod diximus, t. IV, p. 578.

Hæc autem episcoporum Galliarum facultas cessat in iis casibus quos S. Pontifex speciatim sibi reservat, ut accidisse videtur quoad eos qui Constitutioni civili adhæserunt.

6° Omnes autem Galliarum episcopi sibi reservasse videntur externam hanc absolutionem, quæ ordinarie præcedere debet reconciliationem fori pœnitentialis, pro iis hæreticis qui sectæ separatæ et anathematizatæ publice adhæserunt. Unde specialis ad hoc necessaria est commissio prout episcopus judicat expedire, habita ratione circumstantiarum. Publica enim hujusmodi reconciliatio non ita facile nunc imponenda est.

De prohibitione librorum in genere.

1° Semper ægre tulerunt hæretici Ecclesiam libros eorum prohibere. Protestantes et recentiores increduli

multa congesserunt ut ostenderent illam tali non gaudere facultate, vel potius ut illam illiusque auctoritatem suggillarent. Inconcussis vero momentis demonstratur illam de sensu librorum infallibiliter judicare, ac potestatem malos prohibendi a primis sæculis usque ad nos exercuisse, ut videre est in Tractatu nostro *de vera Ecclesia*, parte 2, cap. 4, art. 3.

2° Cum autem, inventa arte typographica, libri hæreticorum facile divulgarentur, Paulus IV jussit ut Index librorum vetitorum conficeretur. Patres concilii Trid. judicarunt, referente Pallav. l. 15, cap. 19, hunc Pauli IV Indicem correctione plurima indigere; novum ediderunt Indicem, eum judicio et approbationi submiserunt Pii IV, qui illum expendit et a viris peritis expendi præcepit, atque bulla diei 24 martii 1564 confirmavit. Quoniam libri perniciosissimi quotidie prodibant, S. Pius V sacram *Indicis Congregationem* instituit, cujus esse voluit librorum vetitorum Indicem conficere, et curare ut novæ censuræ, prout opus erit, ei addantur. Hæc Congregatio, ex cardinalibus ac pluribus aliis viris doctis constans, semper existit, et in judicandis operibus sibi delatis optimas ac benignas sequitur regulas, quas fuse tradit Benedict. XIV Constitutione *Sollicita*, diei 9 julii 1753.

Vox *Index* venit a verbo *indicare*, quia libros a quibus abstinendum est indicat.

3° In eo Indice prohibentur, 1° omnes libri ante annum 1515 a conciliis œcumenicis vel a summis Pontificibus damnati, etsi in eo Indice non inscripti; 2° omnes libri hæresiarcharum, id est, eorum qui fundatores vel duces fuerunt sectarum hæreticarum, v. g., Lutheri, Calvini, Zuinglii, etc., cujuscumque sint tituli aut materiæ. Libri aliorum hæreticorum de religione tractantes, etiamsi nihil mali haberent, prohibentur; non vero qui de materiis a religione diversis tractant. 3° Versiones Veteris Testamenti ab hæreticis factæ solis viris doctis et piis, judicio episcopi, permittuntur; versiones vero Novi Testamenti ab hæresiarchis factæ nemini conceduntur. 4° Sacras Scripturas in linguam vernaculam a catho-

licis auctoribus versas nec legere, nec emere, nec vendere, nec retinere licet, sine licentia episcopi in scripto data : regulares hanc facultatem a prælatis suis obtinere possunt. Sed hanc licentiam episcopis et prælatis regularium sublatam fuisse contendunt doctores, ut infra dicturi sumus. 5° Lexica, Concordantiæ, Indices et alia hujusmodi hæreticorum opera, in quibus nihil fere est auctoris, probata permitti possunt. 6° Libri vulgari idiomate de controversiis inter catholicos et hæreticos nostri temporis disserentes non passim permittantur, sed idem servetur ordo ac pro Bibliis lingua vulgari scriptis : alii vero libri, si sanam doctrinam contineant, non prohibentur. 7° Libri qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant aut docent, omnino prohibentur, et qui eos habuerunt severe ab episcopis puniri possunt, nisi libri isti sint antiqui et ab ethnicis scripti. 8° Libri quorum principale argumentum bonum est, in quibus tamen aliqua incerta sunt ad hæresim, impietatem, divinationem vel superstitionem spectantia, modo a theologis catholicis expurgentur, permitti possunt. 9° Omnes libri et scripta geomantiæ, hydromantiæ, aeromantiæ, pyromantiæ, onomantiæ, chyromantiæ, necromantiæ, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, prorsus rejiciuntur.

4° Ex hac prohibitione Indicis sequitur omnes libros, de quibus huc usque diximus, jure communi nec legi nec retineri posse sine peccato mortali, nisi bona fides aut necessitas excuset, aut detur materiæ levitas, ut infra explicabitur.

5° In multis casibus incurritur excommunicatio, modo summo Pontifici reservata, ubi videlicet agitur de libris in bulla *Cœnæ* memoratis ; quandoque vero non reservata, ubi scilicet simpliciter adest censura Indicis.

Ex bulla *In Cœna Domini*, a pluribus summis Pontificibus in hoc confirmata, excommunicantur excommunicatione Papæ reservata, *hæreticorum libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate Sedis*

Apostolicæ, scienter legentes aut retinentes, imprimentes seu quomodolibet defendentes ex quavis causa publice vel occulte, quovis ingenio vel colore.

Plures igitur concurrere debent conditiones ut excommunicatio de qua agitur incurratur : scilicet 1° ut sit *liber*, id est, ait *Billuart*, opus ea quantitate compositum ut prudentium virorum judicio censeatur liber. Inter theologos graviter controvertitur an excommunicationem incurrant qui hæretici concionem, epistolam, orationem aliamve parvam scripturam manuscriptam vel impressam, hæresim continentem vel de religione tractantem, legunt. Multi affirmant, quia in his eadem est prohibitionis ratio, scilicet periculum perversionis. Alii vero non pauci negant, hac ducti ratione quod hujusmodi parvæ scripturæ, separatim spectatæ, proprie vocari non possint libri : attamen bulla loquitur de libris, non vero de foliis separatis. Ita *de Lugo, Busenbaum, Sanchez, Layman* et plures alii apud *Ferraris* et S. Ligorium qui huic sententiæ suffragantur. 2° Ut auctor libri prohibiti sit hæreticus, aut, si lateat auctor, liber de hæresi ex professo tractet. Unde qui legunt librum pagani, Mahumetani, Judæi alteriusve infidelis, etiam de religione tractantem et hæreses continentem, hanc excommunicationem reservatam non incurrunt; nec qui legunt librum auctoris catholici, hæreses ex ignorantia vel inadvertentia docentis, aut hæreticorum errores etiam in extenso referentis, ut eos impugnet; quia bulla *In Cœna Domini* loquitur de libris hæreticorum, et ex regula juris 14, *Odia restringi et favores convenit ampliari.* 3° Ut liber hæresim contineat vel de religione tractet; sic enim habet bulla, particula disjunctiva *vel* utens. Itaque liber auctoris hæretici vel unam continens hæresim, quamvis de materia a religione diversa tractet, vel nullum habens errorem, sed de religione tractans, v. g. de theologia dogmatica aut morali, de Scriptura sacra, de jure canonico, de ritibus Ecclesiæ, aut de aliis rebus spiritualibus, sub pœna excommunicationis prohibetur. 4° Ut liber *scienter* legatur vel retineatur, quia bulla hac utitur voce,

et, ex regula juris 49, *In pœnis benignior est interpretatio facienda.* Hinc qui ex ignorantia etiam vincibili nescit librum esse auctoris hæretici, vel hæresim continere, aut de religione tractare, excommunicationem non incurrit eum legendo vel retinendo. 5° Ut liber prohibitus in notabili materia legatur; sic communiter doctores, qui parvitatem materiæ admittunt, licet valde sibi dissentiant in assignando quid materiæ gravitatem constituat : alii enim requirunt paginam, alii dicunt tres aut quatuor versus sufficere, alii decem lineas; alii, cum quibus *Ferraris* et S. Ligorius, volunt attendendum esse finem prohibitionis, et si quis, aperiendo librum, in doctrinam fidei oppositam incidat, etiamsi paucas lineas legat, excommunicationem incurrit, quia periculo perversionis se exponit; si vero liber de re indifferenti tractaret, etsi prohibitus, forte qui usque ad paginam legeret, a peccato mortali et censura excusari posset. « Cæterum bene » incurri potest censura, legendo solum prooemium aut » indicem libri, si in notabili quantitate percurratur, » inquit S. Ligorius, App. III, de Prohib. lib. cap. v, n. 6. 6° Ut liber legatur vel retineatur absque auctoritate Sedis Apostolicæ. Unde qui hanc obtinuerunt licentiam, vel a Summo Pontifice, vel ab uno ex ejus delegatis, censuram non incurrunt.

6° Quod spectat autem ad censuram Indicis, hæc leguntur in fine regulæ x, excerpta ex bulla Pii IV, quæ incipit *Dominici gregis : Si quis libros hæreticos vel cujusvis auctoris scripta, ob hæresim vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita, legerit sive habuerit, statim excommunicationis sententiam incurrat.*

Ex his patet plerasque conditiones bullæ *In Cœna Domini* ab Indice requiri. Quædam tamen sunt differentiæ : sic 1° regula Indicis non memorat tantum *libros* sed etiam *scripta*, quod videtur comprehendere folia libri errantia, concionem, epistolam, etc. 2° Non tantum attingit scripta hæreticorum, ut bulla *Cœnæ*, sed cujusvis auctoris, modo scriptum fuerit damnatum ob hæresim vel ob alsi dogmatis suspicionem, proindeque ejus qui tantum

ante vel post scripti compositionem fuit hæreticus, et etiam catholici opus cui hæreticus scholia vel notas annexuisset.

Quoties igitur liber prohibitus versatur in conditionibus bulla *In Cœna* statutis, incurritur excommunicatio summo Pontifici reservata : ubi vero aliqua ex his conditionibus deest, sed reperiuntur conditiones quas regula Indicis citata exigit, datur excommunicatio, sed non reservata. Demum si qua ex his posterioribus desit, est culpa sine censura.

7° Duo supersunt notanda, nempe 1° qui linguam in qua scriptus est liber ignorat, censuram non incurrit, nec ordinarie peccat, librum legendo vel percurrendo, quia talis actio non est vera lectio, nisi materialis tantum. Verum parvi refert an qui legit, voce pronuntiet vel tacitus librum prohibitum oculis percurrat, modo quod videt intelligat. Sic *Ferraris*, n. 39 et 40, dicens hanc sententiam esse communem. 2° Ut communius et probabilius tradit S. Ligorius eum qui alterum audit librum prohibitum legentem censuram non incurrere, modo illum non induxerit ad legendum, quia reipsa non reputatur legere. Imo alii non pauci eum excusant qui alium induxit ad legendum, propter eamdem rationem. Hæc tamen sententia non est tuta.

8° Licentiæ legendi aut retinendi libros prohibitos nunc concedi non possunt, nisi a summo Pontifice, vel a sacra Congr. S. Officii, aut specialiter ab ipsis deputatis : sic expresse statuit Urbanus VIII, 2 aprilis 1631, revocans et annullans quascumque licentias a prædecessoribus suis concessas quibusvis personis. Unde ipsimet episcopi et cardinales prædictos legere non possunt libros, nisi habeant licentiam scripto sibi datam. Arbitratur tamen S. Ligorius episcopum in casu magnæ necessitatis hanc licentiam concedere posse; imo, et, ex justa epieikeia, excusari posse virum doctum qui, urgente necessitate, proprio motu legit librum prohibitum, puta, quia tali indiget lectione ut adversarios statim refellat, nec ad Papam, nec ad proprium episcopum recurrere potest.

S. Congr. Indicis nunc concedere potest licentiam quosdam libros prohibitos legendi, et magister Sacri Palatii pro urbe Roma et ejus districtu.

9° Non solum legentes, sed retinentes, vendentes, imprimentes libros prohibitos, eos ab uno loco in alium asportantes, in bulla continentur et censuram incurrunt. In librorum aliarumve scripturarum impressione quædam servandæ sunt regulæ in concilio Lateranensi V, sess. 10, traditæ, quæ spectant ad auctores, typographos et bibliopolas, tum Romæ, tum alibi degentes; in primis statuitur ut nullus imprimatur liber sine approbatione superioris ecclesiastici scripto data in forma authentica, et id quidem sub pœna confiscationis librorum et excommunicationis ipso facto incurrendæ. Plures hac de re casus reperiri possunt soluti apud *Ferraris*, n. 44 et seq. Vide in totam hanc materiam P. *Antoine*, nova edit. in 8°, t. II, p. 314 et seq.

10° Advertendum libros a Sancta Sede prohibitos, in quamcumque linguam vertantur, censeri ab eadem Sede ubique gentium sub eisdem pœnis interdictos et damnatos. Sic statuit Clemens VIII, in Instructione pro iis qui libris prohibendis aut expurgandis operam daturi sunt, § 6, in capite Indicis anni 1825.

11° Insuper Bened. XIV, in Constitutione *Sollicita*, § 22, instructionem Clementis VIII invocans, et § 23, auctoritatem Innocentii XI proferens, maxime commendat ut catholici auctores caute abstineant ab iis quæ famæ proximorum et præsertim ecclesiasticorum ac principum detrahunt, a facetiis aut dicteriis in præjudicium existimationis aliorum jactatis, *a quibuscumque conviciis contra eas propositiones quæ adhuc inter catholicos controvertuntur, donec a Sancta Sede recognitæ sint*; ac proinde iis non assimilentur de quibus ait S. Aug., Conf. l. 12, cap. 25, n. 34: *Amant suam sententiam, non quia vera est, sed quia sua est*, et aliorum opiniones non modo improbant, sed illiberaliter notant et traducunt.

De prohibitione librorum in Gallia.

1° Bulla *In Cœna Domini* et regulæ generales Indicis ejusque decreta vim legis non habent in foro externo, non solum in Gallia, sed etiam in multis aliis regionibus. 2° Quoad forum internum, duplex est sententia: alii tenent hujusmodi librorum prohibitiones non obligare in Gallia, nisi hæresis in hisce libris doceatur vel defendatur ex professo; alii autem communius et in praxi tutius docent quorumvis librorum prohibitiones universos obligare fideles. Nulli enim catholico dubium esse potest leges ecclesiasticas promulgandi modum a voluntate legislatoris pendere, ipsiusque esse suo consensu ratas habere consuetudines locales legibus suis oppositas. Videantur quæ exposuimus, t. IV, p. 578.

Nec ignorari debet propositio 45 ab Alexandro VII damnata, die 18 martii 1665 : *Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri usque dum adhibita diligentia corrigantur*. Curs. compl. t. VI, col. 699.

Boni catholici et quicumque saluti suæ consulere volunt, a lectione hujusmodi librorum caute abstinere debent, tum propter reverentiam Ecclesiæ et summo Pontifici debitam, tum propter periculum perversionis.

2° Nemo ignorare debet vigere in Gallia, fatentibus omnibus, Const. *Ad sanctam* Alexandri VII, 1657, qua sub pœna excommunicationis prohibentur *Augustinus* Jansenii, atque omnes libri præsentes et futuri quinque damnatas propositiones defendentes, inter quas sunt *les Provinciales de Pascal* et nonnullæ editiones *de ses Pensées*, etc.; Const. *Unigenitus* Clementis XI sub eadem pœna, prohibentis legere, transcribere, retinere librum *Quesnel* et quælibet scripta illum defendentia; Breve Innocentii XII condemnantis librum cui titulus : *Explication des Maximes des Saints*, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ : prohibetur hujus libri lectio et retentio; de aliis autem libris ad illum defendendum scriptis nihil dicitur.

Encyclica autem sua VII calendas julias 1834, Gregorius XVI librum dictum *Paroles d'un Croyant* reprobavit ac damnavit, sed nullas expressit censuras.

3° Procul dubio jus habent episcopi libros perniciosos in sua diœcesi prohibendi et censuras contra temerarios lectores decernendi : hoc quippe essentialiter pertinet ad munus quod habent jure divino populum sibi commissum sana doctrina pascendi. Hinc illimitata scribendi ac scripta publicandi libertas admitti non potest eo sensu quod Ecclesiæ pastores jus non habeant censuram exercendi, ut fortiter affirmat Greg. XVI, in sua Epistola encyclica diei 15 augusti 1832. Sæpe privati homines infauste libros suo examini subjicerent; sed Ecclesia, quæ est columna et firmamentum veritatis, eos merito judicat, approbat, vel prohibet.

4° In Statutis diœcesanis nostris sic habetur : « Qui » sine nostra speciali licentia legunt libros in quibus » hæresis vel impietas ex professo, id est scopo auctoris, » docetur vel defenditur, excommunicationem majorem » ipso facto incurrunt. »

5° Libri prohibiti legi non possunt sine competenti licentia. Licentia autem eos legendi importat licentiam eosdem retinendi.

De disputatione cum hæreticis.

1° Alexander IV, in Sexto, l. 5, tit. 2, cap. 2, ait : « Inhibemus ne cuiquam laicæ personæ liceat publice vel » privatim de fide catholica disputare. Qui vero contra » fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. » Quilibet ergo laici, sive docti, sive indocti, sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ, a disputatione cum hæreticis vel cum infidelibus prohibentur ; nulla enim admittitur distinctio. Excipiunt tamen theologi casum necessitatis in qua laicus doctus, deficiente clerico capaci, fidem a dicteriis hæretici vel increduli vindicare potest, imo et debet, ut ait P. *Antoine*, ob proximi salutem et fidei honorem. Idem P. *Antoine*, t. II, et *Ferraris*, v° *Fi-*

des, n. 40, dicunt hanc prohibitionem per contrariam consuetudinem abrogatam esse in regionibus in quibus catholici cum hæreticis commiscentur. In præsenti opinionum statu, sæpe necessarium aut saltem utile est ut, inter nos, ipsi laici errores et impietates incredulorum dictis refellant, et qui hoc perite præstant, a nemine reprehenduntur tanquam juri canonico adversi.

2° Disputare cum hæreticis non est prohibitum clericis jure ecclesiastico, nec etiam jure naturali, si sufficienter sint docti, et debitas prudenter observent circumstantias audientium, loci et temporis, ut honor veritatis periculo non temere exponatur, quod sedulo cavendum est; et ideo ipsi sacerdotes, « nisi sint valde periti, ex consilio » debent se abstinere, excusando se bonis verbis et præ- » textibus : » sunt verba decreti S. Cong. de Propaganda Fide, diei 26 febr. 1630.

3° Eadem sacra Cong., die 8 martii 1625, jam jusserat « publicas disputationes non fieri cum hæreticis, quia » plerumque, vel ob loquacitatem vel audaciam aut cir- » cumstantias populi acclamantis, veritas, falsitate præ- » valente, opprimitur; et si aliquando hujusmodi dispu- » tationes recusari non possint, primum de illis certior » fiat sacra Congr., quæ, juxta temporis et personarum » qualitatem, quid agendum sit præscribet. »

4° Stricte prohibitum fuit missionariis ne, absque Romani pontificis licentia, conventum indicent ecclesiasticum, in quo cum hæreticis de religione disputent. Si autem sanctissimus Pontifex hanc concedendam esse licentiam arbitretur, quasdam apponet conditiones, a quibus recedendum non erit, v. g., 1° ut hæretici non tanquam judices et cum jure suffragii conveniant; 2° ut fidei dogmata non definiantur, sed ut revelata et definita ostendantur; 3° ne disputatio locum habeat coram plebe, sed coram doctis; 4° ut laici etiam principes non sedeant velut judices; 5° ut prælati a principe sæculari ad conventum non cogantur, sed tantum invitentur.

Punctum tertium. — *De apostasia.*

Apostasia a verbis græcis ἀπὸ, *post*, et ἵσθημι, *sto*, defectionem aut recessum significat.

Triplex distinguitur, videlicet apostasia *a fide*, apostasia *a statu religoso*, et apostasia *ab Ordine sacro*.

Apostasia a fide est totalis a fide christiana per baptismum suscepta recessus : in eo tantum differt ab hæresi, quod hæreticus non rejiciat Christum, sed unam vel plures veritates a Christo revelatas, dum apostata, Christum penitus deserens, fit judæus, mahumetanus, paganus, vel religionem christianam ex animo rejicit per aliquod perfidiæ hujus signum externum. Apostasia igitur pejor est hæresi et iisdem omnino subjicitur pœnis. Qui vero religionis christianæ officia negligit, non intendens eam per signum aliquod externum abjurare, aut ritui infidelium adhærere, malus est Christianus, sed non apostata, nec pœnis in hæreticos latis obstringitur.

Apostasia a statu religioso in eo consistit ut quis in ordine regulari professus, a religione culpabiliter abscedat cum animo ad institutum regulare non redeundi, sive habitum exuerit, sive illum retineat. Qui cum licentia superioris discederet, vel haberet animum redeundi, vel ad aliud institutum regulare etiam laxioris observantiæ transeundi, proprie non esset apostata, sed ad summum fugitivus, cum vitæ regularis substantiam servare intenderet.

Pœnæ quibus subjacent apostatæ a statu religioso sunt : 1° excommunicatio major latæ sententiæ, si habitum deseruerint; secus, si habitum retinuerint, ut ostendit *Ferraris*, v° *Apostasia*, n. 49 ; 2° suspensio ab Ordinibus durante apostasia susceptis ; 3° privatio privilegiorum religioni annexorum, vocis activæ et passivæ, etc.

Apostasia ab Ordine sacro locum habet cum quis clericatui omnino renuntiat, ut vitam laicalem ducat, et, eo animo, id omne quo vir dignoscitur ecclesiasticus abjicit, vel se tradit professioni a statu clericali omnino alienæ, v.g., militiæ, aut matrimonium contrahit. Supponitur

quod sacris Ordinibus sit initiatus, cum simplex clericus et acolythus statum clericalem et ejus insignia licite deserere possint.

Pœnæ autem contra hujusmodi apostatas sunt : 1° excommunicatio latæ sententiæ, si clericus matrimonium contraxerit, et ferendæ sententiæ, si a conjugio ineundo abstinuerit ; 2° infamia ; 3° irregularitas, si matrimonium fuerit contractum ; 4° amissio privilegii clericalis. Vide *Ferraris*, n. 63 et seq.

In nostra diœcesi, quicumque fiunt apostatæ a fide, ab Ordine vel a statu religioso, excommunicationem episcopo reservatam ipso facto incurrunt, ex Statutis diœcesanis, p. 114.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE SPE.

Spes est virtus qua cum certa fiducia futuram beatitudinem et media illius assequendæ exspectamus per Dei auxilium.

1° Objectum primarium seu materia primaria spei est ipse Deus in cœlo possidendus, ut ait S. Th. 3ª part., q. 4 : « Spes, in quantum est virtus theologica, habet pro ob» jecto ipsum Deum, cujus fruitionem homo principaliter » exspectat per virtutem spei. » Objectum vero secundarium seu materia secundaria sunt quævis bona et auxilia ad possessionem Dei conducentia : qui enim vult efficaciter finem, vult eo ipso media ad illum obtinendum necessaria.

2° Motivum spei seu objectum ejus formale est Deus quatenus nobis bonus et auxiliator : nam motivum alicujus virtutis est ratio propter quam actus illius proprii eliciuntur : porro ratio propter quam speramus in Deum, id est, Deum possidendum desideramus et simul exspectamus, coalescit tum ex bonitate Dei relativa, tum ex virtute ejus auxiliatrice. Unde spes est virtus a fide et charitate distincta ; actus enim fidei est credere, actus spei cum fiducia desiderare, et actus charitatis diligere.

Objectum formale fidei est Deus ut verax, objectum formale spei est Deus ut nobis bonus et auxiliator, et objectum formale charitatis est Deus ut in se bonus et perfectus. Igitur ad spem refertur amor concupiscentiæ, et charitas est amor amicitiæ.

3° Spes non remanet in damnatis, quia *mortuo homine impio, nulla erit ultra spes*, Prov. XI, 7; nec in beatis in cœlo regnantibus, quia Deo jam plene fruentes, illum sperare nequeunt; verum superest in animabus in purgatorio degentibus, quæ Deo nondum fruuntur, sed illum fiducialiter exspectant, et bene subsistere potest in Christianis peccato mortali commaculatis, qui procul dubio sperare possunt et debent se pœnitentes veniam obtenturos et possessionis Dei in cœlo futuros esse participes.

4° Spes omnino certa est ex parte Dei, quia impossibile est Deum mentiri promittendo, aut adimpletis conditionibus promissa non esse servaturum; sed non ita certa est ex parte nostri, quia *nescit homo utrum amore an odio dignus sit*; *sed omnia in futurum servantur incerta*. Eccle. IX, 1 et 2, et unusquisque timere debet ne cadat, ne a perseverantia desistat, et satagere ut per opera sua bona certam suam vocationem et electionem faciat, juxta B. Petri præceptum, II Petr. I, 10.

5° Hæc autem virtus necessaria est necessitate medii peccatoribus adultis, ut justificationem obtineant. Suam enim reconciliationem cum Deo obtinere non possunt nisi eam velint, desiderent, ac proinde sperent *Deum sibi propter Christum propitium fore*. Concil. Trident., sess. 6, cap. 4. Actus spei necessarius est necessitate præcepti omnibus adultis, sive peccatoribus, sive justis; nihil enim frequentius commendatur in Scriptura, nihil fidei et rationi est congruentius. Præceptum autem illud obligat per se; 1° in initio usus rationis; 2° in periculo mortis; 3° dum urget contra spem tentatio quæ non nisi per actum spei videtur superanda; 4° sæpius in decursu vitæ. Quamvis in assignando tempore quo urgeat non sibi consentiant theologi, certum est eos qui christiane vivunt præceptum illud sufficienter implere, præsertim dum

Symbolum Apostolorum et Orationem Dominicam attente recitant.

Præceptum istud sæpe etiam obligat per accidens, fere sicut dictum est ubi de præcepto fidei, de quo etiam solliciti esse non debent solide christiani.

6° Circa virtutem spei errarunt Quietistæ, a voce *quies* sic dicti, quia quamdam animæ quietem continuam in contemplatione, vel in puro amore reperiri docuerunt et summopere prædicaverunt, licet non omnes eodem modo nec eodem gradu.

Primus igitur ejus erroris gradus, magis a veritate alienus et suis consectariis noxius, tenet perfectionem hominis sitam esse in actu continuo contemplationis et amoris, qui eum eximit ab obligatione cujusvis actus virtutum distinctarum, eamque ad absolutam requiem redigit. Anima in ista requie constituta, in seipsam non reflectit, omnes proprias operationes abjicit, totam se Deo dimittens sicut corpus sine spiritu; non cogitat de præmio, nec de punitione, nec de morte, nec de æternitate; nullo modo desiderat virtutes, nec sanctificationem, nec ipsam salutem; non curat de confessione, nec de aliis quibusvis operibus externis, quæ ipsi inutilia aut nociva evadunt; tentationibus positive resistere non debet, quia homo non tenetur de suis imaginationibus, nec etiam de actionibus, quamdiu actus contemplationis et amoris semel productus, non fuit positive revocatus. Auctor incredibilis hujus doctrinæ fuit Michael *Molinos*, presbyter Hispanus, anno 1627 natus, qui Romam se contulit, et ibi ut insignis conscientiarum director habitus est. Anno 1675 in lucem edidit librum sub titulo in linguam nostram converso: *La Guide spirituelle*, in quo reperiuntur extraordinaria vitæ mysticæ principia superius relata. Per decretum 28 august. 1697, Romana inquisitio 68 propositiones ex dicto libro depromptas damnavit, et 19 nov. ejusdem anni, Innocentius XI, decretum Inquisitionis confirmans, easdem 68 propositiones damnavit *in globo*, per bullam *Cœlestis Pastor*.

Secundus *Quietismi* gradus ille est qui processit a

Joanna *Bouvier de la Motte*, vidua D. *Guyon*, quæ opera ascetica de vita interiori publica faciebat et vias spirituales inauditas docebat. Abominanda doctrinæ *Molinos* consectaria a nobis indicata repellebat, sed fundamentale ejus principium mitioribus verbis admittens, dicebat actum continuum contemplationis et amoris omnes virtutum actus in se continere, et semel productum, per se subsistere, nisi expresse revocetur. Hinc concludere videbatur animam in hoc perfectionis statu constitutam, ad actus virtutum explicitos non teneri; imo teneri se indifferentem præstare quoad omnia etiam externa.

In tertio ordine *Quietistarum* occurrit illustrissimus *Fénelon*, Archiep. Camerac., qui actum continuum contemplationis et amoris expresse damnans, volebat tamen pefectionem hominis sitam esse in *statu habituali* puri amoris, in quo neque remunerationis desiderium, neque punitionis metus ullam habent partem. Principium hoc cum variis ejus consectariis docuit in libro cui titulus : *Explication des maximes des Saints*, qui ab Innocentio XII, per Litteras Apostolicas in forma Brevis 12 martii 1699, damnatus est cum 23 propositionibus ex illo excerptis. (*Œuvres de Fénelon*, *t.* IV, *p.* CXIII *et suiv.*)

7° Omnino tenendum est in hac præsenti vita non dari statum amoris ita perfecti, ut mens nec metu pœnarum, nec desiderio remunerationis *unquam* moveatur, et multo minus in quo periculosum sit vel imperfectum elicere actus spei et virtutum quæ ad utilitatem nostram sint relativæ. Hoc facile probari posset ex Scriptura, ex SS. Patribus et ex ratione. 1° *Ex Scriptura : Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus*, Matth. VI, 33; *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem*, Ps. CXVIII, 112; *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*, Hebr. XIII, 14, etc. 2° *Ex SS. Patribus.* S. Ambrosius, libro 5 in Lucam, capite 1 : « Studia virtutum sine remuneratione tepescunt. » S. Aug. Serm. 345 : « O tu homo, si titubas in re, esto » firmus in spe : si autem te opus turbat, erigat ipsa mer» ces. » 3° *Ex ratione.* Si enim amor perfectionis exigat

ut circa salutem nostram simus indifferentes, et *a fortiori*, circa salutem aliorum : ergo insipienter egerunt tot sancti qui tanta fecerunt ut, per pœnitentiam, mortificationem et omnes virtutes christianas, mererentur cœlum quod in proposito semper habebant : ergo similiter insulse egerunt tot viri apostolici qui omnia sustulerunt ut fratrum suorum salutem procurarent, quod certe admitti non potest. Nemo non videt quod hujusmodi consectaria nec non et alia similia totam religionem subvertant et ideo minime admitti queunt.

8° Contra spem theologicam peccari potest, 1° per *omissionem*, ubi videlicet, urgente præcepto spei affirmativo, ut supra explicatum est, actus spei non elicitur; 2° per *commissionem*, quod præsertim duplici modo fieri potest, nempe per excessum et per defectum, seu per præsumptionem et per desperationem.

Præsumptio est temeraria exspectatio beatitudinis æternæ aut mediorum ad illam assequendam. Alia autem cum hæresi conjuncta est, v. g., si quis per solas naturæ vires salutem speret, sicut Pelagiani; vel per solam fidem sine operibus, ut Lutherani : alia ab infidelitate est immunis, ut si quis speret se fore salvandum per sanctorum intercessionem, aut per quoddam genus orationis, licet cupiditatibus suis indulgeat; vel si, auxilio misericordiæ divinæ innixus, pœnitentiam in fide vitæ sibi promittat, interea volens iniqua agere, aut conversionem magis ac magis differre, contra oraculum Spiritus sancti dicentis, Eccli. v, 8 : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius.* Præsumptio infidelitati conjuncta virtutem spei destruit : ab infidelitate immunis, juxta plerosque hanc virtutem non destruit, quia tunc in eo stat inordinatio quod recti motivi malus fiat usus.

Desperatio est diffidentia beatitudinem vel media ad eam conducentia assequendi : hæc etiam cum infidelitate conjungi potest, ut si quis judicet dari peccata irremissibilia, dicens cum Cain : *Major estimea iniquitas, quam ut veniam merear,* Gen. IV, 13; vel ab infidelitate est im-

munis, ut communius evenit, v. g., si quis putet se adeo peccatis involvi vel tentationibus impugnari, ut non nisi difficillime evadere possit, atque ideo animo deficiens, opera christiana abjiciat, se interficiat, ut Judas, etc. In priori casu virtus spei destruitur : in posteriori probabilius etiam destruitur, modo præbeatur consensus sufficiens ad peccandum mortaliter. An autem dari possit levitas materiæ, non constat.

Non tamen ut rei desperationis æstimandi sunt timidioris conscientiæ homines qui turbulentis animi motibus exagitati, diffidentiæ a Deo se accusant; attendendum est enim utrum, sine alia causa legitima, consueta pietatis officia neglexerint, nec ne : si prius, judicandi sunt plus minusve consensisse tentationi, proindeque plus minusve rei juxta negligentiæ gradum ; si posterius, rationabiliter judicatur eos non consensisse, aut ad summum imperfectum fuisse eorum consensum.

9° Qui ita paratus est ut præferret in præsenti vita semper degere, si posset, et cœlum Deo relinquere, mortaliter peccat, quia revera spem non habet.

ARTICULUS TERTIUS.

DE CHARITATE.

Vox *charitas* multiplici sensu accipi potest, nempe pro dilectione etiam mala, qualis est amor meretricis; pro dilectione bona in ordine naturali, ut amor propriæ uxoris; pro amore Dei erga homines; pro amore nostro erga Deum : qui amor potest esse naturalis, vel supernaturalis, habitualis vel actualis ; concupiscentiæ, si Deum ut nobis bonum diligamus; vel benevolentiæ, si illum ut in se bonum et perfectum amemus. De charitate hoc ultimo sensu accepta nobis agendum est.

Charitas autem proprie dicta est virtus theologica divinitus infusa, qua Deum propter se, nos vero et proximum propter Deum, super omnia diligimus. Dicitur 1° *virtus theologica*, quia habet Deum pro objecto immediato; 2° *divinitus infusa;* quia vires naturæ superat, et effectus

est Spiritus sancti, juxta hæc Apostoli verba, Rom. v, 5: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum ;* 3° *qua Deum propter se*, et in eo differt a virtute spei qua Deus propter nos amatur et desideratur; 4° *nos vero et proximum*, etc.; qui enim sincere amat Deum propter se, amat ea quæ ad ipsum pertinent: porro nos et proximus ad Deum pertinemus: Deum igitur perfecte diligere non possumus, quin eo ipso et nos et proximum propter ipsum diligamus; 5° *super omnia,* quod duplici modo fieri potest, scilicet *appretiative*, si Deus super omnia bona æstimetur; et *intensive*, si actus amoris erga Deum vehementior sit quolibet alio affectu. Amor appretiativus Dei propter se veram constituit charitatem.

Duplex igitur est objectum charitatis: Deus, qui est objectum primarium; et proximus, qui est objectum secundarium. Itaque dicemus 1° de charitate erga Deum, 2° de charitate erga proximum, et 3° de vitiis charitati oppositis. Quidquid ad nos respicit ex dicendis sufficienter intelligetur.

§ I. — De charitate erga Deum.

Dicemus 1° de ipsius natura, et 2° de ejus præcepto.

Punctum primum. — *De natura charitatis erga Deum.*

Patet, ex notatis, veram charitatem esse amorem Dei perfectum, in eo situm ut Deum diligamus quia est amabilis, propter ipsius perfectiones, prout lumine supernaturali innotescunt. Non tamen necesse est ut beatitudinem nostram excludamus, vel ab illa abstrahamus. Deus enim optime spectari potest ut in se bonus, et simul ut solus nos beatificare valens: tunc adest simul motivum specificum charitatis, videlicet bonitas Dei in se spectata, et motivum spei, seu amoris concupiscentiæ, id est beatitudo nostra in Deo possesso.

Compatibilitas utriusque motivi in eodem amore a nemine negatur: at Quietistæ contendebant amorem charitatis non fieri perfectum nisi per totalem amoris spei exclusionem, quod fuit condemnatum, ut supra diximus.

Bossuet, in sua disceptatione cum *Fénelon*, dixerat amorem ex puro motivo charitatis, sine respectu ad possessionem Dei, impossibilem esse, quia homo propriam felicitatem in cunctis actibus suis necessario quærit; sed in hoc ab omnibus desertus est, seipsum reformavit, et doctrina *puri amoris*, quam tuebatur *Fénelon*, generaliter fuit admissa, sive in Gallia, sive Romæ, etiam ab iis qui librum ejus damnaverunt. Vide *Œuvres de Fénelon* variis in locis, et præsertim *Analyse de la controverse du Quiétisme*, t. IV, 3 part., p. CLXXIV.

Ille amor vera et proprie dicta est amicitia inter Deum et hominem; nam ad constituendam veram amicitiam tres requiruntur conditiones, nempe 1° benevolentia amantis, qui amat non propter semetipsum, sed propter qualitates amati: unde ridicule diceretur quod quis veram habeat amicitiam ad vinum vel ad equum quem ob proprium commodum vel oblectamentum habet; 2° ut sit mutuus; proprium est enim veræ amicitiæ ut corda uniantur ac mutuos experiantur affectus, et illa reciprocitas est vinculum unionis; 3° inde sequitur quamdam communicationem inter eos existere debere; aliter enim vera amicitia concipi non potest. Porro tres illæ conditiones in vera charitate reperiuntur: 1° amor benevolentiæ, siquidem, ut diximus, Deus non diligitur ut nobis bonus, sed quia bonus et perfectus est in se; 2° amor mutuus: *Qui diligit me*, inquit Christus, Joan. XIV, 21, *diligetur a Patre meo, et ego diligam eum;* 3° quædam communicatio; homo enim Deum diligendo, se totaliter dat ei, et Deus, per suam gratiam ac beatitudinis æternæ promissionem, sanctam et sublimem cum homine instituit societatem, juxta hæc Apostoli verba, I Cor. I, 9: *Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem Filii ejus, Jesu Christi Domini nostri*. Ergo charitas perfecta vera est amicitia inter Deum et hominem. Unde Jacob. II, 23: *Abraham amicus Dei appellatus est;* Psalmista, Ps. CXXXVIII, 17: *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus;* et Christus ad discipulos, Joan. XV, 14: *Vos amici mei estis..... jam non dicam vos servos..... vos autem dixi amicos.*

Hinc facile intelligitur charitatem esse omnium virtutum excellentissimam, 1° quia Deum attingit modo perfectissimo, et merito B. Paulus dicit, I Cor. XII, 12 : *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc : major autem horum est charitas ;* et Colossens. III, 14 : *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis ;* 2° quia fides et spes compatiuntur peccatum, non vero charitas ; impossibile est enim veram existere amicitiam inter Deum et hominem qui illum offendit, nisi peccati veniam obtinuerit ; aliunde probavimus in Tractatu *de Pœnitentia* contritionem charitate perfectam semper justificare ; 3° quia charitas est forma aliarum virtutum, non quidem essentialis seu intrinseca, quasi sine ea non essent, quod fuit error Jansenii ; sed extrinseca, eo sensu quod absque charitate cæteræ virtutes sint mortuæ et ad salutem nos conducere non possint ; 4° quia a justificatione est inseparabilis, non autem aliæ virtutes.

Optimæ hujus virtutis habitus augeri potest sine termino, ut concil. gen. Viennense, Clement. l. 4, tit. 3, definivit adversus Beguardos et Beguinas, qui contendebant hominem in præsenti vita talem perfectionis gradum acquirere posse, ut impeccabilis esset et in gratia proficere non posset ; hocque probari potest 1° ex Scriptura sacra, Philipp. I, 9 : *Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu ;* 2° ex concil. Trid., sess. 6, c. 10 ; illud autem caput totum est de acceptæ justificationis incremento ; 3° ex usu Ecclesiæ, quæ dominica 12 post Pent. orando dicit : *Da nobis, Domine, fidei, spei et charitatis augmentum.*

Hoc incrementum non fit extensive, quia minima charitas totum objectum sine ulla exceptione amplecti debet, sed intensive seu per majorem voluntatis adhæsionem ; illud etiam semper comitatur major divinarum perfectionum intelligentia, quæ, operante gratia, multum ad ipsius charitatis augmentum confert.

Quodlibet peccatum mortale charitatis essentiam destruit, cum peccatum mortale et charitas in eodem sub-

jecto simul existere non possint : peccatum vero veniale eam non destruit, sed minuit, non quidem intrinsece, verum extrinsece et indirecte, quomodo, ut aiunt, ligatura brachium ab opere retardat, licet totam vim intrinsecam ipsi relinquat. Unde hoc peccatum animam reddens minus expeditam ad vincendas tentationes et ampliores gratias actuales ab ea elongans, paulatim ad destructionem charitatis habitualis ducit, peccatum mortale præparando.

Punctum secundum. — *De præcepto charitatis erga Deum.*

1° Dari hujusmodi præceptum ab omnibus aliis præceptis distinctum ambigi non potest; id enim probatur 1° *Scriptura sacra,* Matth. XXII, 38 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum.* 2° *Ex S. Aug.* qui, Conf. l. I, cap. 5, ait : « Quid tibi » sum ipse, ut amari te jubeas a me, et nisi faciam iras» caris mihi, et mineris ingentes miserias? Parvane ipsa » est miseria, si non amem te ? » Eodem sensu loquuntur alii Patres. 3° *Ex sequentibus prop. ab Alexandro VIII damnatis anno* 1665. « Homo nullo unquam vitæ suæ » tempore tenetur elicere actus fidei, spei et charitatis, » ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinen» tium. An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei » semel tantum in vita eliceret? Condemnare non aude» mus. » 4° *Ex ratione.* Cum enim Deus summum sit bonum, a quo omnia procedunt et ultimus finis noster, sola ratio dictat eum vere et propter se amandum esse, nec sufficere ut ipsius mandata sine interna dilectione impleantur. Ergo.

2° Conditiones illius amoris sunt : ut sit internus, summus, efficax et purus. 1° *Internus,* ut patet; est enim actus voluntatis, *ex toto corde.* 2° *Summus appretiative,* videlicet ut Deum præ cæteris rebus æstimemus, ut parati simus omnia potius pati quam illum saltem graviter offendere; alioquin eum non diligeremus *ex toto corde, in tota anima, in tota mente, ex tota fortitudine,* ut habetur in

Deut. IV, 3, et talis est sensus verborum Christi apud Matth. X, 37 : *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Communius tamen docetur necessarium non esse ut ille amor sit *intensive* summus, id est, ut Deum vehementiori affectu diligamus quam patrem, matrem aliamve quamlibet creaturam, licet hoc valde sit optandum, et periculum sit ne majorem appretiationem transferamus ad creaturam quam ardentiori dilectione prosequeremur. 3° *Efficax;* quia perfectus amor non tantum importat simplicem complacentiam in divinis perfectionibus, sed firmum animi propositum ea faciendi quæ Deus præcipit, et vitandi quæ prohibet, saltem sub gravi. Unde Christus, Joan. XIV, 15 : *Si diligitis me, mandata mea servate;* et ipse B. Joannes, I Epist. V, 3 : *Hoc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus.* 4° *Purus*, id est ex motivo charitati proprio, seu ex ipsa Dei bonitate in se spectata : sic generaliter theologi, qui dicunt amorem concupiscentiæ, quo Deus ut nobis bonus amatur, charitatem nunquam constituere posse, imo et Deum ita propter beatitudinem diligere, ut, si hoc deesset, Deus super omnia non diligeretur, mortale esse peccatum habituale. Notandum est autem considerationem bonitatis Dei erga nos sæpe nos deducere posse ad considerationem hujus bonitatis in se spectatæ, et sic ad charitatem perfectam nos præparare.

3° *Certum est* 1° charitatem habitualem necessariam esse ad salutem necessitate medii, cum nemo salvari possit absque gratia sanctificante, quæ ab ipsa charitate habituali separari non potest. Thomistæ contendunt gratiam sanctificantem a charitate realiter esse distinctam; *Tournely* et alii plures volunt eas virtualiter tantum distingui : omnes autem conveniunt eas separari non posse. Nullum etiam est instans in quo Christianus charitatem habitualem habere non teneatur, quia nemo licite manere potest in statu peccati mortalis.

Certum est 2° præcepto charitatis actualis per solam mandatorum observantiam non satisfieri, sed actus positivos hujus virtutis saltem aliquando eliciendos esse, ut

theologi generaliter docent, et ex momentis supra allatis evidenter sequitur.

Certum est 3° hoc præceptum obligare frequentius quam singulis quinquenniis, ut patet ex condemnatione sequentis prop. ab Innocentio XI, anno 1679 : « Probabile » est in singulis quidem rigorose quinquenniis per se » obligare præceptum charitatis erga Deum. »

4° Communiter theologi docent puerum tunc moraliter teneri actum elicere charitatis, quando, post adeptum plenum rationis usum, hæc obligatio sufficienter ipsi proposita fuit, vel saltem quando Dei bonitatem et actuum relationem ad Deum sufficienter apprehendit. Item præceptum charitatis obligat in periculo mortis, quia eo instante homo ad finem suum ultimum magis tendere debet. Insuper sæpe obligat in decursu vitæ, sive per se, sive per accidens : charitas enim præcipua est virtus qua tendere possumus ad finem propter quem creati sumus. Verum quoties iterandi sunt actus charitatis ut præceptum impleatur, non sibi consentiunt theologi : quidam arbitrati sunt eos singulis diebus iterandos esse, quia Christus voluit ut Oratio Dominica quotidie recitaretur, et convenienter recitari non potest quin actus charitatis eliciatur, dicendo, v. g., *adveniat regnum tuum*; alii vero communissime hanc sententiam rejiciunt, ut pote fundamento destitutam; probari enim non potest Christum præcepisse ut Oratio Dominica quotidie recitaretur, nec eam sine actu perfectæ charitatis convenienter recitari non posse, v. g., a peccatore qui gratiam suæ conversionis impetrare desiderat.

Communius tenetur hoc præceptum singulis diebus dominicis et festivis cultui divino consecratis obligare; non tamen sub peccato mortali, nisi omissio longa esset, v. g., per spatium unius mensis. Vide S. Ligorium, l. 2, n. 8.

5° Quoniam tamen in hoc puncto nihil ut certum definiri potest, hortandi sunt fideles ut actus fidei, spei et præcipue charitatis sæpissime eliciant, sive orando, sive meditando, sive de Deo cogitando aut loquendo. Ut eos

ad utilissimam hanc praxim efficacius induceret, Benedictus XIV, per rescriptum 11 decembris 1754, septem annos et totidem quadragesimas indulgentiarum animabus in purgatorio detentis applicabilium concessit, toties lucrandarum quoties actus ejusmodi virtutum recitarentur, in qualicumque formula, modo propria earum motiva exprimerentur, et indulgentiam plenariam in una die mensis lucrandam ab eo qui singulis diebus hujus mensis prædictos recitaret actus, sub solitis conditionibus peccata confitendi, sacram Eucharistiam suscipiendi et precandi.

6° Necesse est igitur, ex verbis rescripti Bened. XIV, et ex decreto S. Congr. Indulg. diei 29 januarii 1756, ad lucrandas indulgentias, actus prædictarum virtutum vocibus exprimere; ad satisfaciendum vero divino præcepto actus interni, positivi et sinceri sufficiunt. Qui ergo in gratia sanctificante sunt constituti et Deo ferventi animo serviunt, actus fidei, spei et charitatis sæpissime, etiam non advertentes, eliciunt, ac proinde in periculo præceptum transgrediendi non versantur. Qui, e contra, tepidam ducunt vitam, peccati omissionis in eo genere sæpe fiunt rei. *A fortiori* qui peccato mortali remanent inquinati, præfato charitatis præcepto satisfacere nequeunt. Non tamen obligantur hanc omissionem explicite declarare, quia confessarius eam ex declaratione aliorum peccatorum facile intelligit.

7° Constat, ex dictis in Tractatu *de Gratia*, cap. 3, art. 1, § 3, neminem, seclusa speciali revelatione, certo judicare posse se habere gratiam sanctificantem, seu charitatem habitualem; quædam tamen sunt signa quibus aliquis rationabiliter præsumere potest se gratia sanctificante donari, ac consequenter Dei amicum esse.

§ II. — De charitate erga proximum.

Agemus 1° de dilectione proximi in genere; 2° de amore inimicorum; 3° de ordine in charitate servando; 4° de eleemosyna, et 5° de correctione fraterna.

Punctum primum. — *De dilectione proximi in genere.*

Nonnulli laxiores casuistæ obligationem diligendi proximum per falsas interpretationes labefactare conati sunt, dicentes nos illum actu interno et formali diligere non teneri, et satis esse ut externa ipsi exhibeamus beneficia, sine ulla interiori benevolentia.

PROPOSITIO.

Proximum interiori benevolentiæ actu diligere tenemur.

Prob. Scriptura sacra, auctoritate Innocentii XI ac cleri Gallicani, et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Christus enim, Matth. XXII, 39, ait: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*; et Joan. XV, 12: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*; B. Joannes, I Ep. IV, 21 : *Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* Multa alia citari possent. Porro hæc verba interiorem affectum evidenter significant. Ergo 1°.

2° *Auctoritate Innocentii XI,* qui anno 1679, sequentes damnavit propositiones. « Non tenemur proximum dili- » gere actu interno et formali. Præcepto proximum dili- » gendi satisfacere possumus per solos actus externos. » Easdem propositiones clerus Gallicanus damnavit in comitis anni 1700. Ergo.

3° *Ratione.* Qui unam personam perfecte diligit, eo ipso amat, amore proportionato personas ad eam attinentes, nempe uxorem, filios, famulos et generatim omnes qui in societate ejus sunt vel fieri possunt : porro omnes creaturæ rationales ad Deum pertinent, in societate ejus sunt aut fieri debent, exceptis dæmonibus et damnatis : ergo.

Hinc patet quid nomine proximi intelligendum sit; videlicet ii omnes intelliguntur qui æternæ beatitudinis sunt capaces vel ea jam fruuntur, ut Angeli, Beati in cœlo regnantes, animæ in purgatorio, et maxime homines

viatores sive justi, sive peccatores, sive concives, sive extranei; quod manifeste expressit Christus, docens, Luc. x, 37, agendum esse erga extraneos sicut Samaritanus erga hominem qui in latrones inciderat. Unde S. Aug., Epist. 155, n. 14 : « Proximus sane, non sanguinis pro» pinquitate, sed rationis societate pensandus est in qua » socii sunt homines. »

Ut dilectio proximi sit legitima, tres habere debet conditiones, ex S. Th. 2 2, q. 44, art. 7; nimirum debet esse sancta, justa et vera. 1° *Sancta,* id est, ut nos et proximum propter Deum, in ordine ad beatitudinem cœlestem diligamus: « Ille veraciter amat amicum, inquit S. Aug., » Serm. 346, qui Deum amat in amico, aut quia est in » illo, aut ut sit in illo. » 2° *Justa,* scilicet ut proximo non condescendamus in aliquo malo, sed tantum in bonis; sicut inclinationibus nostris consentire non debemus, nisi in bonis. 3° *Vera,* hoc est, ut proximum non diligamus propter utilitatem nostram vel delectationem, sed ut bonum ei velimus, sicut bonum nobismetipsis volumus. « Nam, ut ait S. Thom. in loco citato, « cum quis » diligit proximum propter suam utilitatem vel delecta» tionem, non vere diligit proximum, sed seipsum. »

Hinc patet quam multi proximum debito modo non diligant, ut præcepto charitatis satisfaciant.

Non tamen necesse est ut singulos homines singulari affectu prosequamur, nisi aliqua speciali ratione nobis sint conjuncti, ut parentes, superiores, benefactores; sed sufficit actus generalis dilectionis quo beatitudinem cœlestem et bona ad eam plus minusve directe conducentia omnibus ad illam vocatis exoptemus, et quantum in nobis est procurare intendamus. *Non diligamus* enim *verbo, neque lingua, sed opere et veritate,* I Joan. III, 18.

Si ergo in Scriptura et apud Patres quandoque mala peccatoribus exoptentur, vel exoptari videantur, id intelligendum est vel, 1° de modo prophetico, ita ut mala non exoptentur, sed evenienda prædicentur, quod agnovit S. Aug. contra Faustum, l. 16, cap. 22 : « Maledicta, ex » prophetia dicuntur, non sunt de malo voto imprecan-

» tis, sed de præscio spiritu denuntiantis; » vel 2° de exoptatione malorum temporalium, ut improbi eis pressi convertantur; vel 3° de legitima vindicta, non peccatoris, sed criminum in honorem æternæ justitiæ, vel 4° de imprecationibus contra regnum peccati, et non contra homines peccatores; quo sensu S. Aug., de Serm. Domini in monte, l. I, cap. 22, n. 77, dixit : « Quis audeat affirmare, » cum illi sancti candidati se vindicari petierint, utrum » contra ipsos homines, an contra regnum peccati petie- » rint ? »

Quomodo autem et quando hoc præceptum amoris supernaturalis proximi obliget ad actus internos explicitos, non omnino constat. Certum est illud obligare saltem quoties necesse est ad præcavendum odium vel offensionem proximi, aut ad implendum opus misericordiæ supernaturalis, vel etiam naturalis, quæ solo amore naturali difficile exerceri posset. Si ultra urgeat, sane impletur ab eo qui Orationem Dominicam attente recitat. Exigit etiam ut semper simus parati ad opera charitatis exercenda, juxta hæc B. Petri, I Epist. VI, 8, verba : *Ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes ;* et jam citati B. Joannis : *Non diligamus verbo, etc.*

Quatenus autem est negativum, præceptum istud prohibet quoscumque actus etiam internos amori benevolentiæ recte et secundum Deum intellecto oppositos.

Duplex est generalis regula duplicis hujus præcepti, a Scriptura tradita et ratione nota ; scilicet : 1° *Omnia quæcumque vultis* (rationabiliter) *ut faciant vobis homines, et vos facite illis,* Matth. VII, 12 : 2° *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias,* Tob. IV, 16.

Punctum secundum. — *De dilectione inimicorum.*

1° Certum est gravem existere obligationem inimicos, id est eos qui nos vel nostros oderunt, aut aliqua injuria affecerunt, affectu interno diligendi ; nam 1° beatitudinis æternæ sunt capaces; comprehenduntur igitur sub nomine proximi. 2° Christus, Matth. V, 43, dixit : *Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odio habe-*

bis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos; in cap. XVIII, 35, declarat Patrem cœlestem non dimissurum esse iis qui fratribus non remiserint, atque voluit ut in Oratione Dominica diceremus : *Pater noster... dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Quibus verbis grave contineri præceptum unanimis est Patrum et doctorum sententia. Ergo.

2° Inimicis ergo exhibere debemus communia dilectionis signa quæ aliis ejusdem status, conditionis et qualitatis præstari solent, quia sunt proximi nostri; et aliunde hæc negare propter inimicitiam, esset actus vindictæ et manifestatio odii. Unde tenemur inimicum salutantem resalutare, interroganti respondere, emere volenti vendere, in com munibus orationibus et eleemosynis eum includere, communia officia vel obsequia ei præstare, etc., idque sub gravi vel sub levi, prout, attenta personarum, locorum aliarumque circumstantiarum conditione, contemptus reputatur gravis vel levis.

3° Excipiendi sunt casus in quibus charitas vel justitia aliud prudenter suadet, vel rationabilis causa excusat : 1° enim charitas aliquando suadet ut communia dilectionis signa denegentur inimico si nempe sperandi sit locus, ut ex hac denegatione contristatus, emendetur, vel timendi ne ex his signis deterior fiat, vel ne occasionem inde sumat jurgia iterandi, novos contemptus manifestandi, etc. 2° Justitia aliquando suadet ut superiores communia charitatis signa pro tempore denegent inferioribus a quibus graviter fuerunt offensi, ut eos juste puniendo, ad resipiscentiam, emendationem et æquiorem in posterum agendi rationem adducant. Sic quotidie videmus parentes e domibus suis ejicere, ad aspectum, colloquium, convivium aut consortium admittere nolle filium qui, contra eorum voluntatem, matrimonium indignum contraxit, vel aliquam exercuit actionem quæ familiam gravi dedecore afficit : qui autem sic agunt, non ex odio vel animo vindictæ, sed ob delinquentis correctionem, vel ob familiæ honorem, vel ad procurandam

majorem aliorum cautelam, non peccant, nec a sacramentis arceri debent, modo absit scandalum, et reconciliationem in perpetuum negare non intendant, sed tantum eam differre quoadusque ad reorum emendationem et aliorum utilitatem expedire videbitur. Ita *Layman*, *Sporer*, *Ferraris* et alii. 3° Rationabilis causa excusare potest; v. g., pater aut mater aspectum occisoris filii vitare possunt; non ex odio, sed ne illius præsentia nimium excitet horrorem : si quis consortium et quamlibet familiaritatem cum propriæ uxoris vel filiæ aut sororis stupratore fugiat, ne alias videatur infamiam talis actionis non satis detestari, excusatur; item si moraliter certus sit inimicum non esse resalutaturum, responsurum, etc., eum salutare, interrogare, etc., non tenetur.

4° Specialia dilectionis signa per se loquendo inimicis præstare non tenemur ex præcepto, sed tantum ex consilio, v. g., eos ægrotos visitare, mœstos consolari; hospitio vel convivio excipere, ad familiare colloquium admittere, obviam factos salutare, eis indigentibus succurrere, pecunias commodare, etc. Ita *Busenbaum*, *Ferraris*, S. Ligorius et communiter alii.

Diximus *per se loquendo*, quia, ob varias circumstantias, specialia dilectionis signa inimicis exhibere debemus, v. g., 1° ad vitandum scandalum, si nempe negatio hujusmodi signorum habenda sit ut odii effectus, inimicitiam concitatura sit, etc.; 2° si ratio existat sperandi fore ut exhibitio alicujus specialis signi charitatis animum inimici sibi vel Deo reconciliatura sit; 3° si inimicus in extrema vel gravi necessitate constitutus speciali charitatis officio indigeat, tunc adest obligatio gravitati necessitatis proportionata ei succurrendi, juxta quod præcipitur Prov. XXV, 21, et hæc prorsus similia B. Pauli verba, Rom. XII, 20 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, da illi potum.*

De reconciliatione cum inimicis.

1° Qui alterum signo, verbo vel facto exterius offendit, tenetur ex charitate remissionem offensæ exterius petere, per se, vel per alium, nisi aliqua ratione legitime excusetur; quia qua ratione charitas fuit destructa, eadem reparari debet. *Ita omnes.* Tenetur insuper, ex justitia, ad convenientem satisfactionem pro injuria et reparationem pro damno illato, nisi offensus et læsus remittat.

Diximus *nisi aliqua ratione legitime excusetur;* v. g., quia veniam petere non posset sine infamia, dum offensio fuit occulta; quia offensus est absens, nec facile conveniri posset, et alia non suppetit via ei convenienter satisfaciendi; quia offensio non fuit gravis, vel offensus petitionem veniæ non curat; quia inter offensum et offensorem fuit compensatio injuriarum; quia offensor nimis superior est offenso, ut ab isto veniam convenienter petat : tenetur tamen aliis viis animum læsi sibi reconciliare, puta, aliquo beneficio aut benevolentiæ signo. *Sic passim doctores.*

2° Si ex utraque parte exstiterint injuriæ, vel fuerunt moraliter æquales et simultaneæ, vel non : si prius, uterque inimicus tenetur, data occasione, reconciliationem inchoare per salutationem, colloquium, invitationem, etc. Unde, ait *Ferraris,* v° *Virtus,* n. 2, « generaliter loquendo, inter æquales, is debet prius salutare et alloqui qui coram alio stante vel sedente transit, vel de novo accedit. » Si posterius, qui prior offendit, vel causam rixæ dedit, vel gravius offendit, priora reconciliationis signa exhibere debet. *Ita communiter doctores.*

3° Omnis offensus vel læsus debet semper interius ignoscere : tenetur insuper exterius offensam vel injuriam remittere offensori veniam convenienter petenti; hoc expresse præcepit Christus, dicens, Luc. XVII, 3 : *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum; et si pœnitentiam egerit, dimitte illi; et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens : Pœnitet me, di-*

mitte illi. Idem docet in pluribus aliis locis. Imo qui inimicus est alterius, nulla opera Deo grata et meritoria facere potest, nisi prius, quantum in se est, reconciliatus fuerit, veniam petendo, si læserit, vel ex toto corde dimittendo, si læsus fuerit: nam Christus dicit, Matth. v, 23: *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.* Quod autem dicitur de munere ante altare, intelligendum est de quolibet bono opere Deo offerendo; ratio enim est eadem.

4° Qui tamen in fama, in bonis vel alio modo aliquam passus est injustitiam, justam ejus compensationem vel restitutionem exigere potest; quia, licet injuriam condonare teneatur ex charitate, jus habet petendi et exigendi quod ex justitia sibi debetur. *Ita communiter doctores.*

5° Advertendum reconciliationem non esse perfectam nisi offensus et offensor eodem modo se habeant exterius ac antea, videlicet se salutando, visitando, invitando, etc. excepto casu supra memorato, in quo justa ratio exigit ut offensus familiaritatem cum offensore saltem pro tempore fugiat.

Quot igitur Christiani gravissimum hoc legis Evangelicæ præceptum ignorant, deturpant, postponunt, seipsos turpiter decipientes! nihil enim difficilius est in praxi, ut experientia constat, quam perfectam inimicorum obtinere reconciliationem.

Punctum tertium. — *De ordine in charitate servando.*

Apud omnes constat aliquem servandum esse ordinem in charitate, quia omnia objecta non sunt æqualiter amabilia. Unde S. Aug., de Doctrina christiana, l. 1, c. 28: « Ille juste et sancte vivit, qui rerum integer æstimator » est: ipse est autem qui ordinatam dilectionem habet, » ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat » quod est diligendum, aut amplius diligat quod minus » est diligendum, aut æque diligat quod vel minus vel am-

» plius est diligendum, aut minus vel amplius quod æque » diligendum est. »

Unusquisque hunc ordinem servare debet : 1° diligere Deum super omnia; 2° seipsum secundum spiritualia; 3° proximum secundum spiritualia; 4° seipsum secundum corporalia; 5° proximum secundum corporalia; 6° seipsum secundum temporalia externa; 7° proximum secundum temporalia externa; 8° inter personas quibus subveniendum est, habenda est ratio necessitatis et conjunctionis.

1° Deum super omnia etiam plus quam seipsum diligere debet; ratio patet ex dictis, quia scilicet Deus est supremum bonum et origo totius bonitatis. Item creaturas Deo magis gratas, ut beatissimam Mariam, Angelos et sanctos plus quam seipsum objective cum majori complacentia in illis diligere debet, quia istæ creaturæ sunt perfectiores; sed non plus *appretiative*.

2° Post Deum seipsum præ cæteris *appretiative* diligere debet secundum spiritualia : nam, in præcepto charitatis, amor sui traditur ut mensura dilectionis proximi : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum :* porro, ut ait *Scotus,* et post ipsum omnes theologi, mensura perfectior est mensurato. Unde natum est vulgare axioma : *Charitas bene ordinata incipit a semetipso.* Ergo. Hinc si B. Paulus, Rom. IX, 13, optaverit *anathema esse a Christo pro fratribus*, id certe non intelligendum est de æterna reprobatione, sed de temporali morte et exterminatione, ut S. Hieron. interpretatur quo sensu Moyses præ dolore dicebat Deo : *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo,* Exod. XXXII, 31 et 32, id est, de numero viventium; eodem sensu Christus dicitur *factus pro nobis maledictum;* Galat. III, 13, vel, de hypothesi impossibili, quasi dixisset : Si liceret, optarem anathema esse a Christo pro fratrum meorum salute, ut S. Chrysost. et plures alii intelligunt.

Hinc si bonum nostrum necessarium, v. g., fuga peccati, concurrat cum bono spirituali vel temporali alieno, sive privato, sive publico, nedum teneamur proximo sub-

venire in qualicumque necessitate, ad abstinendum, ex modo dictis, obligamur. Si, e contra, agatur de bono nostro non necessario, v. g., quod per observationem alicujus consilii obtineri potest, tunc quoties necessitas proximi opem nostram exigit, eam præstare debemus, quia lex *præcipiens* auxiliari proximo necessitatem patienti præponderat legi *consulenti*.

Inde sequitur illicitum esse manifesto peccandi periculo se exponere pro aliorum salute : *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Matth. XVI, 26. Licet vero probabili, vel etiam, secundum multos, probabiliori peccandi periculo se exponere ob salutem proximi, v. g., ad baptizandum puerum, ad absolvendum moribundum in peccato mortali constitutum, quia gravis causa tale periculum excusat a peccato. *A fortiori* bona spiritualia non necessaria negligere licet ob aliorum necessitatem vel gravem utilitatem spiritualem, vel etiam temporalem, v. g., ab ingressu religionis abstinere ad subveniendum parentibus, filiis, benefactoribus, etc.

3° Bona spiritualia proximi plus diligere debet quam sua corporalia, id est, plus animam fratris sui quam proprium corpus; proximum enim diligere debemus sicut Christus dilexit nos, Joan. XV, 12 : at Christus seipsum pro nobis tradidit, et, ut ait B. Joan., I Epist. III, 16 : *Ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere :* in conflictu duarum obligationum quæ simul impleri non possunt, ea præferenda est cujus objectum est præstantius, et necessitas saltem æqualis.

Quod ut melius intelligatur, triplex distinguenda est proximi necessitas spiritualis, scilicet extrema, gravis et communis. Homini in extrema vel moraliter insuperabili necessitate spirituali versanti succurrendum est cum evidenti periculo vitæ, dummodo æque certa sit spes eum juvandi : v. g., qui videt infantem non baptizatum flammis comburendum, vel fluctibus immergendum, in flam-

mas vel in fluctus se præcipitare debet, cum certa prævisione se moriturum, si moraliter sit certus se eum baptizaturum : secus, si periculum proprium sit certum et spes adjuvandi incerta. Idem facere deberet sacerdos pro peccatore christiano in somno vel aliter non cogitante morituro, ut eum præpararet et absolveret.

Proximo in gravi necessitate spirituali constituto possumus quidem cum periculo vitæ succurrere, juxta S. Thomam et alios communiter; at non tenemur, ut apprehendunt omnes. Unde sacerdos non tenetur vitam graviter exponere pro peccatore qui ope contritionis perfectæ se Deo reconciliare posset, si vellet. Excipitur tamen 1° si quis teneatur ex officio, ut pastor qui ovibus sibi commissis etiam cum gravi periculo vitæ in tali necessitate subvenire debet; 2° si necessitas sit publica, ut clades, pestis, prælium, etc., quia inter eos qui periclitantur, plures ratione ignorantiæ, præjudiciorum, doloris, in extremo damnationis periculo constituuntur. At dispendium aliquod bonorum temporalium, famæ, honoris, subire debemus propter gravem necessitatem spiritualem proximi.

Demum in necessitate communi non tenemur succurrere proximo, nisi cum levi detrimento; cum majori tamen, si ex officio cura ejus nobis incumbat.

4° Unusquisque propriam vitam vitæ alterius, cæteris paribus, præferre potest, ut omnes fatentur, juxta axioma : *Charitas bene ordinata a semetipso incipit;* imo multi contendunt non licere in eo casu propriam vitam exponere periculo pro servanda vita alterius, quia tunc charitas non esset bene ordinata, ut ait S. Aug., lib. de Mendacio, cap. 6 : « Si quis pro alterius temporali vita suam ipsam » temporalem perdit, non est jam diligere illum sicuti » seipsum, sed plus quam seipsum; quod sanæ doctrinæ » regulam excedit. » Alii tamen multi probabiliter docent licitum et laudabile esse vitam pro servanda vita amici exponere, quia honestas virtutis vita temporali præstat : sic non solum excusantur, sed laudantur qui peste infectis serviunt, cum prævisione moraliter certa se non

evasuros; qui cum periculo vitæ se in aquas injiciunt, ut alios eripiant, etc. « Cavendum tamen est, » inquit *Dens*, t. v, « ne quis sibi ipsi mortem potius inferat quam ei se » exponat, quod moraliter dijudicandum est. »

Certum est autem licitum et quandoque necessarium esse propriam vitam periculo exponere pro servanda vita personæ bono publico utilissimæ, quia membrum pro salute corporis perire convenit; pariter licitum et meritorium est propriam exponere vitam pro servanda vita alterius qui in statu peccati mortalis certo moreretur, v. g., malle occidi quam injustum aggressorem occidere, nisi tamen vita aggressi pluribus sit necessaria aut valde utilis. Nam, ut ait Christus, Joan. xv, 13 : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

5° Non est dubium quin bona temporalia exponere et amittere debeamus pro alterius vita, quia sunt ordinis inferioris : sed bona nostra temporalia bonis aliorum præferre possumus, juxta ea quæ diximus in Tractatu *de Contractibus;* et ratio patet.

6° Quamvis omnes homines æque diligendi sint quoad objectum et finem principalem charitatis, scilicet quatenus sunt homines, et quoad beatitudinem æternam quam omnibus velle debemus, certum est tamen alios magis quam alios diligendos esse intensitate et affectu amoris; cum enim amor Dei sit principium et amor nostri regula amoris proximi, sequitur nos magis amare teneri eos qui Deo et nobis sunt conjunctiores : porro non omnes æqualiter Deo et nobis sunt conjuncti : ergo. Unde 1° sanctiores majori complacentia amare debemus quam peccatores aut minus sanctos; 2° nobis consanguinitate, affinitate aliave ratione propinquiores aliis, cæteris paribus, præferre debemus, quod sic agnoscit B. Paulus, I Tim. v, 8 : *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior;* et S. Aug., de Doctrina Christiana, l. 1, cap. 28 : « Cum omnibus pro» desse non possis, his potissimum consulendum est qui » pro locorum et temporum vel quarumlibet rerum op-

» portunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte jun-
» guntur. »

Ordo autem inter conjunctos a S. Th. et ab aliis theologis assignatus, est sequens : pater, mater, uxor, filii, fratres, etc. Hæc tamen intelligenda sunt 1° de extrema necessitate ; nam in gravi necessitate conjux præferre debet conjugem qui secum est eadem caro, deinde filios qui sunt velut pars sui, propriis parentibus : *Homo enim relinquet patrem et matrem et adhærebit uxori suæ*, Genes. II, 24. 2° De æquali necessitate sub omni respectu ; qui enim in majori versatur necessitate, adjuvandus est ante propinquiorem in minori periculo existentem : v. g., prius succurrendum est extraneo æternaliter pereunti, quam patri pro salute corporis periclitanti. 3° De consueta agendi regula ; ex particularibus namque circumstantiis præcedens ordo sæpe variari potest : sic mater optima plus diligenda est quam pater depravatus, pastor magis obstringitur ad instruendos parochianos sibi commissos quam consanguineos sub alio pastore constitutos, sacerdos magis episcopo quam parentibus obedire debet; item miles magis duci quam patri, etc.

Notat *Dens*, t. II, inversionem ordinis charitatis, inter nos et proximos, raro esse peccatum mortale, excepto casu extremæ necessitatis.

Certum est insuper multos non credere se teneri ad maxima incommoda aut sacrificia, v. g., ad obeundam mortem pro salute alterius, ad amittenda omnia bona sua pro ejus vita servanda, et in praxi ad hanc persuasionem spectandum est.

Punctum quartum. — *De eleemosyna.*

Eleemosyna est vox græca idem significans ac latine misericordia, seu miserans cor super alterius miseria, et definiri potest : Opus misericordiæ quo aliquid datur indigenti ex compassione propter Deum; sicque differt a quovis beneficio indigenti præstito, sine ordinatione ad Deum ; tale beneficium non est eleemosyna, nisi mere naturalis, de qua non loquimur.

Duplicis generis distinguitur eleemosyna, spiritualis scilicet et corporalis : spiritualis est illa qua subvenitur animæ in ordine ad salutem æternam; et corporalis, qua miseriæ hujus vitæ sublevantur propter Deum.

Septem numerantur actus eleemosynæ spiritualis, scilicet ignorantem erudire, dubitanti consilium dare, delinquentem corrigere, mœstum consolari, offendenti condonare, defectus alterius patienter ferre, pro eo orare; qui actus sequenti versu exprimuntur :

Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

Septem sunt etiam actus eleemosynæ corporalis, videlicet infirmos et in carcere detentos visitare, esurientes cibare, potum sitientibus dare, captivos redimere, nudos vestire, peregrinos hospitio recipere, et mortuos sepelire; hoc versiculo continentur :

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

De eleemosyna spirituali sufficienter dicemus agendo de correctione fraterna. Nunc igitur nobis tractandum est de eleemosyna corporali, quæ sola proprie nomen eleemosynæ retinet; et dicemus 1° de ejus præcepto, 2° de ejus regulis, 3° de ejus conditionibus, et 4° de ejus effectibus.

De præcepto eleemosynæ.

Strictum existere præceptum dandi eleemosynam constat ex innumeris Scripturæ sacræ et Patrum testimoniis, v. g., 1° ex Eccli. IV, 1 : *Eleemosynam pauperis ne defraudes, et oculos tuos ne transvertas a paupere;* Tob. IV, 7 : *Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere...* et ℣ 9 : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude;* Matth. XXV, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum... : esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi*, etc.; Jacob. II, 13 : *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam;* I Joan. III, 17 : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit*

fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Numquid præceptum sub gravi clarius exprimi potuisset? 2° S. Ambros. de Officiis, l. 1, cap. 30: « Grandis culpa est, si, sciente » te, fidelis egeat: si scias eum... fame laborare, ærum- » nam perpeti, qui præsertim egere erubescat. » Infiniti essemus, si cuncta Patrum testimonia propositionem nostram confirmantia referre vellemus. 3° Ratio autem his testimoniis optime congruit; omnes enim ratione naturæ, originis et finis fratres sumus: nonne inde sequitur eos qui aliquid possident, indigentibus juxta rectum rationis dictamen succurrere teneri? Ergo existit præceptum naturale et divinum, obligans ex genere suo sub peccato mortali, dandi eleemosynam.

De regulis in danda eleemosyna sequendis.

Notandum 1° triplicem distingui necessitatem in qua proximus versari potest, scilicet extremam, gravem et communem. Necessitas extrema est status personæ adeo indigentis ut periculum amittendæ vitæ incurrat, nisi ei subveniatur; necessitas gravis est status personæ ita ægre viventis ut incurrat periculum in gravem morbum, amissionem membri, carcerem, amentiam, infamiam, etc., incidendi, nisi auxilium ei præbeatur; necessitas communis est status personæ quæ non nisi difficulter vivit, ut pauperes ostiatim mendicantes.

Notandum 2° bona triplicis esse posse generis, videlicet necessaria vitæ, necessaria statui et superflua: ea dicuntur necessaria vitæ, sine quibus propria vel alterius vita conservari non potest. Illa necessaria sunt statui, sine quibus homo a sua conditione decidere teneretur; dicuntur vero necessaria decentiæ status tantum ea sine quibus nonnullas sibi imponere debet privationes quas alii ejusdem conditionis et in negotiis suis felices sibi imponere non solent. Necessitas sicut et decentia status a multis adjunctis pendent et ex judicio viri prudentis æstimandæ sunt, habita ratione non solum temporis præsentis, sed et

futuri ac probabiliter contingentium, v. g., morbi, senectutis, belli imminentis, impensarum pro educandis filiis, dotandis filiabus faciendarum. Bona superflua illa sunt quæ nec ad vitæ conservationem, nec ad proprii status decentiam necessaria judicantur.

His notatis, sint regulæ sequentes :

1ª *Regula.* Pauperibus in extrema necessitate positis subveniendum est ex bonis vitæ superfluis, etsi aliquo modo ad statum sint necessaria; ordo enim charitatis exigit ut maximum proximi bonum bono nostro longe inferiori anteponamus. Nemo tamen tenetur a proprio statu excidere, nec magnam pecuniæ summam dare pauperi ad illum a periculo mortis redimendum vel ad procuranda ei remedia vitæ conservandæ necessaria, ut docet S. Ligorius cum pluribus aliis, l. 2, n. 31. Aliud tamen videtur dicendum si necessitas sit extrema vel etiam gravis, sed publica, ut pestis, bellum, etc.

2ª *Regula.* « Probabile est, » inquit *Busenbaum* cum pluribus aliis quos citat et approbat S. Ligorius, « quod » proximo in gravi necessitate constituto quisque teneatur » subvenire cum modico detrimento proprii status; quia » parvo suo incommodo tenetur magnum incommodum » proximi impedire. » Juxta *Ferraris*, v° *Eleemosyna*, n. 16, qui dicit hanc sententiam esse communem, proximo talem necessitatem patienti unusquisque subvenire tenetur sub mortali, non solum ex bonis vitæ et statui superfluis, sed etiam ex iis quæ aliquo modo necessaria sunt ad decentiam et splendorem proprii status, quia neglectus talis decentiæ vel splendoris fere nihil est in comparatione tanti mali quod patitur vel passurus est proximus; quod si usus rei tantum sit necessarius, sufficit eam commodare, v. g., equum ad fugiendum, ad accersendum medicum, etc., vel pecuniam aut frumentum mutuo dare, etc.

3ª *Regula.* Unusquisque tenetur sub mortali facere quandoque eleemosynam ex bonis vitæ et statui superfluis, *a fortiori* ex bonis decentiæ status superfluis, illis pauperibus qui in communi necessitate constituuntur.

Nam 1° qui communem patiuntur necessitatem, vere esuriunt, sitiunt, sunt infirmi, nudi, hospites : atqui datur obligatio sub gravi hujusmodi pauperibus subveniendi, ut patet ex sententia a supremo Judice ferenda ; 2° grave existit præceptum dandi eleemosynam, et illud præceptum in Scriptura et in Patribus nobis exhibetur ut commune : at non esset commune, sed rarum, si obligaret tantum in extrema vel in gravi necessitate ; 3° nisi pauperibus in communi necessitate constitutis subveniretur, in gravem et in extremam certo inciderent : ergo gravis existit obligatio eis tempore opportuno subveniendi. Ita S. Th., *Layman*, Navarrus, Tannerus, *Bannez*, *Covarruvias*, *Valentia*, *Azor*, *Sporer*, Bellarminus, *Ferraris* et alii, contra Medinam, *Busenbaum* et alios non paucos, qui volunt hanc obligationem esse tantum sub veniali, idque si nulla sit causa eleemosynam negandi; alias sub nullo peccato. Prior sententia, quæ est communior, ut certissima tenenda est in praxi, ait *Ferraris*, n. 20, et quidem merito.

Hæc autem obligatio erga pauperes in necessitate communi constitutos non ligat relative ad hunc vel ad illum in particulari, nisi ad summum sub veniali, secluso scandalo.

4ª *Regula*. Eleemosyna danda est omnibus vere indigentibus, sive sint fideles, sive infideles, sive indigenæ, sive alienigenæ, secundum ea quæ supra diximus de ordine charitatis ; ita ut, cæteris paribus, senex debilis præferatur juveni, nobilis ignobili, invalidus valido, fidelis infideli, catholicus hæretico, bonus malo, indigena extraneo, etc. Id sequitur ex dictis ubi de ordine charitatis.

Nulla est obligatio dandi eleemosynam, et aliquando illicitum esset eam dare pauperibus laborare nolentibus, tum quia hujusmodi pauperes veri sunt latrones qui eleemosynas vere indigentibus destinatas subripiunt, tum quia eleemosynas eis dare, esset illos ad ducendam vitam otiosam, omnium vitiorum fomitem, adjuvare : *Multam enim malitiam docuit otiositas*, Eccli. XXXIII, 29.

Cavendum tamen ne cum voluntarie otiosis numeren-

tur qui ob defectum laboris in miseriam lapsi sunt; his etenim subveniendum est dando vel eleemosynam, vel, quod melius est, aliquid faciendum ut ex labore suo vivere possint.

Pauperes extranei e civitate vel parochia expelli possunt, inquit *Ferraris*, n. 14, multos alios citans, quando justa adest causa, v. g., si parochiani vel cives domesticos et extraneos pauperes simul alere non possint, si extranei morbum afferant, si in otio torpescant, si perversa dent exempla, si statutum sit ut quælibet parochia et civitas proprios pauperes aleret et eorum curam haberet.

Qui ad imitandum Christum, Apostolos aliosque multos sanctos paupertatem voluntarie elegerunt, licite mendicare possunt, ut omnes catholici fatentur, siquidem ordines mendicantium ab Ecclesia fuerunt laudati et approbati : igitur superflua habentes, qui hujusmodi mendicantes ubi existunt semper repellerent, a peccato mortali non facile excusari possent; saltem enim ut impietatis suspecti merito haberentur.

De conditionibus eleemosynæ.

Eleemosyna debet esse justa, discreta, humilis, liberalis, prompta, hilaris, benigna, pia et perseverans.

1° *Justa*, id est, ex bonis propriis, non vero ex alienis, nisi eorum domini non possint inveniri. Excipitur casus extremæ necessitatis, in quo omnia bona sunt communia, saltem quoad usum, ut omnes fatentur. Unde filiifamilias, servi et ancillæ eleemosynas ex bonis parentum vel dominorum facere non possunt, nisi tenues et ex illorum voluntate saltem rationabiliter præsumpta. Facere possunt ex bonis quorum dominium et usum habent, v. g., filiifamilias ex bonis per industriam separatam acquisitis, vel sibi pro sua convenientia a parentibus vel ab aliis personis datis. Uxor, ex bonis paraphernalibus, ex iis quæ per industriam separatam acquisivit, ex summa a marito pro sua sustentatione sibi tradita, si parce vivendo aliquid subtrahat; item cum non sit serva, sed domina,

aliquas facere potest eleemosynas ex bonis communitatis, ut facere solent mulieres suæ conditionis, etiam invito marito : at eleemosynas extraordinarias absque illius consensu facere non potest, quia non habet bonorum communitatis administrationem.

Jure naturali pupilli et minores eleemosynas facere possunt, quia dominium bonorum suorum habent, et in hoc a filiisfamilias differunt; item tutores eas facere possunt quæ ad rationabilem bonorum administrationem pertinent. At sub legibus nostris id difficile fieri posset, ob necessitatem qua tutores astringuntur strictas reddendi rationes de sua gestione.

2° *Discreta*, id est, ut iis et in ea quantitate singulis detur quibus danda est. Id evidenter recta ratio dictat. Contra hanc conditionem peccant qui nimis uni tribuunt et alteri nihil dare possunt; qui præstantiore opere relicto, minus eligunt. Unusquisque tamen propriam habet devotionem, ut ita dicam; unus dat hospitio, alter seminario; hic orphanis, iste viduis vel puellis quarum virtus periclitaretur; alius præfert missionarios in regionibus infidelium laborantes, etc. Nullus ex his reprehendi potest, modo non negligat personas in extrema vel in gravi necessitate constitutas, quibus subvenire tenetur.

3° *Humilis;* vetat enim Christus, Matth. VI, 2, ne, cum eleemosynam facimus, tuba canamus, sicut faciunt hypocritæ. Necesse est tamen ut bonum exemplum aliis præbeamus : itaque nostras sic facere debemus eleemosynas ut eas præcise non semper occultemus, et tamen gloriam apud homines nunquam intendamus.

4° *Liberalis,* habita ratione uniuscujusque facultatum, ut quædam instituatur proportio inter pauperes et divites, atque dici non possit divites esse insensibiles et pauperes derelictos. Quantitas autem tribuenda taxari non potest : a multis pendet circumstantiis temporum, locorum, personarum indigentium aut divitum, abundantiæ aut penuriæ, etc. Si omnia non stricte necessaria impendendo, totam humanam paupertatem ejusque miserias tollere possemus, nihil reservandum esset; sed cum hujusmodi finis obti-

neri nequeat, sufficit ut pauperibus convenienter succurramus, eo modo quo rationabibiliter vellemus alios nobis in pari conditione constitutis opitulaturos fore.

Plurimi, post S. Thom., docent obligationem esse, saltem sub levi, *totum* superfluum decentiæ sui status erogandi; alii vero multi censent eum plene satisfacere, in circumstantiis ordinariis, qui notabilem superflui partem erogat, quamvis hujus limites determinare operosum sit. Quidquid sit, plerique in hoc consentiunt, 1° eum qui habet superflua mortaliter peccare si plerasque occasiones eleemosynam faciendi negligat aut ita dispositus sit ut omnes in necessitate communi positos repellat; 2° eum a mortali excusari qui, habita ratione superflui sui, censetur dare frequenter, licet sæpe repellat aut dare negligat, modo semper paratus sit sublevare graves necessitates quæ occurrunt.

5° *Prompta. Ne dicas amico tuo*, inquit Sapiens, Proverb. III, 28 : *Vade et revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare :* ubi quippe facienda est eleemosyna, cavendum ne per dilationem intempestivam fructus ejus deperdatur, et *a fortiori* non est differenda post mortem : optimum est in gratiam pauperum testari, sed divites, etiam dum vivunt, eleemosynas facere debent, et non tantum pro tempore quo bona sua retinere nequeunt.

Quæritur an qui præceptum dandi eleemosynam per longum tempus omisit, summam eleemosynis quas omisit æquivalentem dare teneatur, si possit.

R. Certum est hanc compensationem optimam esse et salutare remedium contra culpabilem omissionem. Sæpe hæc reparatio videtur necessaria ad tollendum scandalum per talem duritiem erga pauperes illatum. At non videmus quo fundamento diceretur existere obligationem dandi summam æquivalentem, cum eleemosyna non debeatur ex justitia.

6° *Hilaris : Non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus,* II Cor. IX, 7. Unde S. Aug., in Ps. XLII, n. 8 : « Si panem dederis tristis, et panem et » meritum perdidisti. »

7° *Benigna,* id est sine ullo asperitatis, despectionis aut contemptus signo, cum verbis bonitate, misericordia et compassione plenis.

8° *Pia,* satagendo videlicet ut pauperes occasione subsidii corporalis quo indigent, veritates religionis erudiantur, a vitiis retrahantur, et ad christianas virtutes excitentur. Imprudenter tamen negarentur eleemosynæ iis qui sacramenta Ecclesiæ dereliquerunt, donec confessi fuerint, quia hæc agendi ratio ad sacrilegia incitaret : religio persuaderi debet et non imperari.

9° *Perseverans.* Quamdiu enim pauperes indigent, tamdiu sublevandi sunt, juxta uniuscujusque facultates ; nec excusarentur divites dicendo se multa jam dedisse, si, miseria adhuc subsistente, eleemosynas suas continuare possent.

De eleemosynæ effectibus.

Eleemosyna, ex vera charitate procedens, sequentes præcipue habet effectus : 1° a peccatis liberat : *Eleemosyna ab omni peccato et morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras,* Tob. IV, 11; *Ignem ardentem exstinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis,* Eccli. III, 33. Non quidem remittit peccata ex opere operato, sed gratiam pœnitendi obtinet et ad justificationem conducit. 2° Si in gratia sanctificante fuerit facta, vitam æternam promeretur de condigno, juxta hæc Christi verba, Matth. XXV, 34 : *Possidete paratum vobis regnum... esurivi enim, et dedistis mihi manducare,* etc. Beatitudo enim æterna hic exhibetur tanquam eleemosynæ pretium. 3° Est bonorum temporalium semen fecundum, juxta hæc verba Prov. XIX, 17 : *Feneratur Domino qui miseretur pauperis :* et experientia constat eos qui eleemosynas sapienter distribuunt, in negotiis suis communiter bene prosperare.

Punctum quintum. — *De correctione fraterna.*

Quamvis aliquod existat discrimen inter correctionem et correptionem, quatenus correptio, vi verborum, re-

prehensionem alicujus in ejus emendationem significat, et correctio ipsius emendationem, promiscue tamen hic sumi solent. Triplex autem distinguitur correctio, scilicet judicialis, paterna et fraterna. Correctio judicialis ea est quæ fit auctoritate publica, ad castigationem delinquentis et aliorum terrorem, ut bonum publicum servetur : est igitur actus justitiæ vindicativæ. Correctio dicitur paterna quando pater, superior vel herus corripit inferiorem vi suæ auctoritatis, sine forma judicii, tum ad illius emendationem, tum ad impediendum vel reparandum scandalum. Denique, correctio fraterna est admonitio qua quis conatur ex pura charitate alterum a peccato avertere : nullam igitur supponit auctoritatem. Est actus misericordiæ spiritualis in solius delinquentis utilitatem directus.

Tria hic occurrunt investiganda, scilicet 1° an existat præceptum faciendi correctionem, 2° quæ sint ejus conditiones, et 3° quis ordo in ea facienda servandus sit.

De præcepto correctionis fraternæ.

Existere hujusmodi præceptum constat, 1° ex Scriptura sacra : Eccli. XIX, 13 : *Corripe amicum, ne forte non intellexerit et dicat : Non feci ; aut si fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne forte non dixerit ; et si dixerit, ne forte iteret.* Matth. XVIII, 15 : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum... Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* 2° Ex jure canonico. Decreti parte 2, causa 24, q. 3, can. 14 : « Tam sacerdotes quam reliqui » fideles omnes humanam curam habere debent de his » qui pereunt, quatenus eorum redargutione aut corri- » gantur a peccatis, aut si incorrigibiles apparuerint, ab » Ecclesia separentur. » Decretal. l. 5, tit. 7, cap. 12, Innocentius III redarguens laicos qui munus prædicandi usurpant, ait : « Cum aliud sit fratrem in se peccantem » occulte corripere ; quod quisque tenetur efficere, secun- » dum regulam Evangelicam. » 3° Ex S. Th. 2 2, q. 33, art. 2, et ex unanimi theologorum doctrina. 4° Ratione.

Lege naturali proximum amare et ei indigenti subvenire tenemur : si autem eum amare eique in necessitatibus corporis subvenire teneamur, *a fortiori* in necessitatibus animæ, ut pote multo majoris momenti. Certe si aliquem videremus ex voluntate perversa se occidere volentem, et multo magis si ex ignorantia vel inadvertentia, eum prohibere conaremur, neque nos a gravi peccato innoxios judicaremus, si eum a tali malo avertere negligeremus; quomodo igitur excusari possemus, si illum in negotio salutis periclitantem videntes, opem ei ferre non curaremus? Ergo.

Hoc præceptum 1° obligat omnes fideles etiam inferiores respectu superiorum, quando eos utiliter corripere possunt absque suo damno gravi vel levi, pro circumstantiis, quia omnes proximo necessitatem patienti quantum moraliter possunt subvenire tenentur : strictius tamen obligat superiores respectu inferiorum, ut infra, agendo de quarto Decalogi præcepto, dicemus. 2° Obligat sub peccato mortali, quando proximus in peccato mortali vel in gravi periculo mortaliter peccandi versatur, et datur spes emendationis; sicut enim denegare eleemosynam, urgente necessitate, peccatum est mortale, ita et correctionem fraternam in materia gravi omittere. 3° Obligat etiam, per se loquendo, ubi agitur de peccato veniali impediendo aut corrigendo, sed tantum sub levi, ob parvitatem materiæ. Excipiuntur prælati et superiores religiosorum qui, ex communi doctorum consensu, sæpe culpas veniales inferiorum sub mortali tenentur impedire, propter periculum ne per illas vigor disciplinæ graviter lædatur : secus, ubi tale non existit periculum.

De conditionibus ad faciendam correctionem fraternam adhibendis.

Finis correctionis fraternæ est emendatio delinquentis : prudenter igitur facienda est et modo ad obtinendam persuasionem cordis aptiori. Sequentes requiruntur conditiones, nempe, 1° ut peccatum vel periculum peccandi

sit moraliter certum; in dubio enim proximus æstimandus est innocens, quia *charitas non cogitat malum*, I Cor. XIII, 5. Ita doctores etiam rigidiores, ut P. *Antoine*, *Habert*, Coll. Andeg., *Collet*, etc. Et si quilibet Christiani jus sibi arrogarent cæterorum vitam examinandi, scrutandi, judicandi et promiscue increpandi, ordo reipublicæ christianæ evidenter turbaretur. Sæpe tamen in dubio fundato possunt, imo et debent superiores suos admonere subditos, et in eorum actus publicos ac privatos invigilare, non præcise ratione charitatis, sed ratione officii.

2° Ut correctio sit necessaria; nam si peccator jam sit emendatus, aut si prævideatur emendandus, aut de perseverantia ejus in peccato vel de futuro illius relapsu dubia tantum sit præsumptio, non existit obligatio correctionem faciendi, nisi ex parte superiorum et ratione officii. Hoc ex prima conditione sequitur.

3° Ut affulgeat spes emendationis; correctio enim fraterna ad bonum spirituale proximi ordinatur: ergo non facienda est quando ei potius obfutura quam profutura prævidetur. Non tamen requiritur spes certa; spes probabilis sufficit, modo non sit probabilius vel æque probabile monitionem futuram esse nocivam; nam in ea anxietate ab ea facienda abstinendum est, nisi honor Dei, scandalum avertendum aliave gravis ratio eam non omittendam suadeat. *Habert* et, post eum, *Collet* notant nos eos, quorum ingenium nobis est ignotum, corrigere non teneri, ob quodvis peccatum mortale, ne potius fiant pejores quam corrigantur; et id magis temporibus nostris verum est.

4° Ut sit urbana, ab omni asperitate, despectione aut exprobrio aliena, conditioni personarum accommodata, paterna erga inferiores, benigna erga æquales, reverentialis erga superiores, et respectu omnium charitate plena.

5° Ut sit opportuna; nam « Actus virtutum, » inquit S. Th. 2 2, q. 33, art. 2, concl. « non quolibet modo fieri » debent, sed observatis debitis circumstantiis quæ requi- » runtur ad hoc quod sit actus virtuosus, ut scilicet fiat » ubi debet, et quando debet, et secundum quod debet. »

Non igitur semper facienda est correctio statim ac peccatum cognoscitur.

6° Ut non sit alius ad faciendam correctionem magis idoneus quam qui eam facturus est, quia tunc frater delinquens correctione tua non indigebit : secus, si magis idoneus eam sit omissurus.

7° Ut grave non timeatur damnum; bonum enim proximi cum gravi detrimento nostro procurare non tenemur, nisi juxta regulas superius, p. 146 et seq., expositas. Non tamen omittenda foret correctio propter aliquam delinquentis tristitiam, vel iram cum aliqua culpa, modo futura rationabiliter speraretur emendatio.

Hic quærere solent theologi an corripiendus sit qui peccat ex ignorantia invincibili : pro solutione hujus quæstionis remittimus ad Tractatum *de Pœnitentia,* ubi de obligatione interrogandi pœnitentes.

De ordine in facienda correctione servando.

Servandus est ordo ab ipso Christo, Matth. XVIII, 15, præscriptus his verbis : *Si peccaverit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te et ipsum solum... Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Ille ordo obligat per se sub gravi sicut ipsa præcepti substantia; eodem modo enim a Christo præcipitur et ratione fundatur; siquidem famam proximi lædere non licet absque necessitate. Unde si monitio secreta sufficiat, non adhibendi sunt testes; si unus testis sufficit, non licet adhibere plures; si testes non sufficiunt, res denuntianda est superiori qui, pro sua prudentia, judicabit quid agendum expediat.

Fieri tamen potest ut ille ordo ex juxta causa merito invertatur, et peccatum proximi statim superiori deferatur; v. g., in sequentibus casibus :

1° Si sit publicum, quia cessat ratio famam delinquentis servandi, et non solum ipsius emendatio, sed reparatio scandali procuranda est : si culpa nondum devenerit in

publicum, sed in via sit deveniendi, etiam denuntianda est, ut scandalo futuro occurratur.

2° Si peccatum, licet occultum, in aliorum spirituale vel temporale detrimentum vergat, ut parata proditio, occisio, bonorum alienorum subreptio, maleficium, hæresis, juvenum vel puellarum corruptio, clericorum indigna promotio, etc., et fundata non existat spes malum per secretam monitionem avertendi, statim facienda est denuntiatio. Ita S. Th. 2 2, q. 33, art. 7, et cum illo omnes theologi; ratio est, quia bonum commune præferendum est bono privati, et etiam bonum innocentis bono voluntarie lædentis.

3° Ubi prudenter judicatur secretam monitionem non esse profuturam, ut fieri solet respectu eorum qui ex contemptu vel ex habitu peccant, denuntiatio statim fieri potest.

4° Si quis rogatus satisfactionem debitam concedere nolit, læsus ad superiorem statim recurrere potest, quia jure suo utitur.

5° Patres societatis Jesu speciali subjiciuntur constitutioni vi cujus omnes eorum defectus et errores ad superiorem immediate deferri possunt : vota sua emittendo, huic constitutioni se subjiciunt, ac proinde jure suo sub hoc respectu cedunt. Falsum est autem professionem religiosam hujusmodi juris ad famam cessionem ex natura sua continere, ut recte advertit *Collet*.

§ III. — De vitiis charitati oppositis.

Omnia peccata charitati generaliter sumptæ adversantur et eam destruunt vel formaliter, si sint mortalia; vel dispositive, si sint venialia : quædam tamen specialius dicuntur charitati opposita, et a S. Th. 2 2, q. 34 et seq., numerantur : odium Dei, odium proximi, acedia, invidia, discordia, contentio, schisma, bellum injustum, rixa, seditio et scandalum. De acedia et invidia sufficienter diximus in Tractatu *de Peccatis;* de bello injusto dicemus ad quintum Decalogi præceptum; de cæteris in duplici puncto dicturi sumus.

Punctum primum. — *De odio Dei et proximi, discordia, contentione, schismate, rixa et seditione.*

De odio Dei.

Odium est actus mentis objectum aversantis. Duplex est, scilicet abominationis et inimicitiæ. Odium abominationis illud est quo rem vel personam aversamur, ut nobis vel nostris malam. Odium istud erga proximum potest habere pro objecto ipsius personam, et dicitur odium personæ; vel qualitates personæ, et appellatur odium qualitatis.

Odium inimicitiæ est illud quo, ex displicentia personæ, malum ei optamus.

Certum est odium Dei sive inimicitiæ, sive abominationis, gravissimum esse peccatum, quia rationem formalem charitatis evertit et supremum bonum summe diligendum contemnit. Unde enormiter peccant qui optant Deum non esse, peccata non videre, vel non punire; qui de virtute aut ejus mercede tristantur, de offensa Dei gaudium percipiunt, etc. Odium Dei levitatem materiæ pati non potest.

De odio proximi.

1° Odium inimicitiæ erga proximum est peccatum ex genere suo mortale; fraternæ enim charitati directe adversatur. Unde S. Joannes I Epist. III, 14 : *Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* Potest tamen esse veniale, nempe si, ex levi displicentia personæ, leve malum optetur; et raro est mortale, inquit *Billuart*, quando est simplex displicentia vel aversio personæ, absque eo quod ei aliquod malum optetur. Est tamen periculosum, maxime si diu durat, quia ex se inducit ad exoptandum malum, aut ad complacendum in malis personæ accidentibus.

2° Odium qualitatis personæ inordinate conceptum,

est peccatum mortale vel leve, juxta gravitatem aut levitatem materiæ, quia tunc penitus excusari non potest : si recte ordinetur, id est, si ex amore Dei, ex zelo pro virtute et contra vitium procedat, ita ut non persona, sed ejus peccatum aversioni habeatur, potius laude quam vituperio est dignum ; est enim actus veræ charitatis, et ideo dicitur in Prov. XXIX, 27 : *Abominantur justi virum impium;* in Ps. CXXXVIII, 21 : *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam... perfecto odio oderam illos;* super quæ verba S. Aug. ait : « Hoc est perfecto odio odisse, ut nec » propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines » diligas. »

Declarandæ sunt in confessione 1° qualitas personarum quæ odio habitæ sunt, v. g., parentes, avi, uxor, maritus, filii, fratres, benefactores, superiores ecclesiastici aut civiles, et alii similes, quia variæ illæ circumstantiæ speciem mutant, vel saltem aggravant peccatum; 2° quantitas seu numerus personarum, quia tot sunt malitiæ quod personæ; 3° natura mali quod eis fuit exoptatum, v. g., an læsio in fama vel in bonis, an morbus, an mutilatio, an mors, an damnatio æterna, etc. Patet quippe gravitatem peccati ex genere malorum quæ exoptantur pendere.

4° Semper autem illicitum est malum exoptare vel imprecari proximo, ut malum ejus, aut de eo gaudere, vel de bono ejus tristari, quia hoc charitati directe adversatur et ex genere suo est peccatum mortale. Item de malo proximi gaudere, non quatenus est malum ejus, sed propter minus bonum nobis vel alteri obventurum, v. g., de morte patris ob hæreditatem inde provenientem. Unde Innocentius XI sequentes damnavit propositiones : « Licitum est absoluto desiderio cupere mortem » patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum » cupientis, quia nimirum obventura est ei pinguis hære» ditas. Licitum est filio gaudere de parricidio in ebrietate » perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate » consecutas. »

« 5° Potest (tamen) aliquis, salva charitate, optare

» malum temporale alicui, et gaudere si contingit, non » in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius quem plus tenetur diligere, vel communitatis, vel Ecclesiæ; similiter de » malo temporali ejus secundum quod per malum pœnæ » impeditur frequenter malum culpæ ejus. » Sunt verba S. Th. in 3 dist., q. 33, art. 1, ad 4. Hinc licet 1° desiderare ut insignis peccator morbo vel ærumnis ad meliores fruges adducatur; 2° optare mortem persecutoris, propter bonum Ecclesiæ bono privato anteponendum; 3° gaudere de justo hostium excidio ob regni utilitatem, etc.

6° Maledicus vel imprecator qui malum sibi vel aliis optat evenire, graviter vel leviter peccat, juxta naturam mali quod intendit, affectum quo movetur, vel ratione scandali aut contumeliæ. Omnes igitur circumstantiæ sedulo pensandæ sunt, ut gravitas peccati recte noscatur.

De discordia.

Discordia opponitur concordiæ, quæ est cordium seu voluntatum unio : est igitur voluntatum dissensio in iis in quibus ex divina, vel fraterna charitate consentire tenemur.

Est peccatum ex genere suo mortale, ut patet 1° ex Prov. VI, 19, ubi dicitur Deum odisse ac detestari *eum qui seminat inter fratres discordias;* 2° ex B. Paulo, Gal. V, 20, qui *dissensiones* computat inter opera quæ a regno Dei excludunt; 3° ex ratione; discordia enim evidenter opponitur charitati, cujus finis est voluntates unire.

Qui tamen bona fide aliquid judicat malum vel minus bonum quod alter credit bonum vel melius, aut leve aut nullum esse potest peccatum, si absit pertinacia, et charitatis signa nihilominus sibi invicem exhibeant dissidentes : sic excusatur dissensio inter Paulum et Barnabam, in Act. XV relata.

De contentione.

Contentio in contrarietate verborum consistit, sicut discordia in contrarietate voluntatum, et definitur : *Altercatio verborum quibus unus inordinate alteri contradicit.* Ex natura sua est peccatum mortale; numeratur enim ab Apostolo, Gal. v, 20, inter opera quæ a regno cœlorum excludunt, et charitati per se graviter adversantur. Supponitur tamen impugnari serio veritatem ad fidem, bonos mores, pietatem, justitiam aut bonum proximi pertinentem, quæ nota est, vel cognosci potest et debet; si enim veritas exercitii causa impugnaretur sine scandalo et acrimonia, nullum esset peccatum; aut si materia sit levis, aut inordinatio sit tantum in modo, v. g., cum nimio clamore, seclusis scandalo et conviciis, peccatum est duntaxat veniale.

De schismate.

Schisma a verbo græco σχιζω, significat scissionem, divisionem, et est voluntaria baptizati ab unitate Ecclesiæ separatio, retenta christiani nominis professione. Non omnis ergo inobedientia vocatur schisma, sed ea tantum quæ fit cum intentione saltem indirecta se ab unitate Ecclesiæ separandi.

Schisma gravissimum est peccatum cum summum Ecclesiæ bonum, nempe unitatem, tollat, et ita illud semper judicarunt Patres ac doctores.

De rixa et seditione.

Rixa est pugna manuum et verborum privata auctoritate facta. In aggressore est peccatum ex genere suo mortale, quia charitati essentialiter opponitur, et a B. Paulo inter peccata ingressum cœli excludentia numeratur : in eo qui se cum debita moderatione defendit nullum est peccatum; in eo qui modicum excedit, est peccatum veniale, et in eo qui multum excedit, peccatum est mortale. Ita S. Th. 2 2, q. 41, art. 1, et cum illo omnes theologi.

Seditio est tumultuosa aggressio unius partis reipublicæ contra aliam vel contra principem. Non est dubium quin per se gravissimum sit peccatum, cum paci et bono publico evidenter adversetur.

Punctum secundum. — *De scandalo.*

Scandalum dicitur a voce græca σκάνδαλον, idem significans ad offendiculum. Lapis in via positus est offendiculum seu scandalum respectu iter agentium, præsertim cæcorum et infirmorum; sic pariter in via salutis, factum aut dictum unius ita positum ut alii in illud impingant et ruant, est respectu illorum offendiculum seu scandalum.

Duplex est scandalum, *activum* seu *datum,* et *passivum* seu *acceptum.*

Scandalum *activum* definitur a S. Th. 2 2, quæst. 43, art. 1 : *Dictum vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ.*

Per dictum et factum intelliguntur etiam omissiones eorum quæ dici aut fieri debuissent : sic parentes scandalum præbent filiis, non arguentes eos qui coram illis peccant, aut propria religionis officia negligentes.

Dicitur *minus rectum,* non vero malum, quia scandalum præberi potest per aliquid in se bonum, sed quamdam speciem mali habens ; ut si vir religiosus carnem ex dispensatione die veneris manducet coram personis dispensationem ignorantibus.

Dicitur *præbens alteri occasionem ruinæ,* non vero ruinam seu peccatum causans; quia peccatum est actus voluntatis personæ peccantis, et ab extrinseca causa effici non potest. Neque ad rationem scandali requiritur ut ruina sequatur, modo illius præbeatur occasio : nec datur scandalum per actiones etiam pessimas et publicas, si nulla præbeatur alteri occasio peccatum faciendi; sed potius horror excitatur, ut quandoque accidit.

Scandalum *activum* seu *datum* potest esse directum vel indirectum. Est directum quando ruina proximi intenditur, vel ut ipsius ruina, quod est diabolicum et rarum

inter homines; vel ad propriam scandalizantis satisfactionem, quod frequenter contingit. Dicitur vero indirectum quando ruina spiritualis proximi non intenditur, sed prævidetur aut prævideri potest et debet ex actione quæ ponitur secutura.

Scandalum *acceptum* seu *passivum* est ipsamet ruina spiritualis ex alterius facto vel dicto secuta : si ex facto aut dicto minus recto proveniat, est scandalum simul datum et acceptum; si ex facto aut dicto nullam ex se vel ex intentione agentis aut loquentis occasionem ruinæ præbente, est duntaxat scandalum acceptum. Et duplex est, unum pharisaicum et alterum pusillorum. Dicitur pharisaicum quando ex pura scandalizati malitia oritur, ut apud doctores Judaicos qui, ut perderent Jesum, fingebant se ex illius verbis aut factis scandalizari; appellatur vero pusillorum, quando ex ignorantia vel infirmitate scandalizati oritur.

Patet ex dictis quandoque existere scandalum activum sine passivo, et quandoque passivum sine activo.

Nunc examinandum est quale peccatum sit scandalum activum seu simpliciter dictum, quænam sint omittenda ad illud vitandum, et quid faciendum ad illud reparandum.

Quale peccatum sit scandalum.

1° Scandalum datum seu activum ex genere suo est peccatum mortale, ut constat 1° ex verbis Christi, Matthæi XVIII, 6 : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Væ mundo a scandalis! necesse est enim ut veniant scandala : verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit!* 2° ex verbis B. Pauli, Rom. XIV, 15 : *Si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est;* et I Cor. VIII, 13 : *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scanda-*

lizem ; 3° ex ratione, proximo enim aliquam necessitatem corporalem aut spiritualem patienti succurrere ex gravi præcepto tenemur : ergo *a fortiori* et offendiculum illi non præbere : ergo.

2° Potest tamen esse veniale ratione levitatis materiæ, ut si quis excitetur ad peccandum venialiter, defectu advertentiæ aut consensus, aut quia levis est influxus in alterius peccatum. Gravitas autem vel levitas scandali non desumitur ex natura culpæ scandalizantis, sed ex ejus influxu in alterius peccatum et ex natura hujus peccati : sic fieri potest ut peccatum grave sit tantum leve in ratione scandali, et peccatum leve vel actio in se innoxia sit peccatum grave, quia alium vel alios efficaciter determinat ad peccandum mortaliter.

3° Generaliter docent theologi scandalum directum duplicem habere malitiam in confessione aperiendam, unam scilicet contra charitatem, et alteram, contra virtutem ad quam lædendam inducitur proximus : v. g. puellam inducis ad fornicandum, peccas contra charitatem erga illam et contra castitatem, etiamsi tu ipse fornicari non intendas.

4° Multo communius etiam docetur scandalum indirectum duplicem similiter induere malitiam in confessione exprimendam. Videlicet 1° lædit charitatem sicut scandalum directum ; si enim tenemur ex charitate proximum corrigere, cum possumus malum ejus avertere, quanto magis cavere debemus ne eum impellamus ad malum exemplo aliove incitamento ! 2° lædit virtutem cui opponitur peccatum ad quod proximus inducitur ; etsi enim malum exemplum non sit causa alterius peccati efficax, est tamen illius causa moralis, sine qua proximus non peccasset : ergo malitia hujus peccati vere imputanda est scandalum præbenti sicut et ei qui ex scandalo determinatur ad peccandum. Ita S. Ligorius, l. 2, n. 45, et plures apud ipsum et communiter theologi nostri.

5° Plures contenderunt quod præbere occasionem peccandi ei qui jam paratus est ad peccandum, non esset

peccatum contra charitatem; sed S. Ligorius, multos nimiæ rigiditatis non suspectos pro se citans, hanc sententiam fortiter impugnat et rejiciendam esse demonstrat, præsertim quia peccator actu externo notabiliter majorem ruinam sibi infert.

6° Hinc 1° qui alios ad peccandum induxit, declarare debet genus peccati aut peccatorum, et quantum moraliter potest, numerum scandalizatorum; 2° qui coram aliis peccavit, v. g., blasphemavit, turpia fecit aut dixit, communiter hanc circumstantiam declarare tenetur propter scandalum aut scandali periculum; 3° etiamsi alter ex perverso tuo exemplo non peccaverit, teneris tamen scandali circumstantiam exprimere, si reipsa occasionem peccandi præbueris.

Quæ sint omittenda ut vitetur scandalum.

1° Certum est strictam dari obligationem omittendi ea quæ mala sunt, non solum quia mala sunt, sed etiam ratione scandali inde secuturi; nulla enim existere potest ratio faciendi quod malum est, et aliunde existit obligatio, ex præcepto charitatis, vitandi scandalum. Ergo.

2° Similiter nunquam licet minus consulere malum, aut ad illud alia ratione positiva inducere ad vitandum majus; quia non sunt facienda mala, quantumvis parva, ut eveniant bona, et quod in se malum est fieri non potest bonum propter finem intentum: liceret tamen deterrere aliquem a graviori malo, prævidendo eum aliud minus certo esse facturum, modo ad istud positive non inducatur.

3° Opus ex se bonum et nullam speciem mali habens omittere non tenemur ob scandalum pharisaicum, si adsit rationabilis causa illud non differendi; nam, cum hujusmodi scandalum ex malitia scandalizati oriatur, ei soli tribuendum est, et si ad illud vitandum a bonis operibus abstinendum esset, perversi bona opera impedire possent

cum vellent. Unde Christus dixit discipulis referentibus quod Pharisæi ex dictis et factis ejus scandalizarentur : *Sinite illos; cæci sunt et duces cæcorum,* Matth. xv, 14.

Si autem rationabilis non esset causa opus illud statim faciendi, differri deberet ad vitandum hujusmodi scandalum, quia vera charitas abhorret a peccato etiam ex alterius malitia orituro et Deum offensuro.

4° Opus ex omni parte bonum, sed nulla lege præscriptum, si vergat in utilitatem privatam tantum, occultari aut differri debet, propter scandalum pusillorum, donec ratio sic agendi fuerit exposita ; ex præcepto enim charitatis ruinam pusillorum impedire tenemur, cum absque notabili detrimento possumus : at, in eo casu, scandalum absque notabili detrimento vitare possumus, cum bonum de quo agitur non sit necessarium, et aliunde illud differendo vel omittendo, actum charitatis exerceamus. Ergo, etc. Si autem actus virtutis non præscriptus ad notabilem utilitatem publicam respiciat, non est omittendus propter scandalum aliquorum infirmorum ; nec etiam si notabilis sit utilitas privata, et ratio sic agendi sufficienter fuerit exposita, quia tunc scandalum est pharisaicum et contemnendum.

5° Controvertitur an omittenda sint bona humana lege præscripta, ad vitandum scandalum pusillorum. Plures negant, quia leges humanæ non cessant obligare propter aliorum peccata, et major est obligatio positivum implendi præceptum, quam aliorum prævaricationes impediendi. Alii vero communius et probabilius docent ea tunc omittenda esse, quia naturale existit præceptum de non præbendo scandalo; ubi autem duo occurrunt præcepta gravia, unum naturale et alterum positivum, naturale præferendum est : Ergo. Ita *Layman*, *Busenbaum*, *Suarez, Tournely,* P. *Antoine*, *Collet*, *Billuart*, S. Ligorius, etc. Hinc mulier quæ prævidet quod si jejunet vel Sacro assistat, maritus inde offensus in blasphemias, imprecationes et in alia hujusmodi ex ignorantia prolapsurus sit, ea præcepta occulte implere debet si possit ; si non

possit, ea omittere potest, donec, rationibus expositis, occasio scandali tollatur.

Sed quid, si agatur de præcepto naturali vel divino positivo? Præcepta negativa nunquam violari possunt ad vitandum scandalum, quia non sunt facienda mala ut eveniant bona; præcepta vero affirmativa, tum divina positiva, tum etiam naturalia, quæ impleri non possent absque gravi pusillorum scandalo, in hac occurrentia probabilius non obligant, saltem in multis casibus qui gravi judicio pensandi sunt. Ita multi apud S. Lig., l. 2, n. 51. Sic sacra communio est de præcepto divino in articulo mortis, et tamen quandoque omitti potest propter scandalum; v. g., non deferretur in lupanar ad meretricem vere pœnitentem: depositum ex jure naturali tempore fixo reddi debet, et nihilominus ejus restitutio differri potest, si gravis ejus prævideatur abusus, etc.

6° Bona temporalia quorum non sumus domini, sed tantum administratores, qualia sunt bona ecclesiarum, hospitiorum, pupillorum, dimitti non possunt ad vitandum scandalum etiam pusillorum, quia non habemus potestatem dominium eorum ad alios transferendi. Monent tamen sapientes auctores exactionem eorum differendam esse donec instruantur debitores de obligatione sua, et si, facta monitione, scandalum adhuc perseveret, procurandum esse assensum Ecclesiæ, si de bonis ecclesiasticis agatur, ut debitum ex parte vel ex toto remittatur.

7° Si bona propria obtineri aut servari non possint sine pusillorum scandalo, aut totaliter dimittenda sunt, aut aliter sedandum est scandalum, scilicet per aliquam monitionem, ut ait S. Th. 2 2, q. 43, art. 8; facta autem monitione de veritate justitiæ, scandalum evadit pharisaicum, et de illo non amplius curandum est. Imo *Sanchez*, *Sporer*, *Suarez* et alii plures dicunt nunquam esse obligationem gravem patiendi magnam jacturam in bonis propriis, ne proximus patiatur scandalum etiam ex infirmitate, quia charitas erga proximum non obligat cum tanto incommodo. Vide S. Ligorium, l. 2, n. 52.

Quæritur an herus vel domina aliquid ponere possit furandum filiis vel famulis, ut probitatem eorum cognoscat, et maritus occasionem adulterandi uxori ut fidelitas ejus probetur.

R. 1°. Communiter docent theologi licitum esse occasionem jam existentem non auferre, et observare quid adventurum sit, ut peccantes deprehendantur, puniantur et resipiscant; nam tunc unum rationabiliter permittitur peccatum ut plura impediantur, vel ut innocens a damno servetur. Sic. P. *Antoine*, *Tournely*, *Dens*, S. Ligorius, etc.

R. 2°. Probabiliter non licet occasionem de industria ponere ad probitatem aut infidelitatem eorum tentandam, quia esset positiva inductio ad peccatum. Sic iidem theologi et alii non pauci. Non tamen desunt qui contrarium teneant ut probabile, et confirmare nitantur exemplo Judith, quæ suis ornamentis tentavit cor Holophernis, ut eum libidine captum occideret sicque populum suum liberaret. Ita *Layman*, *Bonacina*, *Viva*, *Busenbaum*, *Collet* et alii plures apud S. Ligorium, l. 2, n. 58, dicentes Judith in ea occasione non peccasse, quia ex gravi causa licet facere actionem in se bonam qua alter prævidetur ex malitia sua abusurus.

Vide ea quæ diximus in Tractatu *de Actibus humanis*, de cooperatione ad aliorum peccata.

Quid faciendum est ad reparandum scandalum.

1° Cessandum est a dicto vel facto occasionem ruinæ præbente: ratio patet.

2° Meliori quo fieri potest modo retractari debent consilia iniqua, malæ suasiones et alia hujusmodi, ac manifestanda est displicentia de perverso exemplo aliis præstito. Insuper curandum est hujusmodi retractatio et displicentiæ manifestatio iis omnibus innotescat qui ad malum fuerunt inducti vel deinceps induci possent. Unde qui, v. g., per scripta obscena, hæretica, impia, diffama-

toria alios incitavit ad peccata, hæc per nova scripta quantum poterit retractare tenebitur; qui leges divinas aut ecclesiasticas publice violavit, easdem nunc publice servare debet; et nisi hoc faciat, ad sacramenta admitti non potest.

ARTICULUS QUARTUS.

DE RELIGIONE.

Religio est *virtus moralis, nos inclinans ad reddendum Deo, tanquam rerum omnium principio, cultum debitum.*

Dicitur *moralis* et non theologica, quia non habet pro objecto immediato ipsum Deum, sicut fides, spes et charitas, sed cultum ei exhibendum. Attamen inter virtutes morales primum tenet locum, juxta omnes, quia propinquius accedit ad Deum et ipsius objectum est excellentius. Plures præcipit actus tum internos, tum externos, ad Deum honorandum idoneos, et prohibet vitia sibi opposita. Itaque dicemus 1° de actibus virtutis religionis, et 2° de vitiis ei oppositis.

§ I. — De actibus virtutis religionis.

Omnes actus boni possunt imperari et sæpius imperantur virtute religionis, quia ad Dei cultum et honorem dirigi queunt. Sequentes autem, cum nullo alio mediante habitu producantur, sunt actus religionis eliciti, sive stricte, ut devotio, sive latiori sensu, ut oratio, adoratio, sacrificium, oblationes, decimæ, votum, juramentum et quorumdam dierum sanctificatio, quæ omnia ex natura sua subjectionem nostram erga Deum testificantur. De voto, juramento et quorumdam dierum sanctificatione ad secundum et tertium Decalogi præceptum dicemus: de sacrificio sufficienter diximus in Tractatu *de Eucharistia*. Nunc vero de cæteris religionis actibus.

Punctum primum. — *De devotione.*

Devotio, a verbo *devovere* ortum habens, definitur a S. Th. 2 2, q. 82, art. 1: *Voluntas prompte tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum.* « Unde, inquit S. Doc- » tor, devoti dicuntur qui seipsos quodam modo Deo de- » vovent, ut ei se totaliter subdant. Sic apud gentiles » devoti vocabantur qui seipsos idolis devovebant in mor- » tem pro sui salute exercitus. »

Devotio igitur non consistit in quibusdam transitoriis religionis actibus etiam cum alacri fervore elicitis, nec in sensibili gustu pietatis, nec in eis invenitur qui tepide Deo serviunt, etsi omnibus renuntiaverint ut famulatui ejus sese manciparent; importat enim promptam et fixam voluntatis dispositionem quæ sine sensibili gustu subsistere potest. Qui Sanctis in genere vel in specie se devovent, actum religionis exercent quatenus hunc cultum referunt ad Deum in Sanctis suis mirabiliter relucentem; qui vero principibus, dominis temporalibus vel parentibus se devovent, actum fidelitatis aut pietatis filialis exercent, non autem proprie actum religionis, nisi ex motivo supernaturali et propter Deum hoc faciant.

Duplex est causa devotionis, juxta S. Th., una extrinseca et principalis, quæ est Deus dona sua prout vult unicuique distribuens; et altera intrinseca, scilicet contemplatio bonitatis divinæ et ejus beneficiorum; unde nascitur dilectio quæ est proxima devotionis causa, et consideratio propriorum defectuum quæ nos conducit ad dicendum cum Psalmista, Ps. cxx, 1 : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.*

Tria hic monet S. Th. : 1° vitandum esse genus meditationum quæ intellectum ita occupant ut voluntatem reddant aridam; 2° licet « ea quæ sunt divinitatis sint » secundum se maxime excitantia ad devotionem, » ut ait S. Doctor, potius tamen iis inhærendum esse quæ ad Christi humanitatem pertinent, ut *dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur;* quæ verba Præfationis de Nativitate Domini citantur a

S. Th. Unde Sylvius, t. III : « Observent, qui patres spi-
» rituales vocantur, ut suos clientes, præsertim autem
» feminei sexus assuefaciant meditari quæ Christus pro
» nobis fecit et passus est, potius quam sublimia divini-
» tatis mysteria ; » 3° scientiam et ingenium sæpe devotionem occasionaliter impedire, quia homo nimis confidens de seipso non totaliter se Deo subdit, et ideo devotio in simplicibus et mulieribus magis abundat quam in doctis. « Si tamen scientiam et quamcumque aliam perfec-
» tionem homo perfecte subdat, ex hoc ipso devotio auge-
» retur. » 2 2, q. 82, art. 3, ad 3.

Punctum secundum. — *De oratione.*

Tripliciter considerari potest : generalissime, pro quolibet bono opere; quo sensu venerabilis Beda explicat verba Christi : *Oportet semper orare et non deficere*, Luc. VIII, 1; generaliter, pro omni laude Dei, gratiarum actione et petitione, ac specialiter pro sola petitione a Deo, et a S. Th. 2 2, q. 83, art. 1, post S. Joannem Damascenum, definitur : *Petitio decentium a Deo.*

Dividitur in mentalem et vocalem. Oratio *mentalis* sola mente formatur ac exercetur, et *vocalis* vocibus exprimitur, sed internum piumque desiderium supponit, alioquin esset actus hypocrisis, et non oratio : unde Christus ad Scribas et Pharisæos : *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias dicens : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.*

Oratio vocalis dividitur in publicam, de qua locuti sumus, agendo de Horis canonicis in Tractatu *de Ordine;* et in privatam, de qua nunc simul ac de oratione mentali seu de oratione privata in genere tractandum, et dicemus paucis verbis 1° de ejus necessitate, 2° de ejus conditionibus, 3° de ejus objecto, 4° de ejus materia, 5° de ejus fine, et 6° de Oratione Dominica.

De orationis necessitate.

1° Plures necessitatem vel etiam convenientiam orationis negaverunt, ut Epicurei, qui influxum divinæ Providentiæ in res humanas negabant; Fatalistæ, omnia ex inexorabili fato pendere volentes; ad quos referri deberent Wiclefistæ, Lutherani, Calvinistæ et Janseniani, veram electionis libertatem homini negantes, si principiis suis rigorose starent. Messaliani, de quibus S. Aug., Hæresi 57, in contrarium errabant, dicentes ab oratione nunquam cessandum esse, et monachis non licere aliquid operari, ne vitæ quidem suæ sustentandæ causa. Habiti sunt ut hæretici sub nomine *Euchitarum*. *Molinos* contendebat non convenire ut homo, divinæ voluntati perfecte resignatus, aliquid petat a Deo, quia petere est imperfectio.

2° Catholici, contra, unanimiter tenent orationem non esse tantum convenientem, sed necessariam necessitate præcepti divini, et communiter necessitate medii; idque probatur 1° *Scriptura sacra* in multis locis, v. g., Matth. XXVI, 45: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem*; Luc. XVIII, 1: *Oportet semper orare, et non deficere;* I Thess. V, 17: *Sine intermissione orate;* I Tim. II, 8 et 9: *Volo ergo viros orare in omni loco..... similiter et mulieres in habitu ornato cum verecundia.* 2° *SS. Patribus,* qui sunt unanimes: sufficiat sequens S. Aug. testimonium allegare, l. de Dono persev., cap. 16, n. 39: « Cum constet » alia Deum danda non orantibus, sicut initium fidei, alia » non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem » perseverantiam. » 3° *Ex consensu omnium doctorum,* qui contendunt orationem in genere, sive vocalem, sive mentalem, tantum esse necessariam ad salutem necessitate medii, saltem communiter; quia licet Deus multa non rogantibus concedat, multa etiam ad salutem necessaria non nisi rogantibus concedere statuit. Unde Christus, Luc. IX, 9: *Petite, et dabitur vobis*; et Joan. XVI, 24: *Petite, et accipietis;* quasi dixisset: Si non petieritis, non

dabitur vobis, non accipietis. Idcirco B. Jacob. IV, 2: *Non habetis, propter quod non postulatis.* Ergo.

Hinc patet dari præceptum naturale orandi; est etiam præceptum ecclesiasticum obligans fideles saltem diebus dominicis et festivis, de quo nunc non agimus.

3° Hoc autem præceptum est affirmativum, ac proinde obligat quidem semper, sed non pro semper, adeo ut singulis momentis orare teneamur; sensus igitur verborum *Oportet semper orare : et non deficere*, et, *Sine intermissione orate*, est, quod semper orandum sit tempore opportuno, præcepto urgente, et nunquam cessandum est tædio vel desperatione.

4° Oratio mentalis, seu meditatio in genere, consistens in studiosa investigatione eorum quæ ad salutem requiruntur, necessaria videtur cunctis fidelibus adultis etiam necessitate medii; sine hujusmodi enim meditatione homo non cognoscet animæ suæ plagas, intellectus sui tenebras, cordis infirmitatem, naturæ corruptionem, æternæ damnationis pericula atque media naufragium vitandi; attamen necesse est ut hæc cognoscat. Ergo. Verum meditatio, quoad methodum determinatam facta, prout fieri solet in seminariis et aliis communitatibus religiosis, est utilis et valde commendanda, sed ad salutem non necessaria, quia nulla lege est omnibus præscripta.

Licet oratio mentalis et meditatio in consueto loquendi modo promiscue sumantur, plurimum tamen inter se differunt. Meditatio enim exercet intellectum, et oratio respicit ad voluntatem cujus est actus : sæpe indiget meditatione, ea adjuvatur, sed cum illa non est confundenda.

5° Orationis triplex est effectus, scilicet meritum quod acquirit orans, satisfactio pro peccatis propriis vel alienis, quia omnis actus pœnalis ex motivo supernaturali exercitus est satisfactorius, et impetratio; Deus enim, qui fidelis est, *negare seipsum non potest*, ut ait Apostolus, II Tim. II, 13 : at promisit quod invocantes se exauditurus esset : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, Joan. XVI, 23, et sic in pluribus aliis locis.

Certum est ergo et de fide orationem legitime factam suum effectum infallibiliter obtinere; sed quædam essentialiter requiruntur conditiones, *ut ex mox dicendis patebit.*

De conditionibus ad orationem requisitis.

Ad infallibilem orationis effectum quatuor requiruntur conditiones apud *Collet* et *Ferraris* convenienter expositæ, videlicet ut quis petat, 1° pro se, 2° ad salutem conducentia, 3° pie, et 4° perseveranter.

Requiritur *ut petat pro se.* Christus enim non absolute dicit : Quidquid petieritis concedetur, sed *dabit vobis :* quod optime notat S. Aug., Tractatu 102 in Joan., dicens : « Exaudiuntur omnes Sancti pro seipsis, non au- » tem pro omnibus exaudiuntur vel amicis, vel inimicis » suis, vel quibuslibet aliis; quia non utcumque dictum » est, *dabit,* sed *dabit vobis.* » Ita post S. Aug., S. Th. et multi alii. *Suarez*, de Relig., t. II, pag. 67, hanc rejicit conditionem, et dicit promissionem Christi esse absolutam. Juxta omnes, ex charitate et sæpe ex justitia orare debemus pro aliis, juxta S. Jacob. v. 16, verba : *Orate pro invicem ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi assidua;* sed eamdem habere non possumus fiduciam ac dum oramus pro nobis, quia fieri potest ut alii pro quibus oramus male sint dispositi, et non pendet a nobis meliores dispositiones in eis creare. Verum, ex hypothesi quod alii recte sint dispositi, et oratio nostra pro iis oblata debitis conditionibus sit vestita, infallibiliter erit impetratoria. Ita *Layman*, *Collet*, *Ferraris* et alii plures.

2° *Ut petat conducentia ad salutem,* nimirum necessaria aut saltem utilia; Christus enim promittens orationes nostras exaudiendas fore, dixit : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo.* Porro qui peteret quædam ad salutem non conducentia, certe ea petere non posset in nomine Christi, Salvatoris nostri, cujus voluntas est sanctificatio nostra. Ergo. Unde S. Aug. dicit, in loco citato, « non

» peti in nomine Salvatoris quidquid petitur contra ra» tionem salutis. » Hinc qui aliquid mali, etiam in materia levi, a Deo petere auderet, mortaliter peccaret, propter gravitatem injuriæ quam ei inferret. Ita *Suarez*, de Oratione, l. 1, cap. 33, n. 4, qui, n. 5, asserens petere rem indifferentem esse peccatum, non audet definire an illud sit mortale vel veniale.

3° *Ut pie petat;* id est, cum fide, ut ait B. Jacob. I, 6: *Postulet autem in fide nihil hæsitans : qui enim hæsitat, similis est fluctui maris qui a vento movetur et circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino;* et cum plena fiducia, juxta sequentia B. Pauli verba, Hebr. IV, 16 : *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum misericordiæ, ut gratiam consequamur et misericordiam inveniamus in auxilio opportuno.* Et hæc fundantur in ipsius Christi verbis, Matth. XXI, 22 : *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Non necesse est tamen hominem fide divina credere se hoc vel illud in particulari certo obtenturum esse, quia, seclusa speciali revelatione, certo scire non potest an conditiones requisitæ debito modo adimpletæ fuerint, vel non, nec etiam an bonum a Deo petitum sit revera sibi utilius in ordine ad salutem : objectum igitur tantæ fiduciæ quam habere tenetur est certitudo effectum orationis suæ obtinendi, supposito quod fideliter adimpleat conditiones a Deo præscriptas et gratiam sibi utiliorem postulet.

Hæc conditio supponit etiam humilitatem, fervorem, attentionem et intentionem, de quibus diximus ubi *de Officio divino.*

4° *Ut petat perseveranter.* Deus quippe asserens se orationes nostras debite factas exauditurum, non promisit se id facturum prima, secunda, tertia vice, etc. Quandoque in exordio precum exaudit; at sæpe contingit ut statim non exaudiat, sed effectum diu protrahat, volens illum perseverantibus concedere, et non perseverantibus negare; quod Christus duplici exemplo confirmat, uno viduæ quæ per importunas preces duritiam judicis iniqui superavit, et altero hominis qui *propter importunitatem,*

obtinuit a vicino panes sibi necessarios. Eo igitur sensu accipi etiam possunt verba Christi : *Oportet semper orare et non deficere*, Luc. XVIII, 1.

Quia ergo effectum orationis etiam sæpe repetitæ non obtinuimus, dicere non licet Deum promissis defuisse, aut vanam esse orationem : potius nobis memoranda sunt verba B. Jacobi dicentis, IV, 3 : *Petitis, et non accipitis eo quod male petatis;* aut ea S. Basilii, serm. de Orando Deum : « Ideo quando petis et non accipis, est quia per» peram postulasti, vel infideliter, vel leviter, vel non » conferentia tibi, vel destitisti. »

Ipsi peccatores, si adhibitis præcedentibus conditionibus, orent, infallibiliter exaudientur, ut communiter docent auctores, cum S. Th. 2 2, q. 83, art. 16; nam, ut ait S. Aug., Tract. in Joan. 44, n. 13 : « Si enim pecca» tores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus, oculos » in terram dimittens et pectus suum percutiens, diceret : « *Domine, propitius esto mihi peccatori.* » Et ratio est quia effectus orationis non nititur statu gratiæ, sed liberali promissione Dei, qui pius et misericors est erga bonos et malos invocantes se.

De orationis objecto, seu de iis qui invocari possunt.

1° Certum est Deum invocari posse tanquam omnium bonorum causam ac fontem, et eum solum eo sensu sic invocandum esse, quia tale orationis genus ad cultum latriæ pertinet; at solus Deus cultu latriæ honorandus est. Nomine Dei intelligitur etiam Christus, qui est simul Deus et homo.

2° Licet orare homines adhuc viventes ut pro nobis apud Deum intercedant; Judæi enim in Babylone captivi fratres suos in Hierosolymis exstantes sic obsecrabant, Baruch, 1, 13 : *Et pro nobis ipsis orate ad Dominum Deum nostrum, quia peccavimus;* et B. Paulus, II Thess. III, 1 : *De cætero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat et clarificetur sicut et apud vos*, etc.

3° Constat, ex dictis ad calcem Tractatus *de Incarna-*

tione, licitum esse invocare B. Mariam Virginem, Angelos et Sanctos in cœlo regnantes, non tanquam gratiæ aliorumve donorum auctores, sed ut nostros apud Deum intercessores.

4° Infantes baptizati et ante usum rationis defuncti, et adulti de quorum glorificatione moraliter constat, invocari possunt privatim, quia certum est eos regnare cum Christo; sed cultu publico honorari et invocari non possunt : talis quippe cultus nulli potest exhiberi sine decreto Ecclesiæ eum approbantis.

5° Plures negant justos in purgatorio detentos utiliter invocari posse, quia, ut ait S. Th. 2 2, q. 83, art. 11, ad 3, « non sunt in statu orandi, sed magis ut oretur pro iis. » Alii tamen, ut Lessius, *Layman, Bonacina,* Sylvius, Bellarminus, etc., affirmant, quia non repugnat eos qui precibus nostris indigent, posse pro nobis utiliter orare, sicut viventes pro se invicem utiliter orant, licet indigeant ut pro ipsis oretur : ruit ergo fundamentum quo alterius sententiæ patroni nituntur. Hæc opinio evasit communis Romæ.

De materia orationis, seu de iis quæ peti possunt.

1° *Quietistæ* docuerunt nihil determinate a Deo petendum esse, sed omnia, sive pro tempore, sive pro æternitate, voluntati ejus remittenda esse. Illorum errores Constitutionibus Innocentii XI et Innocentii XII contra *Molinos* et librum illustriss. *Fénelon* damnati sunt.

2° Bona spiritualia, scilicet gratia, sanctificatio, in tentationibus victoria, beatitudo æterna, determinate et absolute peti possunt ac debent; eo modo enim orandum est quo sancti viri utriusque Testamenti oraverunt : at sancti utriusque Testamenti multa determinate et absolute petierunt a Deo, v. g., : *Unam petii a Domino : hanc requiram ut inhabitem in domo Domini*, Ps. XXVI, 4 : et petitiones in Oratione Dominica contentæ, sunt determinatæ et absolutæ. Ergo.

3° Bona quibus abuti possumus, ut divitiæ, honores,

fructus agrorum, bona navigatio, sanitas, scientia, etc., licite petuntur, quia ad bonum finem dirigi possunt; sed ordinarie non nisi conditionate petenda sunt; sæpe enim non expedit ut nobis concedantur : ea igitur postulando communiter subintelligere debemus conditionem Deo notam, videlicet, si hæc saluti nostræ non futura sint noxia. Videtur bona ad vitam necessaria absolute peti posse tanquam media ad finem nostrum conducentia. Cæterum bona temporalia absolute petere, vel petere ob finem venialiter tantum malum, non videtur peccatum mortale; secus, si peterentur ob finem graviter malum.

4° Mala temporalia, quæ scilicet non sunt peccata, sed pœnæ, ut infirmitates, paupertas, humiliationes, licite peti possunt ex recto fine, nempe ad tentationes superandas, virtutes colendas et merita acquirenda. Hoc per se patet et ab omnibus admittitur.

De iis pro quibus orandum est.

1° Orare debemus non solum pro nobismetipsis, sed pro omnibus hominibus, justis, injustis, sceleratis, peccatoribus, infidelibus, hæreticis, schismaticis, excommunicatis; et hoc constat 1° ex verbis B. Pauli, I Tim. II, 1 : *Obsecro igitur primum fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt... Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo :* 2° ex consensu omnium doctorum et praxi Ecclesiæ, quæ signanter in feria sexta Majoris hebdomadæ pro omnibus ordinibus specialiter rogat.

2° In orationibus nostris idem servandus est ordo personarum quem supra statuimus pro operibus charitatis, et orandum est etiam pro inimicis, juxta hæc Christi verba, Matth. V, 44 : *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos;* id est, ut S. Th. aliique theologi interpretantur, inimici excludi non debent a communibus orationibus quas pro congregatione, cujus sunt membra, fundimus, et a *fortiori* non a precibus pro omnibus factis.

3° Orandum est pro animabus in purgatorio detentis; de fide est enim, ut in Tractatu *de Pœnitentia* ostendimus, eas vehementer torqueri et suffragiis fidelium adjuvari posse : at certe charitas non sinit nos manere indifferentes circa tantas fratrum nostrorum necessitates quibus subvenire valemus : ergo.

4° Illicitum est orare pro Beatorum salute, vel pro aliqua eorum satisfactione, cum certum sit eos de salute esse securos et nihil justitiæ Dei exsolvendum habere. Unde S. Aug., Serm. 15 de Verbis Apostoli : « Injuria est pro » martyre orare, cujus non debemus orationibus com» mendari. » Sed *Suarez*, de Orat., l. 1, c. 14, n. 3 et 4, et plures cum illo arbitrantur sanctos in cœlo regnantes augmentationem gloriæ accidentalis, videlicet novos gradus amoris vel gloriæ, aut aliquod extrinsecum bonum charitatis apud alios homines acquirere posse, ac consequenter licitum esse hanc beatitudinis augmentationem pro illis orare. Hanc sententiam refert et approbare videtur Innocentius III, in Decretal. l. 3, tit. 41, cap. 6, § 3, dicens : « Quod in plerisque orationibus continetur : Prosit » vel proficiat huic Sancto, vel illi talis oblatio ad gloriam » et honorem : ita debet intelligi, ut ad hoc prosit quod » magis ac magis a fidelibus glorificetur in terris; licet » plerique reputent non indignum sanctorum gloriam » usque ad judicium augmentari, et ideo Ecclesiam interim » sane posse augmentum glorificationis eorum optare. »

5° Orare non licet pro dæmonibus et damnatis; illicitum quippe est aliquid decreto Dei absoluto contrarium postulare, *ut patet :* at orare pro dæmonibus et damnatis, est aliquid decreto Dei absoluto contrarium postulare, siquidem de fide est pœnas dæmonum et damnatorum futuras esse æternas, ut ostenditur in Tractatu *de Peccatis*. Ergo.

Citatur quidem historia liberationis Trajani ab inferis, a Joanne diacono in Vita S. Gregorii Magni, l. 2, cap. 44, narrata, a S. Th., Suppl., q. 71, art. 5 ad 5, admissa, a Græcis in Euchologio inserta, sanctæ Brigittæ et S. Mechtildi revelata. Verum Natalis Alexander, *Collet*, *Billuart*

et alii demonstrant hanc historiam esse apocrypham, et, ea supposita vera, dicendum foret cum S. Th. vel Trajanum a mortuis suprema Dei potentia suscitatum, pœnitentiam egisse, sicque salutem consecutum esse, vel ipsius pœnam fuisse tantum usque ad diem judicii suspensam.

De Oratione Dominica.

1° Hæc oratio appellatur *Dominica*, quia ab ipso Christo Domino nobis tradita est; omnes alias orationes vocales sextuplici modo præsertim antecellit, videlicet 1° origine, cum ab ipso Filio Dei homine facto procedat; 2° brevitate, siquidem omnia a Deo petenda paucis verbis exprimit, et simul docet quid agere, fugere, credere et amare debeamus; unde Tertull., l. de Oratione, cap. 2, eam vocat *Breviarium totius Evangelii;* 3° ordine; in ea enim ponuntur ordine perfectissimo quæ desiderare debemus, gloria Dei, regnum ejus et media ad illud perveniendi; 4° efficacia; cum eam recitando ipsius Christi verbis utamur, quod in nulla alia oratione locum habet; 5° necessitate; omnes quippe eam scire et frequenter recitare tenentur, ut constat tum ex verbis Christi dicentis : *Sic orabitis,* tum ex traditione Apostolica, ut patet ex Constit. Apostolorum, l. 7, can. 25, tum ex praxi fidelium et consensu doctorum. « Qui ex contemptu vel supina negligen- » tia eam ignorant, peccati mortalis reatum non effu- » giunt, » inquit Sylvius, t. III. Secluso igitur contemptu et gravi negligentia, peccatum est duntaxat veniale, uti diximus, p. 85 hujus vol.; 6° exercitio virtutum, scilicet fidei, spei, charitatis, humilitatis, obedientiæ, perfectæ conformitatis divinæ voluntati, *ut ex dicendis patebit.*

2° Orationem Dominicam explicaverunt Tertull., l. de Oratione; S. Cyprianus, l. de Oratione Dom., S. Cyrillus Hierosol., Catech. mystag., 6; S. Chrysost., homilia de Oratione Dominica; S. Hieronymus, Theoph., Euthemius, *Suarez,* Sylvius, *Dens,* etc. Habet præambulum, *Pater noster qui es in cœlis*, breve, sed sublime, Deo et hominibus dignum. Deus vocatur Pater ratione creationis,

gubernationis, redemptionis, regenerationis, et adoptionis eorum qui sanctificantur et ad gloriam destinantur atque merito dicuntur filii ejus et hæredes. Vox autem ista non ad primam personam tantum dirigitur, sed ad Deum simpliciter, et nata est excitare in nobis affectum filialem, fiduciam, obedientiam ac reverentiam. Dicimus *Pater noster* et non *Pater mi,* quia sumus omnes fratres et in communi pro omnibus oramus. Dicendo, *qui es in cœlis,* profitemur nos credere Deum speciali ratione esse in cœlis, ibi majestatem suam exprimere, gloriam nobis præparare, et mentes nostras a terrenis ad cœlestia erigimus.

3° Post præambulum septem communiter numerantur petitiones quarum sensus breviter assignabimus : 1° *Sanctificetur nomen tuum ;* id est, a nobis et ab omnibus, in nobis et in omnibus agnoscatur, honoretur et glorificetur. Discamus igitur primum ante omnia quærendam esse gloriam Dei. 2° *Adveniat regnum tuum.* Hac petitione testamur Deo nos desiderare ut in mentibus nostris regnet per gratiam, manifestet suam gloriam, et adveniat tempus in quo, omnibus inimicis ejus sabactis, solus cum electis suis regnabit, videlicet post ultimum judicium, et nos cum ipso conregnabimus. 3° *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.* Omnia in cœlo divinæ voluntati perfecte uniuntur, et ideo nulla est inordinatio : petimus ut talis submissio et obedientia divinæ voluntati ac proinde perfecta ordinatio sit pariter in terra. 4° *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Nomine panis intelligitur, per synecdochen, ut bene advertit Sylvius, t. III, cibus, potus, vestitus, habitatio, defensio et quidquid ad vitam corporalem pertinet, ipsamet vita, ejus integritas, etc. Panis ille vocatur etiam supersubstantialis, quia substantiæ seu naturæ nostræ superadditur, et petimus illum dari nobis hodie, id est ipsomet die rogationis, quia illo quotidie indigemus et idcirco appellatur quotidianus. Plurimi volunt per hunc panem intelligendam esse sacram Eucharistiam et alia bona spiritualia quæ merito dici possunt supersubstantialia.

Prior sensus est communior et naturalior videtur ; uterque tamen simul admitti potest. 5° *Et dimitte nobis debita nostra* (et apud Lucam, XI, 4 : *Dimitte peccata nostra*), *sicut et nos*, etc. Omnes enim, etiam justi, habent peccata, sive actualia, sive præterita, saltem venialia, quorum per totam vitam petere debent condonationem : sed conditio a Deo apposita est ut ipsi remittamus sincere et ex corde offensas nobis illatas. Hinc qui se offendenti plene condonare non vult, sepsum condemnat Orationem Dominicam recitando. 6° *Et ne nos inducas in tentationem.* Tentatio ad peccatum, de qua sola hic agitur, potest oriri vel a diabolo, vel a mundo, vel a carne, et fieri per prosperitates, vel per adversitates, vel alio multiplici modo : eam vincere non possumus absque gratia : hac igitur petitione postulamus a Deo ut non permittat nos tentari, vel ut auxilio opportuno nos a peccato custodiat. 7° *Sed libera nos a malo*, id est ab omni re mala, v. g., ab ignorantia aliisque animi defectibus, a peste, fame, siti, morbis, pœnis, calamitatibus et ab universis omnino malis. Additur *Amen*, quasi diceretur : *Fiat, fiat*; et est expressio iterata affectus mentis ad præcedentes petitiones.

De orationibus matutinis et vespertinis.

1° Constat, ex superius dictis, nos præcepto naturali et divino teneri frequenter orare. Præceptum istud obligat, 1° in initio usus rationis, 2° in periculo mortis, 3° in gravi necessitate, præsertim spirituali, sive nostra, sive proximi, proindeque Ecclesiæ et imperii. Sed nulla existit lex positiva, sive divina, sive ecclesiastica, certas determinans preces ab omnibus Christianis singulis diebus recitandas. Quisquis fidelis, curam propriæ salutis habens, ad Deum sæpissime recurrit per orationem, modo mentalem, modo vocalem, modo jaculatoriam, modo longiorem, et qui per longum tempus ab omni oratione abstineret, a gravi peccato excusari non posset : qui in aliqua versatur necessitate divinum auxilium obtinendi

pro seipso, vel pro fratre periclitante, statim orare tenetur.

2° Quamvis nulla assignari possit lex scripta orationes matutinas et vespertinas præscribens, datur tamen obligatio sic orandi; nam consuetudo generalis aliquem faciendi ritum, cum persuasione illum obligare, est, juxta omnes, argumentum existentiæ legis : atqui omnes vere fideles Deum mane et vespere orare solent; in omnibus catechismis et libellis precum ad usum fidelium factis reperiuntur formulæ orationis matutinæ et vespertinæ, modus sic orandi præscribitur vel saltem ut praxis vitæ christianæ essentialis traditur, et fideles generaliter persuasum habent se ad hunc ritum teneri, nisi aliqua legitima causa excusentur. « Et mane orandum est, » aiebat S. Cypr., ac die cessante necessario rursum oran- » dum est. »

Verum obligatio singulis diebus orandi, mane et vespere, est tantum sub levi et omnes sic apprehendunt. Unde levis causa ab ea excusat; et cum situs corporis non sit determinatus, qui aliter orare non potest quam in lecto, ut nunc sæpe milites, præcepto orandi satisfacit. Qui autem orationes matutinas et vespertinas frequenter sine causa penitus omittit, absolutione indignus videtur, nisi promittat se deinceps huic vitæ christianæ muneri non ita defuturum; tum quia valde probabiliter magno orandi præcepto non satisfaceret, tum quia talis omissio signum esset magni torporis animi.

Quod de orationibus matutinis et vespertinis dicitur, *a fortiori* dicendum est de orationibus ante et post refectionem solitis, quæ, licet antiquissimæ et apud Christianos usitatissimæ, non tamen per se obligant saltem sub gravi; ac proinde non sunt inquietandi laici, qui eas omittunt secluso speciali scandalo. Dicimus *laici*, quia vix concipitur clericos eas omittere posse sine scandalo, nisi ex pura inadvertentia id aliquando contingat.

Punctum tertium. — *De adoratione.*

1° Adoratio, a præpositione *ad* et verbo *oro* veniens, juxta plures, est actus quo quis propriam submissionem alteri exhibet, in testificationem ipsius excellentiæ. Alterius autem excellentia potest esse naturalis humana, ut dignitas principum, superiorum, doctorum; vel supernaturalis creata, qualis est excellentia Sanctorum et Angelorum; vel divina. Unde distinguitur 1° adoratio civilis, quæ exhibetur regibus, principibus aliisque in dignitate constitutis, ut David, ex Reg. xx, 31, *pronus in terram adoravit tertio* Jonathan, et sic cardinales adorant Papam post ipsius electionem; 2° adoratio duliæ, que exhibetur Sanctis et Angelis; 3° adoratio hyperduliæ, quæ beatissimæ Mariæ Virgini propria est, ratione tituli divinæ maternitatis quo honoratur; et 4° adoratio latriæ, quæ soli Deo exhiberi potest.

2° Adoratio, secundum se, actum corporalem non importat; nam angeli, qui sunt incorporei, Deum adorant et nos illum sola mente adorare possumus, quamvis hæc adoratio non sufficiat; quia, cum ex duplici natura simus compositi, exhibere debemus Deo submissionem mentis per actus internos, et corporis per actus externos.

3° Quoniam vero actus externi similes exhiberi possunt Deo et creaturis, quæ tamen eodem cultu adorari nequeunt, natura hujusmodi actuum ex intentione adorantis determinatur. Unde si exhibeantur Deo, ad cultum latriæ pertinebunt; si exhibeantur B. Mariæ, ad cultum hyperduliæ; si exhibeantur Sanctis vel Angelis, ad cultum duliæ; si hominibus, ad cultum civilem.

4° Ut omnis tolleretur æquivocatio, usus invaluit ut solus cultus Deo exhibitus proprie vocaretur, communiter, *adoratio.*

5° Judæi, in veteri Lege, adorabant ad occidentem in odium multorum gentilium qui, præ reverentia solis, adorabant ad Orientem : nos autem, ex quadam decentia, periculo idololatriæ non amplius existente, adora-

mus ad Orientem, id est ecclesiæ nostræ communiter versæ sunt ad Orientem, ut in Tractatu *de Eucharistia* ostendimus.

Punctum quartum. — *De oblationibus, primitiis et decimis.*

De oblationibus.

1° Oblationes stricte sumptæ sunt res quas fideles intuitu religionis immediate offerunt Deo, ut in usum Ecclesiæ vel ministrorum cedant. Tres distinguuntur oblationum species : donatio inter vivos; donatio testamentaria, v. g., pro anniversariis celebrandis; et donatio usualis, id est, actualis et manualis donatio rerum in usum Ecclesiæ vel ministrorum cedentium, idque ex motivo religionis, ad placendum Deo eique serviendum.

2° Usus oblationum est antiquissimus et ad originem mundi ascendit; videmus enim in Genesi, IV, 4 et 5, Cain et Abel munera offerentes, unum de fructibus terræ, alterum de primogenitis gregis sui; deinde Noe, arca egressum, ibid. VIII, 20, qui *de cunctis pecoribus et volucribus mundis obtulit holocausta super altare*; et in Num. VII, multas videmus oblationes in dedicatione tabernaculi, et sæpe sæpius aliis temporibus, ut patet ex toto veteri Testamento.

3° In nova Lege mos fuit, etiam ab illius exordio, offerendi in altari vel in Ecclesia tempore Missæ panem, vinum, oleum, ceram, etc., ut ostendimus in Tractatu *de Eucharistia*, et nunc plures fieri solent oblationes, v. g., occasione baptismi, benedictionis mulieris post partum, etc.

4° Oblationes non debentur ex præcepto, inquit *Ferraris* cum multis aliis, nisi in quadruplici casu, videlicet : 1° si per modum census vel pensionis datæ fuerint, aut si existat pactum cum Ecclesia vel ejus ministris, quia omne pactum justum stricte servandum est; 2° si debeantur ex contractu inter vivos, vel ex testamento, vel ex voto; ultimæ enim voluntates et vota realia impleri debent etiam ab hæredibus; 3° si ministri Ecclesiæ,

divino cultui mancipati et spiritualia populo præstantes, honestam sustentationem non habeant, fideles tenentur oblationes eis præstare, quia *dignus est operarius mercede sua*, Luc. v, 7; 4° si per longum tempus, v. g., per decennium, introducta fuerit consuetudo quasdam oblationes certis anni temporibus vel festivitatibus faciendi, episcopus cogere osset, per excommunicationem, ad eas continuandas. Non arbitramur hoc apud nos fieri posse: saltem imprudenter fieret.

5° Ut sciatur ad quem pertineant oblationes, attendendum est ad usum locorum et maxime ad intentionem offerentium; parochus enim vel quilibet alius oblationes contra voluntatem offerentium sibi arrogans, contra justitiam peccaret et procul dubio ad restitutionem teneretur. Hinc oblationes depositæ in arcula vulgo *tronc*, ante imaginem vel statuam alicujus Sancti, in altari alicujus capellæ, etc., non pertinent ad parochum, sed impendi debent ad finem propter quem erecta est arcula, vel in honorem Sancti, ad instaurandam capellam, ad acquirenda ornamenta, etc. Contra vero, oblationes quæ sub Missis fiunt ad altare, quæ pro administratione sacramentorum, pro benedicendis nuptiis vel mulieribus post partum, pro exsequiis, pro nonnullis precibus aut evangeliis recitatis, vel aliis similibus functionibus specialiter offeruntur, ad parochum pertinent etiamsi functiones per vicarium aliumve sacerdotem exerceantur; nisi aliter ab episcopo, vel ex consuetudine, vel ex speciali conventione statutum fuerit, aut ipsi offerentes aliam clare manifestent intentionem.

Hic notandum est clericos officiis pro mortuis celebratis assistentes, ut stipendia taxata faciant sua, teneri cantare, aut si cantare non valeant, chorum sequi eodem modo quo tenentur canonici, ex dicendis infra, ad faciendos fructus suos.

Pro stipendiis injuste perceptis videtur quod sufficiat celebrare Missas ad intentionem defunctorum, aut privatas aut cantatas, secundum locorum consuetudinem et taxam in diœcesi receptam, excluso tamen damno tertii

jus habentis, et satis enuntiata in contrarium offerentium voluntate.

6° Oblationes pro fidelibus defunctis in aliqua ecclesia collectæ vel in arcula repertæ, impendi debent ad offerendas Missas aut celebranda anniversaria in parochiali ecclesia pro fidelibus defunctis hujus parochiæ, secundum loci consuetudinem populo notam et stipendium pro diœcesi taxatum : qui propria auctoritate secus ageret, contra justitiam peccaret. Pariter contra justitiam peccant parochi qui totam collectam die Commemorationis omnium fidelium defunctorum factam sibi attribuunt pro hujus diei officio et Missa. Ex dictis in Tractatu *de Eucharistia*, 2ª part., parochi tenentur Missam hac die pro fidelibus defunctis applicare : alii sacerdotes ex pio usu, sed non ex præcepto, Missam eodem fine hac die *gratis* celebrant.

Non videtur cur clerici jus haberent ad stipendium pro officio defunctorum in ea die cantando, plus quam pro solemnibus officiis diebus Nativitatis Domini, Paschatis, etc.

7° Ex art. 76 decreti 30 nov. 1809, cerei pro exsequiis et anniversariis oblati, vel in panibus benedicendis positi, ad fabricam ecclesiæ pertinent. Per aliud decretum diei 26 decembris 1813, Napoleo statuit quod cerei in exsequiis a clericis delati, ad eos pertinerent, cæteri vero inter fabricam et clerum dividerentur. Pars clero hic assignata pertinet ad parochum, nisi consuetudo aut regula diœcesis aliter statuat.

Hæc autem decreta vim legis in Ecclesiis Galliarum ex earum acceptatione, obtinuerunt. In plerisque ruralibus parochiis perseveravit usus, non obstante præcedenti decreto, ut non dividatur cera, sed tota tribuatur parocho : parochus in eo casu, eam tuta conscientia possidere potest, tum propter usum, tum propter tacitum fabricæ consensum. *A fortiori* sibi retinere potest cereos pro matrimoniis oblatos, nisi contrarius existat usus, cum in præfatis non exprimantur decretis.

Cerei a pueris primarum communionum post solemnitatem oblati, ad eum pertinere debent qui onus catechis-

mum docendi sustinuit, vel si plures catechismum docuerint, inter eos dividendi sunt : talis quippe videtur esse puerorum ac parentum eorum intentio. Excipiendum est nisi consuetudo, regula diœcesis aut conventio specialis aliter statuerit.

Cerei vero in honorem sanctissimi Sacramenti, B. Mariæ, vel alicujus Sancti oblati, accendi et cremari debent; eorum reliquiæ, si quæ supersint, non in beneficium parochi, sed fabricæ cedunt. Idcirco parochus qui eos statim exstinguit et sibi arrogat, contra pietatem et justitiam simul peccat.

8° De oblationibus in oratorio rurali B. Mariæ vel alicujus Sancti factis nulla portio debetur parocho, ut S. Cong. Concil. definiit per decretum diei 22 aprilis 1719. Si, ex usu vel aliquo signo, pateat hujusmodi oblationes ad celebrandas ibi Missas esse destinatas, parochi est invigilare ut Missæ, secundum regulam stipendia in diœcesi taxantem, celebrentur per se vel per alios, in dicto oratorio vel ad altare designatum, et non alibi sine licentia episcopi.

9° Quælibet oblationes ad parochum non pertinentes, vel ad alios clericos, ex clara offerentium intentione, in utilitatem fabricæ cedunt et administrationi æedituorum (*marguilliers*) committuntur (*Décret du* 30 *décemb.* 1809, *art.* 36). Sic in Gallia acceptaverunt ecclesiæ.

De primitiis.

1° Judæi tenebantur, ex Exod. XXII, 29, et XXIII, 19, atque ex multis aliis locis, primitias frugum terræ et primogenitos filiorum suorum in domum domini deferre eique consecrare ad agnoscendum supremum ejus dominium, et in testimonium gratitudinis pro beneficio quo Deus, omne primogenitum Ægyptiorum ab homine usque ad pecus percutiens, primogenitis Hebræorum pepercit.

2° Primitiæ igitur sub Veteri Testamento debebantur jure divino positivo; earum quantitas non erat determi-

nata : per traditionem autem Hebræorum accepimus, inquit S. Hieron. in Decretal. l. 3, tit. 30, cap. 1, relatus, « quod qui plurimum, quadragesimam partem dabant » sacerdotibus; qui minimum, sexagesimam. Inter quadragesimam et sexagesimam licebat quodcumque voluissent offerre. »

3° Lex illa, sicut aliæ leges positivæ, accedente lege Evangelica, fuit abrogata : primitiæ igitur nunc deberi non possunt, nisi ex lege naturali, ex lege divina Novi Testamenti, vel ex lege humana : non debentur autem 1° ex lege naturali; quamvis enim ratio dictet optimum esse aliquid Deo consecrare, et fidelibus obligationem incumbere honestam sustentationem suis pastoribus subministrandi, non dictat primitias esse offerendas; 2° nec ex lege divina Novi Testamenti; nulla quippe citatur lex hujusmodi; 3° nec ex lege humana. Plura quidem citantur juris canonici capita hanc obligationem existere supponentia : sed omnes fatentur ea a multo tempore, usu contrario, fuisse abrogata. Si in nonnullis locis quædam adhuc offerantur primitiæ, sunt omnino voluntariæ, tum in specie, tum in quantitate, tum in destinatione : quidam eas tribuunt parocho, alii eas in ecclesia collocant, v. g., fasciculos lini, cannabis, juniores gallinas, anseres, etc., et tunc hæc objecta in beneficium fabricæ venduntur.

De decimis.

1° Decimæ sunt decima pars fructuum et proventuum juste acquisitorum, Deo in testimonium supremi ejus dominii debita et ministris Ecclesiæ solvenda. Hæc tamen quantitas secundum diversa statuta et consuetudines variavit. Decimarum origo est antiquissima et forte ab ipsa rerum origine repetenda est : videmus Abraham a cæde Chodorlahomor redeuntem, decimas ex omnibus Melchisedech offerentem, Gen. XIV, 20, et Jacob Deo promittentem (ibid. XXVIII, 22) se oblaturum ei decimas cunctorum quæ sibi dederit. Deus postea statuit ut decimæ

omnium solverentur tribui Levi pro ministerio quo serviebat illi in tabernaculo fœderis. Exod. XXII, 29; Levit. XXVII, 30; Num. XVIII, 21, etc.

2° Illæ autem decimæ, sic determinatæ, non erant debitæ ex jure naturali, sed ex jure divino positivo, ac proinde obligatio eas solvendi per novam Legem fuit sublata.

3° In primis Ecclesiæ sæculis decimæ non solvebantur, sed omnes clerici ex oblationibus fidelium vivebant et sustentabantur. At pietate fidelium refrigescente, largitates spontanee oblatæ imminutæ sunt, et ministri altaris congruam sustentationem ex illis habere non poterant. Tunc Ecclesiæ legibus statutum est ut Christiani, ad honestam sustentationem pastoribus suis aliisque altarium ministris subministrandam obligati, decimas eis solverent. *Van-Espen*, t. I, ostendit SS. Patres in quarto sæculo concionibus et adhortationibus excitasse populum ad solvendas decimas secundum populi Judaici exemplum; refert testimonia SS. Hieron., Chrysost., Aug. Patet autem ex ipsismet hujusmodi exhortationibus, nullum eo tempore exstitisse præceptum de decimis solvendis : attamen populi, crebris adhortationibus istis commoti, sensim illarum solutioni se submiserunt, et quod primitus fuerat voluntarium, præscriptione transivit in legem stricte obligantem.

4° S. Th. 2 2, q. 87, art. 1, et cum illo omnes catholici doctores sine ulla hæsitatione affirmant Ecclesiam habere jus præcipiendi, sub comminatione pœnarum spiritualium, ut fideles decimas solvant, sicut statuere potuit ut sacerdotes stipendia pro celebrandis Missis perciperent, vel exigere possent; fideles enim tenentur, ex jure naturali et divino positivo, honestam sustentationem clericis spiritualia sibi ministrantibus præstare : porro Ecclesia determinare potest quid agendum sit ut hæc obligatio impleatur, et ista determinatio cum intentione obligandi facta fit lex ecclesiastica : ergo.

5° Consuetudo solvendi decimas facta est lex ecclesiastica obligans apud Latinos in decursu quinti sæculi, aut

saltem sexti, ut demonstrat *Van-Espen*, loco citato. Concil. Matisconense II anni 585 pœnam excommunicationis in non solventes decimas primum inflexit, juxta *Fleury*, l. 34, n. 59. Hoc Ecclesiæ statutum confirmarunt reges Galliæ in octavo et nono sæculo, ut patet ex Capitularibus Caroli Magni, cap. 6 et 7, ex Capitul. regum Francorum, l. 2, cap. 39, et ex variis conciliis. Deinde edicta principum catholicorum legibus ecclesiasticis circa hoc punctum fuerunt concordantia, sicque decimæ auctoritate utriusque potestatis fuerunt in tota Ecclesia occidentali de præcepto atque de stricta justitia; sicque merito damnatus est articulus Wiclefi, n. 18, in concilio Constant., sess. 7, in quo dicebat decimas esse puras eleemosynas, et parochianos eas ob peccata prælatorum solum ad libitum offerre posse.

6° Justinianus vero prohibuerat, per legem 39, § 1 Codicis, ne episcopi aut clerici cogerent quosdam ad offerendos fructus, *aut angarias dandas,* aut alio modo vexarent, excommunicarent, anathematizarent, communionem denegarent... *quamvis usus ita obtinuerit :* hinc factum est ut lex de solvendis decimis nunquam proprie apud Græcos exstiterit, et per quoddam aliud tributum sustentationi clericorum provisum fuerit.

7° Multi theologi et canonistæ contendunt decimas præscriptas esse jure divino; alii vero jure tantum humano. Sed opus est distinctione, qua admissa, omnis evanescit difficultas : vel enim decimæ spectantur quoad substantiam, quatenus scilicet congruam sustentationem ministris Ecclesiæ subministrant, et jure naturali ac divino positivo debentur, *quoniam,* ut ait Apostolus, I Cor. IX, 14, *qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt; et qui altari deserviunt cum altari participant : ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere;* si vero considerentur juxta quotam partem tribuendam, v. g., decimam, duodecimam, etc., et modum illam tribuendi, certe non debentur in nova Lege, nisi jure humano. Ita *Ferraris, Devoti* et communiter theologi cum plurimis canonistis.

Apud nos alia via provisum est sustentationi clericorum sacrum ministerium exercentium, licet parce, et decimæ penitus fuerunt abolitæ anno 1790, quæ abolitio per Concordatum anni 1801 fuit confirmata.

8° Aliæ erant reales et aliæ personales : decimæ reales erant illæ quæ de omnibus fructibus prædiorum, agrorum, vinearum, pratorum, hortorum, arborum, domus locatæ, silvarum et animalium solvebantur; personales, quæ solvebantur ex acquisitis proprio labore, solertia, industria, artificio, negotiatione, militia, scientia, etc. Non erant in cunctis locis eædem regulæ pro solvendis decimis receptæ.

Innumeræ quotidie nascebantur difficultates quæ nunc occurrere nequeunt : multa igitur olim maximi momenti, nunc forent sine objecto, et omittimus.

§ II. — De vitiis religioni oppositis.

Religio, ut virtus, in justo stat medio, juxta vulgare axioma ex Arist. et S. Th. depromptum : contra illam ergo peccari potest per excessum et per defectum. Peccata per excessum dicuntur superstitio, et peccata per defectum irreligiositas. De utraque in duplici sectione dicemus.

SECTIO PRIMA. — De superstitione.

Superstitio, vox a Cicerone sæpe usurpata, apud Virgilium reperta, cujus etymologia certo non assignatur, significat falsam religionem, definitur : *Vitium religioni oppositum, quo divinus cultus exhibetur cui non debet, vel modo quo non debet.* Unde duplex est superstitio, nempe cultus falsi numinis, et cultus veri numinis incongruus, qui potest esse falsus vel superfluus. Est falsus si aliquid contineat falsi, v. g., si quis Deum colere vellet cæremoniis Judaicis, quæ significant Christum nondum advenisse, vel doctrinam fidei confirmare vellet falsis miraculis, falsis testimoniis, vel falsas reliquias venerationi fidelium exponeret; vel, dum est laicus, se ut publicum

Ecclesiæ ministrum exhiberet, offerendo, benedicendo, absolvendo, etc. Hæc semper sunt peccata mortalia, ut docent *Suarez, Busenbaum*, S. Ligorius, etc., quia gravem injuriam Deo inferunt.

Cultus dicitur superfluus quando nihil falsi continet, sed ad Dei gloriam et hominis subjectionem non convenienter ordinatur, vel quia est inanis, indecens, incongruus, vel quia Dei aut Ecclesiæ institutioni aut consuetudini communi adversatur, v. g. : velle audire Missam ante ortum solis, cum certo numero cereorum, personarum, cæremoniarum, sacerdotis nomine Joannis, communicare ex manu confessarii, ex hostia ab illo consecrata, jejunare die Dominica et non alia, Missam contra rubricas celebrare aut celebrari velle, dicere *Gloria in excelsis* et *Credo* quando non sunt dicenda, etc. Hæc tamen et alia similia bona intentione facta, sunt tantum venialia ordinarie, quia materia est levis, et actio ex se non est mala. Ita generaliter theologi. Dicimus *ordinarie*, quia si res ex se mala esset, ut, v. g., si ex furto offeras, si turpia in templo canas, si ore vel organo vocem lascivam aut turpia provocantem edas, etc., peccatum sæpe erit mortale, nempe si magna sit indecentia, grave scandalum, prava intentio agentis, aut periculum animarum.

Cultus falsi numinis in quinque dividitur species, quæ sunt idololatria, divinatio, vana observantia, magia et maleficium; agemus postea de possessione et obsessione.

Punctum primum. — *De idololatria.*

1° Idololatria, secundum vim nominis, est latria, id est, cultus idoli; et idolum est simulacrum alicujus rei non existentis, seu effigies falsi numinis. Unde imagines Christi et sanctorum non sunt idola, quia repræsentant objecta realiter existentia, et non sunt falsorum deorum simulacra. Figuræ solem et lunam repræsentantes ut deos, merito dicuntur idola vel simulacra, quia sol et luna existentes ut sidera, non existunt ut dii.

2° Significatio hujus vocis extensionem multo majorem ex usu accepit. Nunc auctores communiter per idololatriam intelligunt omnem cultum divinum alteri quam vero Deo exhibitum, proinde anthropolatriam, dæmonolatriam, sabæismum, zoolatriam et fetichismum, id est cultum hominum, dæmonum, siderum, animalium et cujusvis rei creatæ. Ideo est vitium religioni oppositum per excessum, seu vera superstitio. Unde B. Paulus, Athenienses præ cæteris idololatriæ deditos alloquens, dicit, Act. xvii, 22 : *Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video.*

3° Triplex distinguitur idololatria : 1° externa simul et interna quoad existimationem, et est illa qua quis credens aliquid divinitatis in idolo vel in quavis creatura esse, illud ritu externo honorat cum intentione cultum ei deferendi : est idololatria perfecta. 2° Externa simul et interna, cum affectu perverso, absque errore intellectus : talis est cultus quem homo, persuasum habens unicum esse Deum, exhibet idolo vel creaturæ ut aliquid obtineat a diabolo, vel exhibet ipsimet diabolo. 3° Externa et simulata, quando nempe honor externus exhibetur falso deo sine voluntate illum honorandi, et cum persuasione nihil divinitatis in eo esse, sive adsit simulacrum, sive non. Triplex illa species gravissimum est peccatum contra virtutem religionis et externam fidei professionem. Prima tamen sola est conjuncta cum infidelitate, et pœnis in hæreticos latis subjacet, siquidem sola errorem fidei oppositum complectitur.

4° Disputant theologi et Scripturæ sacræ interpretes circa idololatriæ originem : pro temporibus quæ diluvium præcesserunt nihil habemus certum ; sed in libro Josue, xxiv, 2, legitur : *Hoc dicit Dominus Deus Israel : Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare, pater Abraham, et Nachor, servieruntque diis alienis :* ergo tempore Thare et Nachor, progenitorum Abraham, jam erant dii alieni : Rachel furata est idola patris sui Laban, et deinde videmus hanc perniciosam et absurdam superstitionem ubique diffusam.

5° Probabile videtur, ex lib. Sapientiæ, XIV, 15 et seq., occasionem idololatriæ præbuisse homines qui, præ singulari affectione sua erga quosdam morte raptos, illorum faciebant imagines ad memoriam eorum conservandam, et accuratam veri Dei notitiam paulatim obliviscentes, sibi fingebant aliquid divinitatis in his imaginibus vel in præcipuis universi partibus residere, et tunc hæc, dæmonibus impellentibus ac mirabilia in idolis facientibus, cœperunt adorare. Ita post S. Th., *Suarez*, de Superst., l. 2, cap. 5 et 6.

6° Philosophi et multi alii exterius tantum idolo serviebant, sine voluntate ea colendi, aut saltem sine persuasione in eis aliquid esse divinitatis, ut ostendit S. Aug., de Civitate Dei, l. 6, cap. 10, et « in hoc errasse videntur, inquit *Suarez*, quod non putarunt hunc modum » idololatriæ pravum esse, quando ob civilem causam, » vel saltem, ut alii voluerunt, quando fit necessitate » urgente, ad vitandum gravissimum malum mortis vel » aliud æquivalens. »

7° At vulgus paganorum reipsa credebat diversos esse deos diversis orbis partibus præfectos, et aliquid divinitatis vel supremæ excellentiæ inesse idolis, ut ex variis Scripturæ textibus, v. g., Sap. XIII et XIV, Daniel. XIV, ex S. Aug., de Civitate Dei, l. 4, cap. 10 constat; et *Suarez* hoc probat, l. 2, cap. 4, ubi ait : « Certe multi gentilium, præsertim commune vulgus, cæca quadam » ignorantia et falsa traditione ac fide ducebantur, pu» tantes singulis rebus vim quamdam invisibilem ac » supremam præsidere, ideoque supremo cultu esse co» lendam, sine ulla relatione ad unum supremum crea» torem ac gubernatorem omnium, nec discurrebant quo» modo id fieri posset, aut quomodo sine uno supremo » Numine ac progenitore mundus posset subsistere. » Idem error adhuc reperitur apud gentiles nunc existentes; doctores supremum quidem agnoscunt Numen, sed vulgus credit plures reipsa esse deos divino cultu honorandos.

8° Docet iterum *Suarez*, ibid., cap. 6, vix dari posse

ignorantiam omnino invincibilem circa pluralitatem deorum, nisi « in aliquo gentili qui et nullam rectam instruc- » tionem habet, neque per se philosophari valet, ut multi » nunc inveniuntur in Æthiopia, Brasilia, et aliis simili- » bus regionibus. »

Punctum secundum. — *De divinatione.*

1° Divinatio, juxta vim nominis, idem est ac divina actio, juxta quosdam, vel divina notio, juxta alios, quia est quædam participatio cognitionis rerum occultarum quæ divinitatis est propria, ideoque non est per se mala. Sed quoniam hæc notio apud gentiles a dæmone repetebatur, usu Scripturæ et Ecclesiæ divinatio fere semper in malam partem accipitur, et definiri solet : *Indebita notionis rerum occultarum inquisitio vel enuntiatio, dæmonis adjutorio petita aut facta.*

2° Triplex est modus occulta cognoscendi et pronuntiandi, scilicet divinus, humanus et diabolicus. Diaboli existentia, sagacitas et potentia, facultates hominum longe superantes, in dubium revocari non possunt : constat igitur illum multa scire et manifestare posse quæ nos latent. Unde qui cognitionem secretorum vel futurorum aliter quærit quam per revelationem divinam aut media naturalia et humana, eam necessario repetit a dæmone, cum non sit alia cognoscendi via.

3° Duplici modo hæc exquisitio fieri potest, scilicet : 1° per pactum cum dæmone expressum, illum invocando, aliquid ei offerendo, vel adhibendo aut quærendo media evidenter diabolica, v. g., consulendo pythones, evocando mortuos, petendo præstigia, personarum apparentias, aliave signa in aere, aqua, igne, speculis ; et 2° per pactum implicitum, adhibendo quidem media naturalia, sed ad cognitionem inquisitam omnino improportionata et in quibus dæmon se immiscere solet, v. g., si quis intendat cognoscere futura ex inspectione lineamentorum corporis, ex garritu aut volatu avium, etc.

4° Apud omnes constat divinationem quæ fit per ex-

pressum cum dæmone pactum, a mortali excusari non posse, ne quidem per ignorantiam, quia gravissima Deo infertur injuria, et nullus est qui usum rationis habens, et verum Deum cognoscens, advertere non possit pactum cum ipsius hoste initum illum graviter offensurum.

5° Certum est alteram divinationem, per pactum implicitum, in se malam esse et stricte prohibitam : nam 1° Deus, Deut. XVIII, 10, omne genus divinationis prohibet dicens : *Nec inveniatur in te... qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat nec divinos, aut quœrat a mortuis veritatem.* 2° Celebris existit bulla Sixti V, diei 5 januarii 1586, per verba *Cœli et terræ Creator* incipiens, in qua variæ superstitionum ac præsertim divinationis species enumerantur et expresse damnantur. 3° Ita sentiunt omnes theologi, conveniuntque hujusmodi divinationem esse de genere suo peccatum mortale, et tamen fieri posse veniale propter ignorantiam, simplicitatem, aut, juxta plures, inter quos *Layman*, *Sanchez*, Lessius, *Suarez*, etc., si fides tali superstitioni non adhibeatur, sed timor tantum vel suspicio de eventu prænuntiato concipiatur, aut si ex joco ars illa exerceatur et grave non adsit scandalum.

6° Deus sibi reservavit secreta cordium et futura ex libera hominum voluntate pendentia, ut ostendit Sixtus V in sua citata bulla : unde infert 1° dæmones ea certo cognoscere non posse, sed tantum conjecturaliter, modo tamen intelligentiam humanam longe superante; 2° artem divinatoriam, in quantum ad secreta cordium et futuros eventus a causis necessariis non pendentes respicit, vanam esse, fallacem, improborum hominum astutia et dæmonum fraudibus introductam, « ex quorum opera» tione, consilio vel auxilio omnis divinatio manat, sive » quod expresse ad futura manifestanda invocentur, sive » quod ipsi pravitate sua et odio in genus humanum oc» culte, etiam præter hominis intentionem, se ingerant » et intendant vanis inquisitionibus futurorum, etmentes » hominum perniciosis vanitatibus et fallaci contingen-

» tium prænuntiatione implicentur, et omni impietatis » genere depraventur. » Urbanus VIII altera Const. die 31 martii 1631 dispositiones Const. Sixti V confirmavit et auxit. Nihilominus pronuntiat Pontifex homines fallacia diaboli sic delusos et curiosa sectantes, Deum graviter offendere, a via salutis averti et in laqueo damnationis involvi. Ratio est, quia peccatum non consistit in successu artis, sed in usu ipsius artis diabolicæ.

7° Præcipuæ divinationis species sunt : 1° *præstigia*, quando nempe dæmon, sub quibusdam imaginibus vel corporis aliunde asportatis aut ex aere compactis, se oculis vel sensibus hominum ingerit ad occulta prænuntianda; 2° *necromantia*, quæ est divinatio per mortuorum evocationes veras aut fictas, adhibitis verbis aut signis quibus mortui videntur resurgere, loqui et docere occulta; 3 *geomantia*, quæ est divinatio facta per quædam signa vel puncta in corporibus terrenis, v. g., lapide, ligno, charta, etc., exarata; 4° *hydromantia*, per signa in aqua; 5° *aeromantia*, per signa in aere; 6° *pyromantia*, per signa in igne; 7° *aruspicium*, per signa in animalium dæmonibus immolatorum visceribus; 8° *oniromantia*, si fiat per somnia; 9° *oraculum*, si fiat per idolum; 10° *pythonia*, si fiat per homines arreptitios, sic dicta a sacerdotissa Apollinis quæ in tripode posita et pelle serpentis Pythonis cooperta, vaticinabatur. Omnes illæ divinationis species fieri dicuntur ex pacto cum dæmone expresso, quia dæmon invocatur, aut signa, quæ non nisi ab eo produci possunt, quæruntur.

8° Sequentes fieri reputantur ex pacto implicito, quia signis vel factis in se naturalibus nituntur, et deordinatio est in conclusionibus quæ ex illis superstitiose deducuntur : 11° *chiromantia*, est divinatio ex lineis manus facta; 12° *spatulomantia*, si ex spatulis animalium fiat; 13° *metoposcopia*, si fiat per signa frontis; 14° *augurium*, si ex hominis, animalium et avium vocibus, cantu, garritu, sternutatione et aliis hujusmodi occulta divinentur; 15° *auspicium*, si divinatio fiat ex volatu avium; 16° *omen*, si ex vocibus hominum præter intentionem prolatis;

17° *astrologia judiciaria*, si ex situ vel motu siderum futura a libera hominum voluntate pendentia prædicantur; et 18° *sortilegium*, si per sortes divinatorias occulta vel futura exquirantur.

Hæc distinctio divinationis specierum apud S. Thomam et, post ipsum, apud alios theologos, cum quibusdam discriminibus habetur.

Qui vanis præcedentibus rebus ad finem intentum naturaliter improportionatis utendo, protestatur se omni pacto cum dæmone abrenuntiare, non ideo excusantur a peccato, quia contra protestationem suam agit, et cum nec Deus nec Angeli boni talibus rebus se immisceant, dæmon implicite invocatur, inquiunt *Layman*, *Suarez*, *Bonacina*, *Busenbaum*, S. Ligorius, etc. Nec excusatur is qui talia media credit utilia propter experientias, quia has dæmon procurat ut homines paulatim illaqueat et ad similia usurpanda inducat : sic cum pluribus aliis, *Busenbaum* apud S. Ligorium qui eum approbat.

9° *Notandum*, ex Codice pœnali, art. 479, n. 7, et art. 790, n. 1, eos qui ex professo divinantur, futura prænuntiant, somnia explicant, ad mulctam pecuniariam a 11 ad 15 fr. et ad incarcerationem pro quinque diebus damnari posse.

Quædam specialiter nobis dicenda sunt de astrologia, somniis, sortilegio, virga bifurcata, magnetismo et mortuorum reditibus, gallice *revenants*.

De astrologia.

1° Astrologia, seu astrorum scientia, duplex est, una naturalis et altera quæ dicitur judiciaria.

2° Astrologia naturalis, quæ alio nomine vocatur astronomia, ea est quæ ex astrorum, maxime planetarum, ortu et occasu, conjunctione, oppositione varioque aspectu, tum inter se, tum relative ad stellas fixas, de futuris eventibus naturaliter contingentibus pronuntiat : sic certo prædicit eclipses, et conjecturaliter pluvias, siccitates, frigora, calores, grandines, ventos, morbos animalium,

pestes, salubritates. A veteribus recensita est inter septem artes liberales, quæ sunt *grammatica, dialectica, rhetorica, musica, geometria, arithmetica* et *astrologia.*

Nulla lege prohibetur; imo nobilis est scientia, vera discere volente dignissima : excepta tamen ea parte quæ ex ortu, occasu, calore vel aspectu solis ac lunæ sumitur, valde est incerta in iis quæ conjecturat circa mutationem temporum, pluvias, siccitates, grandines, ventos, etc. Unde patet quam vanæ sint prædictiones, quæ quotannis vulgantur per ephemerides, gallice *almanachs* (a verbis arabibus *al,* articulus, et *manach,* supputare). Hujusmodi tamen prædictiones a nemine reputantur superstitiones, sed ad summum temeritates, mendacia, vel, ut plurimum, quædam mentis joca.

Multo magis incerta et obscura est si, ex influxu constellationum in nativitate hominis, naturales illius inclinationes, temperamentum, complexionem, sanitatem, indolem, actiones ordinarias cognoscere et annuntiare præsumat. Attamen si hoc judicium ulterius non procedat, nondum est superstitiosum, sed vanum, frivolum et nulla fide dignum, ut pote non fundatum; quotidie enim duo infantes sub eadem constellatione nati, vel duo gemini valde diversos habent mores, ut visum est in Esau et Jacob. Si enuntietur ut certum, est peccatum veniale; si conjecturaliter, nullum est peccatum. Ita *Ferraris,* S. Ligorius et alii plures.

3° Astrologia judiciaria ea est quæ ex situ, aspectu, motu ac positione siderum judicat de eventibus a libera hominum voluntate dependentibus, aut saltem qui in causis necessariis non continentur, v. g., de conditione vitæ, de matrimoniis, liberis, honoribus, divitiis, infortuniis, præliis, exsilio, carcere, genere mortis, etc., vel etiam de præteritis aut præsentibus occultis, v. g., quis sit hujus pater, quis furtum aut homicidium fecerit, etc. Qui hujusmodi astrologiam exercent, sæpe in jure et in historia ecclesiastica vocantur mathematici.

4° Certum est usum talis astrologiæ esse illicitum; ita omnes, et probant 1° ex Scriptura sacra. Jerem. x, 2 :

Juxta vias gentium nolite discere, et a signis cœli nolite metuere quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt; 2° ex multis juris canonici canonibus; 3° ex Constitutionibus Sixti V et Urbani VIII supra citatis, in quibus prædictio judiciaria etiam conjecturalis stricte prohibetur; 4° ex pluribus antiqui juris civilis capitibus. Ergo. *Concina, Ferraris,* et alii non dubitant affirmare hoc peccatum esse mortale.

5° Non magis autem astrologos aut divinos consulere licet, v. g., ad inveniendam rem amissam, ad cognoscendum furem aut maleficum, ad detegendum secretum, quam officium divinandi exercere. Ea tamen est differentia quod simplices ad divinos recurrentes ratione bonæ fidei a peccato saltem mortali quandoque excusari possint, non vero qui artem divinandi exercent.

6° A pluribus sæculis existunt in Europa viri et mulieres circumvagi vulgo dicti in Gallia *Bohémiens,* in Anglia *Egyptiens,* in Suecia et Dania *Tartares,* in Hispania *Gitanos,* in Italia *Zingani*, qui se jactant divinare bonam vel malam uniuscujusque fortunam, et quotidie a plebeiis consuluntur. Circa originem eorum non consentiunt auctores : Stephanus *Pasquier, Recherches sur la France,* l. 4, cap. 19, dicit quod die 17 aprilis 1427 venerint Parisios 12 viri, dicentes se numero 1200 ex Ægypto a Sarracenis fuisse expulsos, papam adiisse sua confitentes peccata, accepisse pro pœnitentia ut per septem annos semper vagarentur, et 120 tantum remanere, tam mulieres et infantes quam viros, et mulieres eorum fuisse deformes et sagas.

Certum est eos qui talem exercent artem communius mortaliter peccare; qui vero eos vel eas adeunt *pour se faire dire la bonne aventure*, si habeant fidem aut grave præbeant scandalum, graviter etiam peccant : si vero ob solam curiositatem vel ridendi causa id faciant, ut fieri solet, peccant tantum venialiter, secluso gravi scandalo, et supposito quod ipsi bohemi serio non agant; nam tunc cooperatio fieret cum ipsis mortaliter peccantibus. Vide *Sanchez, Busenbaum, Ferraris,* S. Ligorium et alios.

7° Libri de astrologia judiciaria et aliis divinationis speciebus tractantes, stricte proscripti sunt per bullam Sixti V.

De somniis.

1° Somnium est apparitio phantastica inter somniandum in imaginatione facta.

2° Triplicis generis distinguuntur somnia, scilicet divina, diabolica et naturalia. Divina ea sunt quæ a Deo excitantur, sive id faciat per se immediate sive ministerio Angelorum utatur; somnia diabolica ea sunt quæ diabolus in phantasiam vel in causas naturales agendo excitat; et somnia naturalia ea sunt quæ nascuntur ex naturalibus causis, nempe vel ex vivida præcedenti mentis affectione, vel ex certa corporis dispositione, qua fit, v. g., ut qui frigidis humoribus abundat, cogitet somniando se esse in aqua vel in nive; qui atra bile est repletus, sibi repræsentet tristia; vel ex ambiente aere aut corporis cœlestis impressione, v. g., si quis dormiat in loco nimis frigido, vel calido, vel bene aut male olente, si luna caput ejus attingat, etc.

3° Certum est multa exstitisse somnia a Deo per se vel per bonos Angelos excitata, ut patet exemplis Abimelech, Genes. XX, 3; Jacob, ibid. XXXI, 11; Laban, ib. ℣ 24; Joseph, ibid. XXXVII; Gedeonis, Judic. VII, 13; Samuelis, I Reg. III; Nabuchodonosor, Mardochæi, Judæ Machabæi, II Machab. XV, 11; Joseph, viri Mariæ, et Magorum, Matth. I et II, etc. Ubi constat somnia esse a Deo; eorum observatio non solum licita, sed necessaria est, quia Deus per illa nos instruit, monet, dirigit, voluntatem suam manifestat.

4° Dari posse somnia diabolica variis in locis supponit Scriptura, quæ eorum observationem prohibet. v. g., Levit. XIX, 26 : *Non augurabimini, nec observabitis somnia;* Deut. XVIII, 10 : *Non inveniatur in te... qui observet somnia;* Eccli. XXXIV, 7 : *Multos errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in eis.*

5° Somnia naturalia observare licet in iis quæ habent

connexionem cum eorum causis, v. g., medici iis uti possunt ad applicanda convenientia remedia, confessarii ad prohibendas certas lectiones, collocutiones, frequentationes ex quibus turpia nascuntur in imaginatione etiam inter somnum. In hoc nulla est difficultas.

6° At somnia naturalia observare non licet in iis quæ cum eorum causis nullam habere possunt connexionem, v. g., ad revelanda occulta, ad prænuntianda futura libera, vel etiam necessaria, sed a causis somniorum prorsus independentia, puta, siccitatem, frigus, pluviam : talis quippe revelatio vel prædictio est vana et illusoria, vel a dæmone per pactum implicitum procederet. Graviter igitur est peccaminosa, sicut divinatio per astra, nisi simplicitate et bona fide saltem a tanto excusetur.

7° Quando Deus immittit somnium, dat signa quibus illud a somniis diabolicis vel naturalibus certo secerni possit : in dubio vir doctus consulendus est, et, dubio perseverante, somnium haberi non debet ut divinum.

8° *A fortiori* graviter peccant qui objecta sacra vel speculum nocte capiti suo supponunt ut inde nascantur somnia futuros eventus prænuntiatura, ut patet.

Sed *Ferraris*, cum pluribus aliis, putat eum peccati mortalis culpandum non esse, 1° qui ex mera curiositate pergit ad locum ubi thesaurus sibi exhibitus fuit in somnio absconditus, et terram effodit; 2° qui dubitans an thesaurus absconditus sibi indicatus sit per mortuum apparentem aut per somnium, terram effodit ut veritatem rei detegat, fidem somniis non adhibens ; 3° qui observat somnium, non præcise ex fide rem prænuntiatam esse veram, sed ex quadam timiditate, cujus rationem reddere non potest; quia in his casibus vel nulla, vel saltem imperfecta est superstitio.

Sollicite tamen arcendi sunt fideles a qualibet somniorum non certo divinorum observatione.

De sortilegio.

1° Nomine sortilegii vulgo intelliguntur omnes diabolicæ operationes, sed specialius hic intelligimus eam divinationis speciem quæ fit per sortes. Triplicis autem generis distinguuntur sortes, nempe divisoriæ, consultoriæ et divinatoriæ, quæ apud P. *Le Brun*, t. I, p. 262, dicuntur naturales, divinæ et superstitiosæ.

2° Sortes divisoriæ, seu naturales, sunt illæ per quas, ex consensu partium, decernitur cui res aliqua tribuenda sit. Dummodo nihil superstitionis aut injustitiæ contineant, procul dubio licitæ sunt extra casum electionis ecclesiasticæ ; has enim sortes Deus pluribus in locis approbavit, et ipse adhibendas indicavit, v. g., Num. XXVI, 55, et XXXIII, 54, et in multis aliis. Quotidie videmus eas adhiberi a politicis, juristis, magistratibus, canonistis et theologis, ad terminandas lites, dividendas hæreditates, decernenda munera, etc., et nullus suspicatur aliquid mali in eis esse.

Diximus autem, *extra casum electionis ecclesiasticæ*, quia hoc expresse prohibitum est in Decretal. l. 5, t. XXI, c. 3, ubi Honorius III dicit se cujusdam electionem admittere, addens, propter circumstantias hujus electionis in eo loco relatas, se damnare *sortis usum in electionibus perpetua prohibitione:* idem aliis auctoritatibus et rationibus adstruitur.

Nec valet contra exemplum S. Matthiæ per sortem electi, quia hoc per singulare Dei privilegium factum est, et aliunde prohibitio juris positivi ad præcavendas fraudes et astutias legitime facta nondum existebat.

3° Sortes dicuntur consultoriæ vel divinæ, quando ope illarum quæritur a Deo quid sit agendum vel cavendum. Aliquando, licet raro, licitæ esse possunt, videlicet, si fiant ex causa urgente et cum debita reverentia erga Deum, pro cognoscenda re necessaria quæ humano modo cognosci non potest : nam ut legitur in Prov. XVI, 33 : *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur*. Cum

existit ratio sic agendi, Deus imprudenter non tentatur, et de facto sic plures Sancti egerunt.

Si vero consilium Dei sic absque gravi causa exquireretur per sortes, dum viis humanis cognosci potest, aut si reverentia Deo debita non servaretur, tunc illæ sortes essent graviter vel leviter illicitæ, secundum circumstantias, propter tentationem Dei et irreverentiam erga ipsum. *Ita omnes.*

Hinc illicita et merito damnata fuit in concilio Venetico, anno 462, et in aliis pluribus, sors sanctorum, de qua tam frequenter fit mentio in Historia ecclesiastica, in eo consistens ut ad apertionem alicujus libri sancti vel auditionem lectionis sacræ, ex prima sententia occurrente cognoscatur occultum vel sciatur quid agendum sit; talis enim sors est saltem vana, cum nullo innitatur fundamento, et in Const. Apost. l. 1, cap. 7, dicitur prohibita tanquam ad idololatriam deducens.

Non minus fortiter reprobandæ sunt sortes ex apertione librorum Homeri vel Virgilii exercitatæ, et ideo Homericæ vel Virgilianæ vocatæ.

4° Sortes divinatoriæ vel superstitiosæ in eo sitæ sunt ut quis, illarum ope, occulta vel futura humanam cognoscendi facultatem superantia cognoscere intendat, v. g., ex jactu taxillorum, ex numeris per rotam educendis, ex apertione libri. Sortes hujusmodi per se graviter sunt illicitæ, ut pote tacitam vel expressam dæmonis invocationem continentes, siquidem nec ex natura rei, nec ex constitutione Dei vel Ecclesiæ, ad hæc manifestanda sunt idoneæ. Ideo damnantur in Scriptura sacra et in pluribus juris canonici capitibus. Ad hoc genus reducitur cribri versio qua nonnulli tentant divinare fures, homicidas, sagas et alia similia; item et *cabala*, apud Judæos usitata, de qua aliquid diximus in Tractatu *de Fide*, t. II.

De virga divinatoria.

Hæc virga, cujus nulla fit mentio, inquiunt auctores Dictionarii *de Trévoux*, ante decimum quintum sæculum,

debet esse ex corylo et bifurcata. Quidam tamen dicunt eam esse posse ex qualibet materia et in quacumque forma. Experientia compertum est eam certo modo delatam, inclinari super aquas sub terra delitescentes, super metalla et, juxta quosdam, super agrorum limites, super vestigia furis vel homicidæ. Multi ea utuntur ad detegendos fontes aquarum, vel thesauros absconditos.

Jacobus *Aymar*, dives quidam rusticus in pago Sancti-Verani, in Delphinatu, anno 1662 natus, usum virgæ divinatoriæ reddidit celebrem anno 1692, ope illius quærendo occisores cujusdam œnopolæ atrociter interfecti cum uxore sua Lugduni, die 5 julii illius anni, eos per vestigia persequendo usque Bellicadrum (*Beaucaire*), ubi unum ex ipsis inter duodecim incarceratos discrevit : is convictus et crimen confessus, supplicio plexus est.

Circa usum virgæ tres prodierunt opiniones : quidam, inter quos *Chauvin*, et *Garnier*, doctores medici, illius motum in cunctis casibus naturalem esse et licitum demonstrare conati sunt. Alii crediderunt eum esse superstitiosum, pactum cum dæmone implicitum continere et ex omni parte reprobandum esse. Ita P. *Malebranche* et P. *Lebrun*, ea de re longe tractans in opere cui titulus : *Histoire critique des pratiques superstitieuses qui ont séduit les peuples* (4 vol. in-12). Alii non negant fontes aquarum et metalla ope virgæ naturaliter detegi posse ; illius tamen usum, ut fieri solet, reprobandum esse putant, ob varias circumstantias evidenter superstitiosas : v. g., 1° requiritur intentio agentis ut virga in manibus ejus moveatur ; 2° finis intentus : unde si quæratur pecunia, virga immobilis erit super aquam, aut si quæratur aqua, inclinabitur super aquam, et immobilis erit super thesaurum. Porro causæ naturales ab hujusmodi circumstantiis pendere nequeunt. 3° Nulla est distinctio physica inter duos lapides in terra delitescentes et prorsus similes : quomodo ergo virga unum ab alio naturaliter secernere potest ? 4° Multo difficilius est ut reos ab innocentibus naturaliter discernat. In his igitur circumstantiis, aut effectus attributi virgæ sunt imposturæ vel illusiones, aut

a dæmone procedunt, ideo usus ejus tunc omnino reprobandus est.

At propriis oculis vidimus motum virgæ ad inveniendas aquas adhibitæ. Personæ ea utentes nullo modo nobis erant suspectæ. Eadem virga in manibus unius personæ movebatur in uno loco, et non in manibus alterius personæ in eodem loco, licet idem intenderet. Persuasum habemus hujusmodi motum a causis naturalibus et a dispositionibus physicis pendere. Ideo applicationem virgæ ad detegendum aquas vel metalla damnare nollemus; nullatenus vero eam permitteremus ad detegendos reos, siquidem modus est omnino improportionatus.

De magnetismo animali.

Antonius *Mesmer*, medicus Germanus, anno 1734 natus, novos curandi modos quærens, arbitratus est et probare voluit se remedium mirabile inauditamque operationis speciem invenisse in influxu planetarum, deinde in fluxu magnetis, postea tandem in quodam fluxu subtilissimo e cunctis corporibus animalium procedente, fluxui magnetis simili, quem ideo vocavit *magnetismum animalem*. Multas fecit experientias Viennæ in Austria, et Parisiis quo venit anno 1778 : plerique docti, quorum suffragium variis testamentis exquisivit, eum suggillaverunt et artem ejus contempserunt; quosdam tamen pro se habuit : in doctrina sua perseveravit Parisiis et Londini; tandem in sua patria reversus, obiit fere ignotus anno 1815.

Plures artem ejus exercere perrexerant, et non pauci etiam nunc, sive medici, sive alii, Parisiis et alibi eam exercent, contendentes se, ope fluxus magnetismi animalis, personas consentientes, præsertim mulieres, ad statum somnambulismi, quædam sensibilia faciendo signa, reducere, easque usu sensuum orbatas, multa videre, audire, intelligere et loqui, etiam a magnis distantiis, maxime circa proprias aliorumve infirmitates et remedia eis applicanda, quæ aliunde prorsus ignorant et in statu

naturali restitutæ non recordantur. Multa hujus generis narrantur facta, a pluribus habita ut vera et authentica, ab aliis rejecta ut fictitia : acriter inter se ea de re disputant medici periti ac critici, et quamvis plerique facta allegata inter fabulas rejiciant, sunt tamen non contemnendi qui ea admittunt ut vera. Legi possunt *Biographie univ. art.* Mesmer; *Nouveau Dict. de méd.* 22 vol. *art.* Magnét. *par Rostan*; *Gazette de médecine et Revue médicale* de 1832 et 1833, et multa alia opera ab eo tempore usque ad hodiernam diem de magnetismo animali edita.

Quidquid sit, damnare non audemus eos qui, arbitrantes effectus magnetismi esse naturales, ea utuntur arte, servatis modestiæ ac castitatis legibus et recta intentione, secluso scandalo : contingeret autem scandalum si clericus, v. g., talem exerceret professionem, aut si intenderentur effectus omnino disproportionati, qui cum naturalibus causis nullam evidenter habere possent connexionem ; nam tunc aut forent inanes, aut a diabolo per implicitum pactum procederent.

Per decretum diei 21 aprilis 1841, Gregorius XVI pronuntiavit, approbando responsionem S. Cong. sancti officii. *Usum magnetismi, prout exponitur, non licere;* quod S. Pœnitentiaria iisdem verbis confirmavit in responso ad episcopum Friburgensem, 1ª die julii ejusdem anni.

Expositum autem fuerat operationes magnetismi favere incredulitati et morum corruptelæ.

Anno sequenti, card. *Gousset*, archiep. Rem., quæsiit an magnetismus in se spectatus, *sepositis rei abusibus rejectoque omni cum dæmone fœdere,* esset licitus. Sancta Sedes huc usque tacuit; sed card. *Castracane* respondit, die 2ª septembris 1843, quæstionem non cito definiendam esse, si unquam definiatur.

De mortuorum apparitionibus, gallice revenants.

Certum est Deum, Angelos sive bonos, sive malos, et animas defunctorum, beatorum aut miserorum, sub diversis formis apparere posse. Sic 1° Deus apparuit Adamo

post ejus peccatum; Abraham, illi jubens ut filium suum immolaret; Moysi in rubo ardenti, Eliæ in monte Horeb, etc.; 2° boni Angeli apparuerunt in multis locis, v. g., Abraham et Loth ante Sodomæ subversionem, Tobiæ, B. Mariæ Virgini, etc.; 3° dæmones sub diversis formis, ut in Paradiso terrestri sub forma serpentis; 4° animæ defunctorum, ut Jeremias et Onias Judæ Machabæo et exercitui ejus, Moyses in monte Thabor; 5° ipsi viventes in locis remotis et simul in pluribus locis apparere possunt: v. g., pincerna Pharaonis hunc principem vidit in somnio, S. Paulus vidit Ananiam, Elias apparuit in monte Thabor, S. Franciscus Xaverius in pluribus locis simul visus est; S. Philippus Nereius, Romæ sistens, apparuit sanctæ Catharinæ de Ricci in Toscana, etc.

Non magis repugnat animas defunctorum, sive beatas, sive miseras, sub variis apparere formis, strepitum facere, gemere, loqui, aliquid postulare vel indicare. Possibiles sunt igitur reditus mortuorum, gallice *revenants*: plures exstiterunt, et ideo fides hujusmodi apparitionibus non est absolute irridenda aut contemnenda: sed innumeræ hac de re propalatæ sunt historiæ omnino fabulosæ, imaginationis perterritæ fetus, vel decipiendi causa excogitatæ. Itaque apparitionibus hujusmodi caute admodum adhibenda est fides. Qui tamen facilius ei crederet, nihil mali faceret, et contra prudentiam tantum ageret.

Hic esset locus dicendi de mortuis qui e sepulcris corporaliter nocte exeunt, et sanguinem vivorum sugunt et ebibunt, atque vulgo dicuntur *vampires*, de quibus fuse D. *Calmet* in opere inscripto: *Traité sur les apparitions des esprits et sur les vampires ou revenants*, 2 vol. in 12. Sed quamvis ille auctor multa congerat facta et argumenta, communiter in hoc habetur ut nimis credulus.

Nota. Docent communiter theologi, juxta *Concina*, t. XIV, p. 27, abstinendum esse pacto quo duo conveniunt ut qui prior obierit appareat viventi et statum salutis suæ ei manifestet, quia periculum est ne dæmon hoc cognoscens pactum, eo ad decipiendum viventem abutatur.

Punctum tertium. — *De vana observantia.*

1° *Vana observantia* ea est superstitionis species qua ad effectum obtinendum vel impediendum adhibentur media improportionata, nec a natura, nec a Deo, nec ab Ecclesia ad id ordinata. In eo differt a divinatione, quod divinatio per se ad cognitionem occulti vel futuri ordinetur, et vana observantia ad aliquid obtinendum vel omittendum.

Præcipuæ ejus species sunt ars notaria, observantia sanitatum et observantia eventuum ad quas cæteræ facile reducuntur.

2° *Ars notaria* ea est qua quis per verborum ignotorum prolationem, aliqua signa, jejunia, aliave similia omnino improportionata, infusionem alicujus scientiæ sine ullo studio vult obtinere, sicque vel Deum tentat, miraculum modo inconvenienti postulans, vel dæmonem saltem implicite invocat; at in utroque casu graviter peccat. Hac arte uti dicuntur Anabaptistæ, qui, quodam in cœna sua sumpto poculo, statim incipiunt legere, recitare, interpretari Scripturas antea sibi ignotas, dæmone verba ipsis suggerente, vel per os eorum loquente. Unde quandoque evenit ut catholici per exorcismos scientiam eorum adimant. *Ferraris,* v° *Superstit.,* num. 48.

3° *Observantia sanitatum* in eo consistit ut vana et inutilia adhibeantur media ad sanitatem hominum vel animalium conservandam aut recuperandam : unde effectus sperari non potest a natura, nec a Deo, qui miraculum non promisit : ergo explicite vel implicite speratur a diabolo, et idcirco hæc superstitio est peccatum ex genere suo mortale, quod tamen fieri potest veniale ex ignorantia et simplicitate, aut si fides non adhibeatur his rebus, quamvis aliquis existat timor.

Hinc superstitionis rei sunt qui gestant amuleta, ligaturas, involucra falsis characteribus consignata, quædam invocant nomina ignota, certum numerum crucium, orationum aliave hujusmodi inutilia adhibent ad sanandas

infirmitates, ad curanda vulnera, ad mitigandos dolores, ad sistendum sanguinem, ad obtinendum felicem partum, ad se vel alios reddendos invulnerabiles : qui eo fine super se habent sacras reliquias, cruces benedictas, agnos Dei, certas preces, Evangelium S. Joannis, aliave pia objecta, effectum ex illis infallibiliter exspectantes; qui certo festo certas adhibent preces, certas postulant Missas, cum numero determinato orationum, cereorum; qui volunt septem aut novem pueros orare pro puero ægrotante, novem puellas pro puella; qui ad sananda quædam vulnera requirunt herbas tali die collectas, a tali persona præparatas, etc., æstimantes has speciales circumstantias esse necessarias et efficaces.

Non vero est superstitiosum verba Scripturæ sacræ vel reliquias in honorem Dei vel Sanctorum gestare, jumentum circa templum alicujus Sancti circumducere, in festo ejus venam equi secare ex devotionis causa et ad suffragia Sancti obtinenda. Ita, cum multis aliis, *Busenbaum,* qui addit homines rudes bona fide ritum ab Ecclesia non receptum observantes, aliquando relinquendos in sua simplicitate dum difficulter ab eo averterentur; nec damnandos, sed potius laudandos qui certas sequuntur devotiones, quas vocant novendiales, gallice *des neuvaines,* in honorem novem mensium quibus Christus fuit in utero matris suæ, vel piorum usu et praxi inter fideles assueta et a pastoribus approbata nixi; qui triginta postulant Missas, ad exemplum S. Gregorii; qui quinquies dicunt *Pater* et *Ave* in honorem quinque plagarum Christi, etc.

Nec pariter improbandi sunt qui coram tali statua vel in tali capella Deum, vel B. Mariam virginem, vel Sanctos invocant; quia certum est pluries Deum specialem hanc devotionem miraculis, vel saltem gratiis abundantioribus confirmasse; unde tot imagines, vel tot sanctuaria per orbem christianum sparsa, et peculiari veneratione circumdata. In hujusmodi autem devotionibus et in iis quæ dicuntur *pèlerinages,* attente consulenda est vera ratio fidei gravisque traditionis, et cavendi sunt abusus qui sæpius ex ignorantia irrepserunt; sed non ideo con-

temnendus est usus adeo pius, toties miraculis confirmatus et ab Ecclesia sæpe approbatus, populoque fideli, ad promovendam fidem et pietatem et ad obtinendas speciales gratias, salutaris.

4° *Sequitur ex dictis* superstitiosum esse modum liberandi a febribus, quoddam faciendo instrumentum illudque projiciendo in ignem, nonnullas proferendo preces, etiam protestando se nullum habere velle pactum cum dæmone, quia actio protestationi adversatur.

At multi excusant familias quæ gaudent privilegio sanandi morsos a rabido cane per solum tactum, putantes hoc esse donum a Deo gratis datum. *Sanchez, Suarez,* Lessius et alii plures dicunt hujusmodi donum probabiliter admittendum esse in aliquibus pollentibus virtute nonnullos sanandi morbos, præsertim infantium, quædam proferendo verba, faciendo signa crucis, tangendo partes corporis affectas, etc. Qui talem habent virtutem, dicuntur in Hispania *salvatores*; ab episcopis et inquisitoribus examinantur ac tolerantur. Ita *Suarez,* de Superst. t. II, cap. 15, n. 25.

Sic reges Galliæ consuetudinem habebant, a Roberto I, ut fertur, strumosos tangendi, ad sanandos eos, die suæ unctionis, et aliis quibusdam diebus quibus sacram Eucharistiam sumebant. Bonifacius VIII, in bulla canonizationis S. Ludovici, anni 1297, agnoscit eum *strumosis beneficium liberationis impendisse.* Hæc consuetudo perseveravit usque ad Carolum X, qui etiam die suæ unctionis strumosos tetigit, sed non constat aliquos ex iis fuisse sanatos. Communissime docent theologi virtutem sic sanandi non fuisse naturalem, sed donum a Deo gratis datum. Unde plures referunt auctores Philippum I hoc privilegium per peccata sua amisisse. Vide in primis *Histoire de l'Eglise gallicane,* l. 6, in initio.

5° Juxta Salmanticenses, *Suarez, Sanchez,* S. Ligorium et alios, arcendi sunt ut superstitiosi qui carbones contrectant, halitu fornacem tepefaciunt vel hominem occidunt; qui madidi vino sanant; qui in præsentia alterius salvatoris virtutem sanandi amittunt; qui eam virtutem

ab aliis discunt; qui dicunt eam esse privilegium septimi filii, sine filiabus intermediariis, aut hominis tali die nati, etc.

6° Advertunt iidem auctores quod in dubio præsumendum sit effectum esse naturalem, quia, ut ait S. Th. 2 2, q. 60, art. 4, « ubi non apparent manifesta indicia de » malitia alicujus, debemus id ut bonum habere, in me» liorem partem interpretando quod dubium est. » Requirunt tamen ut præmittatur protestatio nolendi malum effectum, si existat superstitio. Si vero certe vel probabiliter constaret rem naturaliter producere non posse talem effectum, potius judicandum esset aut illum frustra exspectandum, aut a diabolo venturum esse.

7° Usus *pulveris sympathici* in distans operantis, v. g., sanguinem fluentem sistentis, vulnera sanantis, communiter damnatur ut superstitiosus; quidam tamen illius efficaciam conantur explicare per effluxum materiæ subtilissimæ.

Unde *Elbel* a S. Ligorio citatus et approbatus, l. 3, n. 20, censet hunc pulverem in casu urgenti permitti posse, modo vulneratus non nimium distet, v. g., non ultra trecentos passus, et præmittatur protestatio contra omnem diaboli operationem.

8° *Observantia eventuum* in eo consistit ut quis, ex cujusdam rei impertinentis fortuito occursu, bona vel mala sibi aut aliis eventura ominetur, et inde actiones suas dirigat, v. g., iter infaustum timeat, si egrediendo pedem offenderit, aut lupus ibi occurrerit, et domum regrediatur; adire nolit convivium in quo tredecim debent esse personæ, timens ne una et forsitan ipse in eo moriatur anno; aliquod formidet infortunium in inversione salinæ, ex sternutatione, ex cantu strigis vel crocitu corvi, etc. Ordinarie in hujusmodi actibus ex præjudiciis, simplicitate, ignorantia, timiditate procedentibus, vel nullum, vel ad summum veniale tantum est peccatum.

Non vero superstitiosum est observare lunam aut tempora aptiora colligendis herbis, purgandis corporibus, cædendis arboribus, seminandis granis, etc., quia hæc

sunt naturalia, sicut prædicere pluviam ex inspectione cœli, ex doloribus podagræ, vel præsagire alicujus internas dispositiones aut futuras qualitates ex ipsius metoposcopia (*physionomie*), quamvis prudenter admodum sit judicandum et agendum.

Punctum quartum. — *De magia et maleficio.*

1° Nomine magorum apud Græcos et Orientales intelligebantur sapientes, præsertim iis qui cursus astrorum observabant, id est astronomiam colebant : unde Matth. II, 1 : *Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam.* Magia igitur in bono sensu accipiebatur. Postea vox illa translata est ad significandam artem quæ docet facere opera insolita et mira per causas occultas.

2° Magia dividitur in naturalem et superstitiosam. Magia naturalis est ars operandi mira per causas naturales, sed occultas, v. g., per operationes astronomicas, arithmeticas, chymicas, opticas, etc. Procul dubio in se est licita, modo absit deceptio, scandalum et omnis spiritus superstitiosus, etiamsi quædam proferantur verba barbara sine fide, ad illusionem adstantibus faciendam et risum facilius excitandum. Vulgo appellatur *magie blanche.* Magia superstitiosa est ars mirabilia producendi opera vires humanas superantia ex pacto explicito vel implicito cum dæmone, et vocatur *magie noire.* In eo differt a divinatione, quod divinatio versetur circa occultum aut futurum cognoscendum, et magia circa mirabile faciendum.

3° Si mirabile opus, sic magice productum, sit tantum ad ostensionem vel ad bonum sibi aut aliis procurandum, operatio nomen retinet magiæ : si vero nocumentum aliis inferat, vocatur *maleficium*, a verbis *malum facere ;* et duplex distinguitur, amatorium scilicet et veneficum.

Maleficium amatorium in eo consistit ut amor venereus excitetur erga personam, non quod persona sic excitata malum necessario faciat, sed ad illud inclinetur et difficilius tentationi resistat. Dicimus erga personam determinatam, quia sunt herbæ, lapides, pocula quibus tribuitur

virtus sensus libidinis commovendi et concupiscentiam, sed in genere : solius est dæmonis has flammas inspirandi erga unam specialiter personam, phantasiam immutando, pulchiores exhibendo species, humores libidinosos excitando, etc.

Maleficium veneficum est illud quo, ope dæmonis, inferuntur mala hominibus, animalibus, frugibus, etc., v. g., quo homines redduntur infirmi, feminæ steriles, proles languidæ, pecora morbida, arbores siccæ, etc.

Unde magia simpliciter dicta soli adversatur religioni : sed maleficium, sive amatorium, sive veneficum, simul lædit religionem et justitiam commutativam, ac proinde obligationem damnum reparandi inducit.

4° Negari non potest *sine errore in fide,* inquit *Suarez*, cap. 14, n. 7, magos exstitisse, ac consequenter existere posse : nam satis expresse habetur in Scriptura et in tota traditione, ut patet exemplo magorum Pharaonis, Exod. VII et VIII; Pythonissæ Samuelem evocantis, I Reg. XXVIII, 8; pseudoprophetarum, *qui faciunt signa et prodigia,* Matthæi XXIV, 24; Simonis magi, Act. VIII, 9, etc., etc.

Nec Scriptura, nec traditio, nec Ecclesia definierunt an effectus magiæ sint reales, v. g., veri serpentes, veri mortui ad vitam revocati, an vero tantum apparentes, sive quia eædem excitantur sensationes ac si realia objecta sensibus objicerentur, sive quia dæmon ex aere vel ex alia materia phantastica efformat corpora, quæ ad voluntatem evanescunt. Probabilius videtur hos effectus esse duntaxat apparentes, quamvis ignoremus in quo constiterit hæc apparentia.

Certum tamen videtur ipsam Samuelis animam a Pythonissa fuisse evocatam cum apparentia sui corporis, siquidem Saül eum agnovit, et *dixit Samuel ad Saül : Quare inquietasti me ut suscitarer ?... Et ait Samuel : Quid interrogas me, cum Dominus recesserit a te?* I Reg. XXVIII, 15 et 16. In Eccli. XLVI, 23, legitur de Samuel : *Et post hoc dormivit, et notum fecit regi, et ostendit illi finem vitæ suæ, et exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis.* Certe hæc intelligi non

possunt de fictitia apparitione : dicendum ergo Deum voluisse hac vice ut vera Samuelis anima, cum eadem corporis apparentia ac olim, ad Pythonissæ incantationem adveniret, et veritatem Saül prænuntiaret. Seclusa autem speciali Dei concessione, dæmon non habet virtutem animas præsertim beatas sic adducendi : hoc manifeste earum beatitudini repugnat.

5° Operationes quibus magi et sagæ mira operantur, si adhibeantur verba, dicuntur *incantationes* ; ipsi vocantur *incantatores*, et sæpe in jure canonico ac Historia ecclesiastica, *sortiarii* et *sortiariæ* appellantur a *sortilegio*, voce communiter usurpata pro cunctis operationibus diabolicis.

6° Quemadmodum Christus gratiam sanctificantem quibusdam signis sensibilibus annexuit, ita et dæmones, perfida quadam imitatione, sensibilia excogitaverunt signa, quorum applicatione vel sola præsentia effectus diabolici producuntur, ut referunt P. *Le Brun*, in opere supra citato ; *Thiers, Traité des superstitions, selon l'Ecriture sainte*, 4 vol., et generatim theologi ac canonistæ. Hæc signa sæpe sunt permanentia, ut philtra amatoria, ligaturæ, stramina certo modo plicata, in terra abscondita, schedæ, quædam ex variis materiis profanis et sacris composita, etc.

7° Hoc superstitionis genus grave esse peccatum constat 1° ex Scriptura sacra, Exod. XXII, 18 : *Maleficos non patieris vivere* ; Deut. XVIII, 10 : *Nec inveniatur in te qui ariolos sciscitetur... nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat* ; 2° ex plurimis conciliis quæ *Pontas* verbo *Sorcier*, citat ; 3° ex praxi Ecclesiæ quæ has artes semper reprobavit ; 4° jure canonico in quo plura sunt capita et integræ quæstiones contra sortilegos, magos, maleficos, etc., præsertim in Decreto, 2ª part., causa 26, q. 1 et seq. ; 5° ratione, quæ omnem prohibet societatem cum dæmone.

Huic peccato sæpe alia junguntur peccata de quibus confessarius magos et sagas interrogare debet, v. g., hæresis, idololatria, apostasia, blasphemia, sacrilegium,

luxuria, damna proximi, quia inter eos alii credunt dæmonem non esse damnatum, alii illum honorant velut Deum, alii Christum et fidem divinam abnegant, baptismo renuntiant, alii ad sua sortilegia utuntur rebus sacris, sancto oleo, ipsamet sacra Eucharistia, etc.

8° Remedia contra maleficia sunt : 1° ea quæ ex medicina petuntur, v. g., usus plurium herbarum quæ, ex experientia, habent virtutem naturalem corrigendi humores ope dæmonis commotos ; 2° exorcismi Ecclesiæ, illius preces, Missæ sacrificium, aqua benedicta, reliquiæ sanctorum, signum crucis, invocatio sanctissimorum nominum Jesu et Mariæ, frequentatio sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ, etc. ; 3° alia sunt moralia in eo sita ut pactum cum dæmone initum dissolvatur, et signa magica destruantur.

9° Verum circa ultimum remedium quædam sunt observanda, scilicet : 1° non licet maleficium tollere per aliud maleficium aut per operationem magicam, quia non sunt facienda mala ut eveniant bona. Unde non licet inducere maleficum etiam paratum ad tollendum maleficium, si illud tollere nequeat nisi per diabolicam operationem, quia esset illum inducere ad peccandum : in dubio an possit illud sine novo maleficio tollere, ab hac inductione abstinendum est ob periculum peccati. Ita *Layman*, *Sanchez*, *Suarez*, *Busenbaum*, etc. 2° Facilius præsumi potest eum qui signa posuit ea sine novo maleficio destruere posse, quam eum qui non posuit : unde si hic suam operam offerat, prius examinandus erit de modo solvendi, inquit *Busenbaum*, post *Layman*, et Bonacinam. 3° Si autem maleficus modo licito maleficium tollere possit, ad id accersiri, rogari, pecunia induci et etiam cogi potest, etiam si prævideretur eum, neglecto modo licito, magica operatione usurum esse : quia tunc peccatum ipsi soli imputandum esset. Sic communiter theologi contra Cajetanum. 4° Unusquisque signa magica sibi cognita destruere potest sine periculo peccandi, dum quamlibet dæmonis operationem detestatur. 5° Cavendum ab eis qui sese ostendunt ut peritos in arte tollendi male-

ficia : vel enim ope dæmonis agunt, vel communius sunt impostores qui, ut pecuniam obtineant, effectus naturales, v. g., morbos aliasve calamitates exhibent ut maleficia, et sæpe ea his vel illis per enormem calumniam tribuunt : qui ministerio eorum temere utuntur, ad gravem injustitiam concurrunt et obligationem damnum reparandi incurrunt.

10° In veteri Lege qui consulebant ariolos, pythones, divinos, aut veritatem a mortuis quærebant, aut somnia atque auguria observabant, malefici, incantatores, etc., morte plectebantur, ex Exod. XXII, 18; Levitic. XX, 27, et Deut. XVIII, 12. In nova Lege qui tales pessimas exercent artes, excommunicationi latæ sententiæ, secundum quosdam, aut saltem ferendæ sententiæ, juxta *Suarez, Sanchez,* Lessium et alios, subjiciuntur, ex Decreto, 2ª part., causa 26, q. 5, can. 1 et seq. Clericus qui hoc fecisse deprehensus fuerit ab honore dignitatis suæ suspensus, perpetuam agat pœnitentiam in monasterio. Ibid. can. 5.

In foro autem civili omnes magici et quilibet malefici, de crimine convicti, olim ultimo plectebantur supplicio; id est, pœna in Deuteronomio lata eis applicabatur, et ordinarie pœna ignis. Si agebatur de clerico, primum tribunalia ecclesiastica de superstitionis existentia pronuntiabant; deinde judices sæculares, de pœna corporali applicanda : ubi vero accusati erant laici, judices sæculares, in Gallia, de crimine et de pœna judicabant. Si ergo pœnæ corporales quandoque fuerunt nimis graves, hoc tribui non potest Ecclesiæ, sed principibus sæcularibus et multo magis moribus tunc existentibus.

De lamiis, sagis et strigibus, vide *Concina,* l. 3 in Decalogum, dissert. 2, cap. 12, ubi plures agitat quæstiones magis curiosas quam utiles.

11° Parochi, concionatores, catechistæ et ii omnes qui munus populum christianum erudiendi habent, enumerent tantum eas superstitiones quæ notæ sunt in suis regionibus, ne alias potius edoceant quam ab eis avertant.

Punctum quintum. — *De possessione et obsessione.*

1° Constat, ex dictis in *Metaphysica,* ubi de Angelorum potentia agitur, dæmones multa posse, etiam potestate sibi naturali, quæ vires humanas superant.

2° Possessio in eo consistit ut dæmon corpori humano quodam modo uniatur, in illo et per illud extraordinaria operetur, v. g., singulares vires ei tribuat, illud assurgat, deinde projiciat vel cadere sinat sine ulla læsione accepta, occulta revelet, linguis ignotis loquatur. Si dæmon in corpore hominis residere non videatur, sed externe operatur, illud variis modis vexando, tunc adest obsessio.

3° Veras exstitisse possessiones et obsessiones negari non potest absque errore in fide; id enim constat 1° ex Scriptura sacra, I Reg. XVI, 14 : *Spiritus Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam a Domino.* Plerique Patres et interpretes putant Dominum revera misisse spiritum nequam seu dæmonem, id est permisisse ut Saulem obsideret atque vexaret. In Evangeliis multa sunt exempla possessionum vel obsessionum dæmoniorum, v. g., Marc. XVI, 9 : *Apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia;* Matth. XVII, 17 : *Et exiit dæmonium, et curatus est puer illa hora.* 2° Consensus Patrum et doctorum, constans traditio et praxis Ecclesiæ nullum in hoc puncto permittunt dubium; specialis existit ordo ad conferendam potestatem imponendi manus super energumenos et abigendi dæmones ope exorcismorum. Ergo.

4° Funditus ergo ruunt argumenta incredulorum qui possessiones in Evangelio relatas negant, vel in sensu metaphorico intelligendas esse volunt, sub prætextu quod sint impossibiles; aliter enim ratiocinamur et dicimus : Certum est illas exstitisse : ergo sunt possibiles.

Aliunde increduli, pro more suo, congerunt difficultates, quæ prima fronte rationem offendere videntur, et serius perpensæ, nullius sunt roboris; dicunt in primis : 1° putatos dæmoniacos fuisse omnes ægrotos vel infirmos;

2° sæpe, ex narratione Evangelistarum, fuisse in eis plures spiritus immundos vel etiam legionem, quod de vitiis metaphorice intelligendum est; 3° effectus dictarum possessionum fuisse valde limitatos, et ex contractione nervorum venire potuisse; 4° possessiones a multo tempore desiisse, et nunc esse inauditas, etc.

5° *Ad hæc respondemus :* 1° Ignoramus an dæmon ex potestate sibi naturali corpora humana possidere possit, an vero ex speciali Dei concessione, sicut legitur de calamitatibus in Job excitatis : in utroque casu fieri potest ut possessio morbos vel infirmitates producat, aut dæmon non nisi in corporibus tali vel tali modo dispositis operari possit; ipsius enim potestas necessario est limitata, vel ex natura ejus, sicut nostra respectu materiæ, vel ex Dei ordinatione. 2° Nihil obstat quominus plures, vel etiam multi dæmones eumdem hominem simul vexent, in illo simul quodam modo resideant et operentur, ac proinde illum simul possideant. Item homo a dæmone possessus sæpe nihilominus suis utitur facultatibus, et humanos facit actus. Qua autem ratione hæc fiant explicare non valemus, nec ideo eorum existentiam negare debemus. 3° Concedimus potestatem dæmonis in possessionibus multum esse limitatam, idque, ut diximus, vel ex ipsius natura, vel ex voluntate Dei expressa : sed negamus omnes possessionis effectus contractioni nervorum tribui posse. Numquid ex contradictione nervorum contingit ut quis occulta cognoscat et revelet, ut loquatur in lingua quam nunquam didicit, eam intelligat, etc.? 4° Deus permisit ut in primis Ecclesiæ sæculis multo frequentiora exstiterint possessionis exempla, tum ut ex miraculosa dæmonis expulsione, veritas religionis christianæ magis inclaresceret, tum quia dæmones, videntes suum imperium labefactari, potestatem suam ardentius exercere volebant. Quis autem ex his et similibus objectis concludere auderet facta possessionum in Evangelio narratarum sensu metaphorico intelligenda esse? Tota traditio ea in sensu litterali, obvio et reali semper intellexit. Præterea falsum est possessiones a multo tempore penitus

desiisse; fuerunt quidem minus frequentes post prima sæcula, sed quædam nihilominus identidem visæ sunt, et in plerisque Ritualibus reperiuntur exorcismi quibus utendum est ad expellendos spiritus immundos a possessis et obsessis; qui ritus est antiquissimus, seu potius semper exstitit in Ecclesia latina, ut videre est apud P. *Martène*, t. II, p. 970 et seq., et fuit olim usitatus apud Græcos, qui primitus habebant exorcistas sicut et nos, ut ostendit P. *Goar*.

6° Sæpe valde difficile est veram dæmonis possessionem aut vexationem secernere a morbis ex nervorum contractione vel ex imaginationis vitiatæ deliramento provenientibus. Quædam tamen sunt signa omnino certa, ut, v. g., si vexatus pareat mandato interius a dæmone facto, vel exterius, sed in lingua ipsi prorsus ignota; aut si faciat actus naturæ evidenter repugnantes, puta, si, pedibus sursum erectis, ad laquear domus elevetur, et ibi ad nutum imperantis maneat suspensus; si secreta quæ naturaliter cognosci nequeunt, clare et distincte aperiat; si lingua sibi ignota recte loquatur, etiamsi aliis diebus vel momentis hanc linguam intelligere non videatur, aut male loquatur; secreta revelare tentando mentiatur : possessio enim non semper est continua, et insuper dæmonis interest ut mentiatur atque nos decipiat. Alia signa etiam extraordinaria communiter sunt saltem æquivoca : forte dæmonis possessio vel obsessio existit, sed non constat.

7° *Notandum* dæmones variis modis vexare et possidere posse, Deo ita permittente, homines justos et virtutibus insignes, ut patet exemplo patientissimi Job, duorum sanctissimorum virorum quos memorat P. *Martène*, loco citato, post Sulpitium Severum et Cassianum, et aliorum. Nihil ergo ex consueta agendi ratione vexati concludere licet pro veritate aut falsitate possessionis, et energumeni qui tranquilla habent intervalla ad Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta admitti possunt.

8° Sicut maleficiati quandoque remediis naturalibus sanantur, ita et a dæmone vexati sic liberari possunt,

quando scilicet expelluntur vel sanantur humores vitiati quibus utebatur diabolus. Cura igitur medicorum non est negligenda.

9° Sed consuetum et efficacius remedium contra veram possessionem vel obssessionem est exorcismus qui fit nomine Ecclesiæ et a ministro ad id specialiter deputato. Olim exorcistæ virtute suæ ordinationis ad exorcizandos energumenos procedere valebant : nunc illud officium reservatur sacerdotibus qui ab episcopo pro singulis casibus committi debent; et ita fuit statutum ne morbi naturales, pro diabolicis operationibus sumpti, exorcismis frustra subjicerentur, in confusionem Ecclesiæ.

Prius ergo episcopus judicare debet, ex signis per se vel per alios sedulo observatis, an vera existat possessio vel non, et, possessione vel obsessione agnita, ad exorcismum ipse procedere, vel alium ad id deputare, et ordinem exorcismi vel orationes pronuntiandas determinare poterit.

In dubio de realitate possessionis vel obsessionis, illicitum non esset uti exorcismis, annuente episcopo; sed cavendum est ne scandalum aut Ecclesiæ contemptus inde nascatur.

10° Exorcismi non producunt effectus suos ex opere operato, ut sacramenta, sed tantum ex opere operantis scilicet ministri ad hoc munus deputati et Ecclesiæ cujus nomine agit; sanctiores igitur, quantum fieri potest, committendi sunt sacerdotes ad hoc officium explendum, et ipsi, præmissis confessione sacramentali, jejuniis et orationibus, cum firma fide, summa humilitate, patientia et constantia procedere debent : postulantibus enim discipulis, cum viderent hominem male habentem subito a dæmone liberatum : *Quare nos non potuimus ejicere illum? dixit illis Jesus : Propter incredulitatem vestram... hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem et jejunium.* Sæpe dæmones, primis exorcismis insensibiles, perseverantiæ exorcizantis resistere nequeunt et tandem exeunt. Unde P. *Surin*, pietate et doctrina conspicuus, diu exorcizavit Joannam de Angelis, priorissam monialium ordi-

nis Sanctæ Ursulæ Juliodunensium (*de Loudun*)[1] anno 1624; et D. *de La Cour*[2], missionarius Apostolicus, juvenem Cochinchinensem de quo ipse fuse loquitur in epistola ad doctorem medicum nomine *Winslow*, die 25 nov. 1738.

[1] Les possessions des religieuses de Loudun, attribuées à Urbain Grandier, originaire de Bouère, diocèse du Mans, curé de cette ville, et condamné, le 18 août 1634, à être brûlé vif comme sorcier, ont fait un très-grand bruit et ont été jugées diversement. Les protestants, les philosophes et les incrédules en masse ont prétendu que ces possessions n'avaient rien de réel; qu'elles n'étaient que des impostures dirigées par Laubardemont, officier de la cour de Louis XIII, à l'instigation de Richelieu, pour perdre Grandier. Beaucoup d'autres soutiennent qu'une telle supposition est absurde: 1° parce qu'il n'est pas possible que Richelieu ait eu recours à de semblables moyens pour perdre un prêtre obscur qui ne pouvait lui faire ni bien ni mal; 2° qu'en supposant qu'il eût intérêt à le perdre, il n'aurait pas manqué de moyens plus simples et plus faciles que celui-là; 3° qu'il est impossible que tant de personnes estimables et craignant Dieu soient entrées dans un complot aussi infernal, sans qu'aucune se soit démentie; 4° qu'au moins cet abominable manége n'aurait pas continué après le cruel supplice de Grandier, et cependant les exorcismes sur les religieuses continuèrent longtemps après; 5° que le P. Surin, homme pieux et instruit, envoyé à Loudun après la mort de Grandier seulement, ayant tout vu par lui-même, et exorcisé pendant longtemps la mère prieure, est plus digne de foi que des étrangers qui jugent seulement d'après leurs idées: or, il a laissé un *Abrégé de la véritable histoire de la possession de Loudun*, qui a été imprimé depuis peu, où il détaille et soutient la vérité des faits; 6° que des hommes distingués, entre autres M. de Queriolet, conseiller au parlement de Rennes, milord Montaigu et un jeune avocat, étant allés voir eux-mêmes les faits par curiosité, en furent tellement frappés, qu'ils se convertirent de la manière la plus éclatante.

[2] M. de la Cour dit, dans la lettre que Collet rapporte textuellement à la fin de son *Traité de la Religion*, t. II de la petite Théologie, p. 452, édit. de 1782, que ce jeune Cochinchinois, âgé de 18 à 19 ans, avait été possédé à la suite d'une communion indigne, comme il l'avoua plus tard. Averti par les Chrétiens de l'état où était ce jeune homme, il alla le trouver, lui parla en latin, ayant l'entière certitude qu'il ne pouvait avoir aucune notion de cette langue; le jeune homme répondit de suite: *Ego nescio loqui latine.* Ne doutant point qu'il ne fût possédé, il ordonna au démon de le jeter par terre, ce qu'il fit sur-le-champ; il lui ordonna de l'élever au plancher, et aussitôt le jeune homme fut traîné à la vue de tout

Circa possessiones dæmonum legi potest dissertatio *Rondet*, quæ est in Biblia dicta *de Vence*, in-4°, t. XIII, p. 293.

Sectio secunda. — De irreligiositate.

Peccata irreligiositatis vel tendunt directe ad irreverentiam Dei, et sunt tentatio Dei, perjurium et blasphemia : vel tendunt directe ad irreverentiam rerum sacrarum, et sunt sacrilegium et simonia. De perjurio et blasphemia dicemus sub secundo præcepto. Hic ergo nobis dicendum est de tentatione Dei, sacrilegio et simonia.

Punctum primum. — *De tentatione Dei.*

1° Tentare in genere idem est ac rem vel personam aliquam explorare seu experimentum de ea sumere. Sic quandoque Deus tentat homines, volens de illis experimentum sumere, ut innotescat quid in hac vel in illa virtute possint aut non possint : eo sensu tentavit Abraham ut firmitas ejus fidei omnibus appareret, Job et Tobiam ut omnes patientiam eorum noscerent.

2° Tentatio autem Dei est dictum vel factum quo quis explorat num Deus sit potens, sapiens, misericors aliamve perfectionem habeat : et duplex est, una formalis et altera implicita. Est formalis quando quis, de aliqua veritate

le monde, à travers l'église et le long d'un pilier, les pieds en haut, et collé au plancher, la tête en bas. Au bout d'une demi-heure, il lui commanda de le rendre à ses pieds, sans lui faire de mal ; à l'instant le démon le jeta, *comme un paquet de linge sale, sans l'incommoder.*

Il fit les exorcismes d'abord pendant huit ou dix jours sans obtenir de succès : il profita de certains moments de calme pour le confesser, l'exciter à la contrition, l'absoudre et le faire communier ; puis recommença les exorcismes et les continua pendant plus d'un mois. Enfin il se trouva soulagé, les vexations diminuaient peu à peu ; il finit par être entièrement guéri et devint un excellent Chrétien.

Ce missionnaire, que Collet dit avoir particulièrement connu et mériter toute sa confiance, rapporte ces faits comme étant arrivés sous ses yeux. On ne se trompe pas sur des faits de cette nature.

divina dubitans, petit miraculum quo Deus eam manifestet; v. g., si de veritate præsentiæ realis in Eucharistia dubitet, et petat ut Christus appareat visibilis; si ex turri se præcipitet, ut experiatur an Deus velit eum servare. Implicita ea est qua quis non expresse sibi proponit Deum tentare, sed id tamen facit quod ex natura sua est tentatio ejus; v. g., si temere se objiciat periculo ex quo non nisi miraculose eripi possit; si in morbo periculoso remedia naturalia omittat, sperans a Deo sanitatem; si clericus, extra casum necessitatis, concionari velit absque convenienti præparatione, auxilio Dei confidens, etc.

3° Certum est tentationem Dei formalem peccatum esse mortale, quia, cum dubitationem de perfectionibus Dei includat, in gravem ipsius contemptum redundat. Ita Lessius, *Sanchez, Suarez, Busenbaum*, etc.

4° Quoniam vero tentatio implicita nullam includit dubitationem de perfectionibus Dei, non est illi adeo injuriosa, et sæpe est solum peccatum veniale, ob ignorantiam, inadvertentiam, defectum consensus aut parvitatem periculi; imo si justa adsit causa, v. g., Dei inspiratio, aliqua necessitas aut Ecclesiæ utilitas, nullum erit peccatum. Sic, cum pluribus aliis, *Busenbaum*, etc., S. Ligorius, etc.

5° Communiter docetur contra quosdam, tentationem Dei explicitam, sine tamen dubitatione, non admittere parvitatem materiæ, ac proinde eum qui sola curiositatis causa petit miraculum, ut aliquid extraordinarium videat, graviter peccare, nisi ratione ignorantiæ aut indeliberationis excusetur; gravis est enim irreverentia erga Deum. Ita *Sanchez, Suarez*, S. Ligorius et alii contra Cajetanum, Lessium, *Busenbaum*, etc.

6° Quidam volunt eum qui in levi infirmitate, remediis naturalibus neglectis, sanitatem a Deo exspectat, graviter peccare; sed S. Ligorius, cum aliis pluribus, huic sententiæ omnino repugnat, et culpam venialem tantum hic admittit, dicens in hoc gravem non existere deordinationem, quia miraculum non petit curiositatis causa: addit se putare aliquando nullum esse peccatum,

si nempe is homo speret fore ut sine remediis naturalibus, Deo adjuvante, liberandus sit.

7° Si vero materia sit gravis, v. g., si quis graviter ægrotans ad medicum non confugiat, aut remedia ejus contemnat vel negligat; si gravi periculo cadendi, immergendi, etc., absque necessitate se immittat, licet Dei potentiam vel misericordiam explorare non intendat, graviter peccat, quia vel nocumentum sibi vult inferre, et contra quintum præceptum peccat; vel sperat se Deo adjuvante salvum fore, et illum injuriose tentat.

8° Petere a Deo auxilium gratiæ extraordinarium ad magnam difficultatem spiritualem aut corporalem superandam, ad convertendum peccatorem, ad felicem alicujus negotii exitum, etc., non reputatur tentatio Dei, sed potius est actus eum honorans. Item, communiter fatentur auctores licitum esse petere a Deo miraculum, ex ipsius inspiratione, ut plures fecerunt Sancti, et ad magnam Ecclesiæ vel etiam propriæ aut aliorum salutis utilitatem, modo petitio non sit absoluta, sed divinæ voluntati subordinata.

9° At miraculum absolute petere aut offerre non licet ad convertendum hæreticum vel alium insignem peccatorem, quia fidei nostræ testimonia auxilio gratiæ juncta sufficiunt. Si tamen aliquando firmissima sit spes conversionis, miraculum humiliter peti potest a Deo, sub conditione si ei placuerit. Ita, cum aliis, S. Ligorius, l. 3, n. 31.

10° Qui absque justa causa periculo mortis vel mutilationis ad perferendum martyrium se exponunt, graviter peccant, nisi bona fides aut divina inspiratio eos excuset, ut de pluribus sanctis confitendum est. Si vero legitima esset causa, v. g., ne fides aut salus multorum alias periclitetur, ad vitandas blasphemias, ad exaltandam fidem, ad procurandam Dei gloriam, martyrio se offerre licet. Ita S. Th. 2 2, q. 124, art. 1, ad 3; S. Ligorius, l. 3, n. 32, etc.

De probationibus olim usitatis, quæ vocabantur judicia Dei.

1° Ut in accusationibus veritas a falso secerneretur, quando sufficientes deficiebant testes, varia olim instituta fuerant experimenta quibus subjiciebatur accusatus : si evadebat illæsus, judicabatur innocens; secus, reputabatur reus, quia communis opinio erat Deum teneri causam innocentis in se sperantis per miraculum defendere.

2° Præcipuæ illæ probationes erant : 1° juramentum super illustrium Sanctorum tumulis, v. g., S. Martini, S. Germani, SS. Dyonisii et sociorum, præstitutum S. Aug. remisit Bonifacium presbyterum crimine pessimo accusatum, sed non convictum, ad tumulum S. Felicis Nolensis, ut per juramentum se purgaret, credens illum divinitus esse puniendum si perjurus esset, Epist. 78. 2° Sumptio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi. Sic in concilio Wormatiensi, anno 868 celebrato, statuitur ut monachi de furto suspecti pro purgatione sua corpus et sanguinem Domini reciperent. 3° Crucis et Evangelii impositio in caput accusati qui testari debebat per viventem in sæcula, cujus patibulum est crux, sese immunem esse a peccato hujusmodi. 4° Judicium ignis, in eo consistens ut accusatus ferrum candens aut carbones teneret et ferret, in aquam calidam manum immitteret, vel inter rogos incensos transiret; qui usus, ut refert P. *Martène*, t. II, p. 928, Hincmaro est longe antiquior. Sic S. Brixius, Turonensis episcopus, anno 444 defunctus, de peccato luxuriæ accusatus, prunas ardentes in birro usque ad sepulcrum S. Martini, una cum populorum turbis, portavit, et dixit, referente Greg. Turon., l. 2, cap. 1 : « Sicut istud vestimentum ab ignibus vide» tis illæsum, ita corpus meum a mulieris coitu est im» pollutum. » Sic imperatrix Cunegunda vomeres candentes, ingemens ex necessitate in qua erat constituta et Deum suæ innocentiæ testem invocans, nudo vestigio calcavit, et sine adustionis molestia secura pertransiit. Sic monachus Vallis Umbrosæ inter duos rogos accensos

transiit illæsus, anno 1067, ad probandnm quod Petrus, episcopus Florentinus, esset simoniacus; *Fleury*, l. 61, n. 27. 5° Immersio in aquam frigidam; qui super aqua manebant, reputabantur rei; *Fleury*, l. 47, n. 30. 6° Ubi agebatur de terminandis litibus, contendentes in singulari prælio decertare tenebantur, et victor jus obtinebat; vel ambo stabant brachiis extensis in forma crucis; dum divinum celebrabatur officium, et qui primus ex aliqua parte movebatur, causa cadebat : hæc probatio dicebatur judicium crucis.

3° Ante singula probationum genera solemnes fiebant preces, benedictiones et Missarum celebrationes, ut videre est apud *Martène*, qui viginti ordines diversos refert, t. II, p. 930 et seq.

4° Nihilominus constat apud omnes hujusmodi probationes in se graviter esse illicitas; nam 1° pertinent ad divinationem, quatenus ad cognoscendum occultum ordinantur; 2° ad tentationem Dei, siquidem miraculum ab eo sine necessitate petebatur; ubi crimen viis naturalibus cognosci non potest, relinquendum est judicio Dei secreta cordium scrutantis; 3° ab Ecclesia fuerunt reprobatæ, et Stephanus V sic habet in Decreti 2ª parte, causa 2, q. 5, can. 20 : « Ferri candentis vel aquæ ferventis examina- » tione confessionem extorqueri a quolibet sacri non cen- » sent canones. »

5° Si ergo quidam Sancti, ut S. Brixius, sancta Cunegunda, monachus Vallis Umbrosæ, suam innocentiam aut veritatem allegatam tali judicio miraculose probaverint, dicendum est eos ex speciali Dei instinctu sic egisse, aut Deum eorum fide vel necessitate in qua erant inculpabiliter constituti commotum, eos a tali periculo eripere voluisse, sicut olim Danielem suscitavit ad liberandam Susannam.

6° Probatio autem per aquas amaras, cui mulier de adulterio suspecta subjiciebatur in veteri Lege ex Numer. v, 12 et seq., in nova Lege non existit, nec allegari potest ad ostendendum alias probationes quas Deus non instituit esse licitas.

Punctum secundum. — *De sacrilegio.*

1° Sacrilegium in genere definitur : *Violatio rei sacræ,* vel rei sacræ indigna tractatio. De sacrilegio, quatenus est peccatum luxuriæ, in speciali dissertatione circa sextum præceptum agimus : nunc igitur nobis agendum est de sacrilegio aliter spectato.

2° Nomine autem rei sacræ intelliguntur persona Deo consecrata per votum aut sacri Ordinis susceptionem, locus divino cultui vel sepulturæ ecclesiasticæ destinatus, et quælibet objecta a personis et locis sacris distincta quæ divino cultui consecrantur, vel ab Ecclesia sanctificantur, ut vasa, linteamina, reliquiæ, sacræ imagines, etc.

3° Non est dubium quin violatio rei sacræ sit peccatum ; nam sancta sancte tractanda sunt. Illud peccatum ex genere suo mortale est, quia Deo infert injuriam. Potest tamen fieri veniale defectu advertentiæ, consensus, aut propter materiæ levitatem, v. g., si unus assis in ecclesia subripiatur.

4° Omissis iis quæ circa modos hoc peccatum committendi in citata dissertatione diximus, quædam tantum subjungemus de sacrilegio personali, locali et reali.

Sacrilegium personale locum habet quando persona Deo consecrata violatur vel peccat, quatenus est consecrata, v. g., si post votum castitatis emissum aliquid turpe dicat aut faciat, aut personam sacram ad id inducat ; si clericus in sacris constitutus, monachus aut monialis percutiatur, adest etiam sacrilegium personale, propter legem Ecclesiæ id prohibentis : secus si ipse perjuret, si detrahat, furetur, occidat, etc. Olim trahere clericum ad tribunal sæculare, tributa ei imponere, erat sacrilegium personale, propter privilegium ecclesiasticum tunc existens.

Sacrilegium locale est omnis actus quo ecclesia, capella ad divinum cultum in perpetuum destinata, vel cœmeterium polluitur, vel aliquo modo profanatur. Causas pollutionis vide in Tractatu *de Eucharistia,* 2ª parte.

Ad eam speciem referuntur 1° omnia quæ specialem

habent cum loci sanctitate aut cum divino cultu repugnantiam, sive ex natura sua, sive ex prohibitione Ecclesiæ, quamvis locum, juxta sacrorum canonum dispositiones, non polluant, aut notorietas aliave conditio desit, ut effractio, spoliatio, incendium loci sacri, eversio altaris ; 2° furtum in loco sacro etiam rei non sacræ, idque vi legis ecclesiasticæ sic se habentis, in Decreti 2ª parte, causa 17, q. 1, can. 21 : « Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, » sive sacrum de non sacro; » 3° conclamationes, deambulationes, mercatus, judiciorum sæcularium strepitus in ædificio sacro; non vero actus ad ipsam ecclesiam spectantes, v. g., scamnorum aliorumque sedium locatio; nec conventus sæculares, ubi rationabilis subest causa et accedit episcopi licentia; sed tunc sacræ species in alium locum decentem transferendæ sunt. S. Ligorius dicit, n. 37, aliquam moderatam deambulationem in ecclesia aut privatam comestionem, etiam sine necessitate, non esse culpam gravem si absit scandalum. 4° Sacra Rituum Congr. per decretum 30 aug. 1701, a Clemente XI die 3 octobr. ejusdem anni approbatum, declaravit « non licere cuicumque, personis regalibus tantum exceptis, ad ecclesias strata sibi deferri facere; secus cessandum immediate a divinis. Quod nisi servetur, rectores cæterosque ministros ipso facto excommunicationem incurrere, eamque ecclesiam esse pro interdicta. » *Ferraris,* v° *Ecclesia,* art. 3, n. 25 et 29.

Sacrilegium reale est indigna objecti sacri, a personis et locis distincti, tractatio, v. g., 1° sacramentorum invalida confectio, administratio aut susceptio cum peccato mortali; 2° vasorum et instrumentorum sacrorum profanatio; ut calice uti in convivio, ornamenta benedicta ad usus profanos applicare; non vero ornamenta non benedicta, ut ecclesiæ tapetes, candelabra, pelvim et alia quæ mediate tantum divino cultui serviunt, nisi ex contemptu saltem implicito id fiat, ut si semper vel indifferenter ea sic applicarentur : ita *Busenbaum,* citans Tamburinum; idem affirmat dicendum de candelis, ramis, aqua, incenso

et similibus benedictis, quia in modicis benedictionibus istis non agitur cum tanto rigore ab Ecclesia, ut patet in pane, ligno, carbonibus benedictis, etc.; 3° indigna sacrarum imaginum et reliquiarum tractatio : 4° Scripturæ sacræ abusus, ad stabiliendos errores, ad exprimendas res turpes, verba ejus *ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones... divinationes, sortes, libellos famosos*, etc., detorquere, ut ait Concil. Trid., sessione 4, in fine : fragmenta autem librorum in quibus verba sacra inscribuntur, ad profanos usus adhibere sine contemptu, non est sacræ Scripturæ profanatio nec proinde sacrilegium; 5° bonorum Ecclesiæ invasio vel ablatio, piorum legatorum suppressio, et jurium Ecclesiæ defraudatio. 6° Fragmenta vestium sacrarum in usus profanos non sunt convertenda, sed comburenda, ut in Tractatu *de Eucharistia*, 2ª parte, diximus. 7° Furtum reliquiæ etiam parvæ grave est sacrilegium, nisi præsumatur dominum non fore valde contristatum. Ita plures apud S. Ligorium, lib. 3, n. 45. 8° Qui tenetur ex officio curare ut vasa sacra, corporalia aliaque similia sint munda et bene ordinata, sacrilegii fit reus si ea relinquat immunda. 9° Quidam dicunt omne peccatum die Dominica vel festiva commissum, malitiam sacrilegii ex circumstantia diei contrahere : sed alii communius negant, nisi notabilis irreverentia cultui divino irrogetur; ut si quis die sexta Majoris hebdomadæ exhiberet comœdias, indicaret saltationem, etc. Sic cum aliis multis S. Ligorius, l. 3, n. 46.

5° Exprimenda est in confessione species sacrilegii, an sit personale, locale, vel reale, et ejus materia; quia ex circumstantiis personæ, loci et objecti sæpe nova additur malitia, vel augetur, et sic qualitas aut gravitas peccati dignoscitur.

Punctum tertium. — *De simonia.*

Simoniæ nomen ortum habet a Simone Mago, qui videns Apostolos manus imponentes et Spiritum sanctum

conferentes mirabilem hanc virtutem vili pecuniæ pretio emere voluit. Hoc vitium diu antea tamen existit, siquidem videmus in Scriptura sacra Balaam a rege Balac conductum ad maledicendum populo Israel, Num. XXII, 7; Giezi famulum Elisei talentum argenti et vestes mutatorias petentem a Naaman pro sanitate divinitus recuperata, IV Reg. V, 22; Jasonem multa talenta offerentem regi Antiocho pro summo sacerdotio, II Mach. IV, 8; Judam Christum vendentem, etc.

Breviter dicturi sumus 1° de definitione, divisione et malitia simoniæ; 2° de variis modis quibus committi potest simonia; 3° de causis ab ea excusantibus; 4° de pœnis contra simoniacos decretis; 5° de obligatione restituendi ex simonia nascente; 6° parvam de beneficiis appendicem subjungemus.

1° *De definitione et divisione simoniæ.*

1° Simonia communiter definitur, cum S. Thoma, 2 2, q. 100, art. 1 : *Studiosa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale vel spirituali annexum.*

Dicitur 1° *studiosa voluntas,* quia nullum potest esse peccatum sine actu directo vel indirecto voluntatis liberæ seu studiosæ.

Dicitur 2° *emendi vel vendendi ;* quibus verbis intelligitur omnis contractus non gratuitus, sive sit nominatus, sive non nominatus, v. g., do ut des, facio ut facias.

Dicitur 3° *pretio temporali,* id est pecunia aliave qualibet re pretio æstimabili. Triplex hujusmodi pretium distinguitur, scilicet munus a manu, munus ab obsequio et munus a lingua. Munus a manu est quælibet res mobilis vel immobilis pretio æstimabilis et indebita; munus ab obsequio est quodvis ministerium indebitum in rebus temporalibus, et præstitum vel præstandum, ut si episcopus conferat canonicatum clerico quia gessit vel gesturus est ejus negotia; munus a lingua, per quod intelliguntur laudes, favores, intercessiones, preces et alia

similia, ut si des alicui pecuniam ut te coram episcopo laudet, pro te intercedat, etc.

Dicitur 4° *aliquid spirituale,* id est, res vel actio sacra ad cultum Dei vel animæ salutem ordinata, ut gratia, virtutes, oratio, sacramenta, aut alio modo supernaturalis, ut omnes actus jurisdictionis ecclesiasticæ, sanatio miraculosa, etc.

Dicitur 5° *vel ei annexum,* id est quod ad spirituale ordinatur, vel ab illo pendet, vel ei conjungitur, ut jus ad officium ecclesiasticum præsentandi, labor administrationi sacramentorum necessarius, proventus beneficii.

2° Simonia quam modo definivimus est juris divini naturalis et positivi : prohibetur quia mala est in se, ut emptio vel venditio etiam virtualis vel implicita rei sacræ qua talis, v. g., hostiæ consecratæ, sancti chrismatis, sacramenti, reliquiæ, etc. Alia est simonia juris ecclesiastici, et est quælibet pactio etiam implicita, circa spiritualia aut annexa spiritualibus, a lege ecclesiastica intuitu religionis prohibita. Pactio hujusmodi malitiam simoniæ non habet ex natura sua, sed tantum ob Ecclesiæ prohibitionem intuitu reverentiæ erga res sacras factam. Lex enim habet vim efficiendi ut ipsius objectum sit materia illius virtutis ex cujus motivo fertur, inquit P. *Antoine :* sic communio a non jejuno facta est sacrilegium, quia Ecclesia, ex motivo reverentiæ, vetuit sumptionem cujuslibet rei ante communionem. Unde, v. g., Ecclesia prohibens permutationem beneficiorum ob periculum simoniæ, et sub pœnis in veros simoniacos latis, efficit ut hæc permutatio, privata auctoritate facta, ad simoniam pertineat.

Simonia in genere dividitur in mentalem, in conventionalem, in realem et in confidentialem. Simonia mentalis, ut ordinarie accipitur, non est tantum propositum internum aliquid spirituale aut spirituali annexum pro temporali vel aliter contra Ecclesiæ legem dandi aut accipiendi, sed actio externa facta ex intentione simoniaca exterius non apparente, v. g., si quis obsequiose serviat

episcopo *principaliter* ex intentione canonicatum vel alium titulum ecclesiasticum obtinendi.

Simonia conventionalis ea est quæ fit cum externa conventione expressa vel tacita dandi vel accipiendi quidquam spirituale aut spirituali annexum pro temporali, aut aliter contra Ecclesiæ legem. Potest esse pure conventionalis, si nempe, pactione facta, nihil traditum fuerit; et semirealis, si videlicet ex una parte tantum objectum promissum, sive spirituale pro temporali, sive temporale pro spirituali traditum fuerit.

Simonia dicitur realis quando ex utraque parte est completa per reciprocam traditionem, saltem inchoatam, spiritualis aut spirituali annexi, pro temporali aut aliter, contra Ecclesiæ prohibitionem.

Simonia confidentialis in eo consistit, ut quis postulatione, commendatione vel alia ratione, alteri procuret beneficium, v. g., episcopatum, canonicatum, parochi officium, cum pacto ut titularis pensionem vel aliquos fructus ex eo procuranti vel aliæ personæ præstet, aut ipsum beneficium ad talem personam transmittendum curet, demissione in tempore opportuno, rogatione aut alia via. Dicitur confidentialis, quia procurator bonæ fidei secum pactizantis confidit.

3° Simonia est peccatum religioni oppositum et gravissimum, idque patet 1° ex Scriptura sacra, nempe ex verbis Christi ad Apostolos, Matth. x, 8 : *Gratis accepistis, gratis date;* et ex verbis B. Petri ad Simonem Magum respondentis, Act. VIII, 20, 23 : *Pecunia tua tecum sit in perditionem... in felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse.* Hæc verba grandem evidenter significant iniquitatem ; 2° ex jure canonico ; multa enim citari possent concilia, multa summorum Pontificum decreta, et in primis Decret. 2ª part., causa 1, q. 1, can. 5, 7, 21 et 27, ubi dicitur simoniam esse « piaculare flagitium, » exsecrabile flagitium ; simoniacos comparandos esse » Judæ proditori, qui Judæis Dei occisoribus Christum » vendidit, et omnia crimina ad comparationem simoniacæ » hæresis quasi pro nihilo reputari ; » 3° ratione ; sola

quippe natura dictat summum esse malum res spirituales, de liberali manu Dei pendentes, omnes temporalia incomparabiliter superantes, arbitrio hominum ac æstimationi eo modo subjicere. Ergo.

4° *Notandum* simoniam juris humani seu ecclesiastici per legitimam summi Pontificis dispensationem tolli posse ; nam summus Pontifex a lege ecclesiastica dispensare potest : at, lege sublata, tollitur objectum simoniæ juris ecclesiastici. Verum malitia simoniæ juris naturalis et divini nulla dispensatione aut concessione tolli potest, quia in natura rerum fundatur. Nec in ea datur par vitas materiæ ; quantumvis enim parva sit res spiritualis quæ venditur aut emitur, gravis injuria Deo infertur.

Vix etiam concipi potest quod in simonia juris ecclesiastici dari possit materiæ parvitas. Attamen quidam affirmant ut probabile, et rationem afferunt quod in ea simonia non accipiatur temporale tanquam rei spiritualis pretium, sed contra Ecclesiæ prohibitionem : peccatum igitur est directe contra Ecclesiæ præceptum, in quo dari potest materiæ parvitas.

2° *De variis modis quibus simonia juris naturalis seu divini committi potest.*

Est simonia juris divini, naturalis et positivi in sequentibus casibus :

1° Dare vel accipere pecuniam aut quid pretio æstimabile tanquam pretium sacramentorum, sacramentalium, sacrarum reliquiarum pro quavis potestate spirituali, ordinis vel jurisdictionis, pro aliquo ejus actu, pro usu gratiarum gratis datarum, v. g., pro applicanda indulgentia crucifixis, coronis deprecatoriis, pro precibus, divinis officiis, Missa celebranda, pro concione pronuntianda et etiam præparanda, pro catechismo aliave functione spirituali : nam hæc omnia ad finem supernaturalem ordinantur : pretio igitur æstimari non possunt quin vilescant et gravis injuria Deo inferatur. Contra vero

pretium statuere, dare, aut accipere pro docenda theologia, explicanda Scriptura sacra, non est simonia, quia hæc ad finem supernaturalem non primario ordinantur.

2° Aliquid pretio æstimabile dare aut accipere pro beneficio ecclesiastico, ut canonicatu vel parochi titulo ; vel pro officio spirituali cui annexum est temporale, v. g., pro officio vicarii generalis, capellani in collegio vel in monasterio, etc. ; nam beneficia et illa temporalia ad obeunda munia ecclesiastica sunt constituta, ut ait Bonifacius VIII, in Sexto Decret. tit. 4, c. ultimo, et conc. Trid., sess. 21, de Reform. c. 3 : ergo is solus habet jus ad illa percipienda, cui committitur potestas officium spirituale exercendi. Unde episcopus tale beneficium vel officium alteri determinato conferre non tenetur; verum si conferat, gratis conferre obligatur. Si objiciatur calicem consecratum vendi posse ratione materiæ, respondetur admitti non posse paritatem, quia calix suum habet valorem independenter a consecratione et ante consecrationem, beneficium vero aliudve temporale emolumentum pro officio spirituali constitutum, ab ipso spirituali officio separari non potest. Unde facile concipitur quod in venditione calicis solum temporale sit objectum contractus; non autem videtur quomodo, vendito beneficio vel jure ad temporale emolumentum, non ipsum venderetur spirituale. Ergo.

3° Quælibet transactio in spiritualibus rebus vel in beneficiis pro aliquo temporali pretio facta, v. g., pensio alimentaria, quædam munera, obsequia, oblectamenta stipulata et vi conventionis debita, aut etiam quæ collationis vel acceptationis beneficii aut spiritualis officii vel objecti fuissent motiva. Patet ex dictis; tunc enim datur temporale pro spirituali.

4° Aliquid dare vel exigere tanquam pretium admissionis unius personæ ad ingressum monasterii, ad induendum novitiatus habitum, ad emittenda vota ; quia hæc sunt spiritualia, quæ pro temporali commutarentur. Nec aliquid exigere, dare aut accipere liceret titulo susten-

tationis, si monasterium sufficientia possideret bona; nam, ex mente fundatorum et Ecclesiæ constitutione, jus ex bonis monasterii vivendi annexum est professioni religiosæ, sicut jus percipiendi fructus beneficii annexum est officio spirituali.

5° Post collatum spirituale aut spirituali annexum, aliquid, sine antecedente pacto, exigere, dare aut accipere, ut pretium, mercedem vel compensationem; nam ipso facto spirituale pretio temporali æstimatur. Unde SS. Patres, et jus canonicum, Decretal. l. 4, tit. 3, cap. 39, actionem Giezi pecuniam pro curatione lepræ miraculose facta petentis arguunt simoniæ.

6° Aliquid dare vel accipere pro locatione rei sacræ: nam res sacra sic locata, vel ad usum sacrum adhiberetur, et tunc daretur spirituale pro temporali: vel ad usum profanum, et ejus sanctitas violaretur.

7° Aliquid exigere, dare aut accipere pro labore ad exercendam functionem sacram necessario et intrinseco, v. g., pro tempore requisito, pro fatigatione subeunda in cantando, concionando, ad ægrotum eundo ut sacramenta ei conferantur, etc.; nam hujusmodi labor vendi non potest, quin res spiritualis, cui necessario annectitur, vendi censeatur. Idem dicendum est de actionibus ad functionem sacram necessario prærequisitis, puta de paratione et studio ad concionem.

8° Dare vel accipere pretium pro absolutione a peccatis vel a censuris, pro dispensatione in voto, juramento, impedimento matrimonii, proclamatione bannorum, irregularitate, etc.; reipsa enim daretur temporale pro spirituali. Item omissio spiritualis officii pro temporali dato vel promisso, est simoniaca, quia tunc judicatur esse quidam potestatis spiritualis usus ob pretium determinatus. Vide S. Ligorium, l. 3, n. 97.

9° Beneficium vel officium ecclesiasticum dare vel procurare consanguineo, affini vel amico, propter carnalem vel naturalem affectionem, peccatum quidem esset, propter recti ordinis inversionem; sed non foret simonia, quia nihil temporale pro spirituali traditur nec promittitur;

at si conferens vel procurans speraret fore ut inde fieret honoratior, potentior, opulentior, vel ut familia ejus evaderet beatior, etc., simonia esset, siquidem aliquid pretio æstimabile pro spirituali acquireretur.

10° Temporale pro spirituali promittere sine animo præstandi est gravis deceptio, et ad simoniam mentalem alterius cooperatio. Si quis officium spirituale pro temporali promisso intendat obtinere, est simonia saltem mentalis. Item suscipere ordines principaliter ob emolumenta temporalia quæ sperantur.

3° *De modis quibus simonia juris ecclesiastici committitur.*

Sæpe in eodem actu invenitur simonia juris divini et simonia juris humani, quia Ecclesia ex motivo reverentiæ prohibet actus jure divino naturali et positivo jam prohibitos. In sequentibus autem casibus est simonia tantum juris humani :

1° Beneficia commutare sine auctoritate prælati, nullo interveniente pretio : si interveniret pretium, esset simonia juris divini, ut supra diximus; non interveniente pretio, non datur spirituale pro temporali, ac proinde non est simonia, nisi propter Ecclesiæ prohibitionem in Decretal. l. 8, tit. 10, cap. 5, contentam. Unde, ex eodem capite, accedente episcopi consensu, permutatio fieri potest.

2° Beneficia resignare cum pacto ut resignatarius suum beneficium tertio cedat, vel cum confidentia accessus aut regressus quæ in Gallia locum nunc habere non possunt. Concil. Trid., sess. 24, de Reform. cap. 7.

3° Aliquid dare vel accipere, non pro ipso examine, quod esset simonia juris divini, sed occasione examinis ad curam pastoralem, v. g., quando parochi nominantur in concursu, ex concil. Trid. sess. 24, de Reform. cap. 18.

4° Aliquid accipere etiam sponte oblatum occasione collationis Ordinum vel litterarum ordinationis, juxta dispositionem concil. Trid., sess. 21, de Reform. cap. 1. In quibusdam locis tamen aliquid exiguum accipi solet, ab

episcopi secretario, occasione litterarum ordinationis. Dicimus *occasione collationis Ordinum vel litterarum ordinationis;* si quid enim pro ipsis Ordinibus vel litteris daretur aut acciperetur, simonia esset juris divini, cum spirituale pro temporali concederetur.

5° Vendere vel emere officium procuratoris vel œconomi alicujus ecclesiæ, sub quo nomine Fagnanus intelligit etiam sacristam, ex Decreto, 1ª part., causa 1, q. 3, cap. 8.

6° Venditio sancti chrismatis, etiam secundum suam speciem physicam spectati, ut in Decreto, 2ª part., causa 1, q. 1, can. 102, statuitur. Usus tamen receptus videtur ut ecclesia cathedralis aliquid ab ecclesiis particularibus accipiat pro compensandis sumptibus quos in emenda materia consecranda fecit.

7° Venditio coronarum vulgo sanctæ Brigittæ benedictarum, ex bulla Clementis XI, diei 22 septembris 1714, et decreto S. Cong. Indulg. a Bened. XIV die 9 februarii 1743 confirmato. Æstimamus tamen eum qui coronas pro quibusdam personis emisset, easque sacerdoti approbato benedicendas præsentasset, restitutionem pretii a se soluti recipere posse, quia non esset præcise eas vendere.

4° *De causis seu titulis a simonia excusantibus.*

Quamvis nunquam liceat, ne quidem per summi Pontificis vel concilii generalis dispensationem, aliquid temporale pro spirituali dare aut accipere, fieri tamen potest ut quidquam temporale occasione spiritualis licite accipiatur, videlicet ex aliis titulis simoniæ extrinsecis.

1° *Ex pura liberalitate;* si quis enim, post spirituale concessum, aliquid ex grato animo præstet, sine pacto antecedente explicito vel implicito, nihil exspectans in posterum, dici non potest spirituale datum fuisse pro temporali : ergo nulla est simonia, nisi forsan specialis intercedat prohibitio Ecclesiæ, ut in casibus supra relatis. Hinc munera a parentibus præstita parocho aut vicario qui filios eorum audivit et ad primam communionem

præparavit, a sponsis post matrimonium contractum, a patrinis et matrinis post baptismum collatum, labe simoniæ non sunt infecta. Caveant tamen clerici ne spe vel intuitu hujusmodi remunerationis ad spirituale facilius concedendum inclinentur, quia tunc esset simonia saltem mentalis.

2° *Ex titulo sustentationis;* cum enim ministri Ecclesiæ non teneantur propriis stipendiis militare, quia *dignus est operarius cibo suo,* Matth. x, 10, quicumque spiritualia ministrant jus habent obtinendi a fidelibus unde congruenter vivant, etiamsi divites essent. Eo titulo beneficiarius reditus beneficii sui percipit, parochus jura matrimonii et exsequiarum, sacerdos stipendia pro Missis celebrandis vel celebratis, etc. Hæc stipendia proprie vocari non possunt merces, quia nullo modo donantur tanquam pretium rei spiritualis, sed solo titulo sustentationis. S. Th. docet, 2 2, q. 100, art. 3, spiritualia *quæ sunt exhibenda* non esse neganda iis qui stipendia consueta solvere nequeunt; et tamen iis ad illorum petitionem præstitis, stipendia ut stricte debita exigi posse a valentibus solvere : ratio est, quia sustentatio debetur ex justitia ministris Ecclesiæ.

At pluries inculcant sacri canones ut summopere vitetur quidquid speciem habet non solum venditionis, sed et exactionis. *Suarez,* de Sim., cap. 48, n. 11.

Plus a divitibus exigitur pro exsequiis quam ab aliis, quia justum est divites plus ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ quam alios contribuere, et quia majores volunt solemnitates; quantitas autem pro diversorum generum personis exigenda a superioribus fuit taxata, vel usu determinata : si quid ultra taxam statuto vel usu determinatam exigeretur, a peccato simoniæ excusari non posset, quia etsi diceret se non exigere tanquam pretium rei sacræ, saltem iret contra legem quam Ecclesia, intuitu religionis et ex horrore simoniæ, statuit. Item qui in obeundis functionibus sacris stipendia principaliter intenderet, simoniæ mentalis reus esset : sic S. Th., Quodlib. 8, q. art. 16. Excusaretur vero qui, Deum tanquam finem

principalem sibi proponens, stipendium inde proventurum tamen respiceret.

Eo sensu excusari possunt pauperes qui petunt et accipiunt pecuniam pro quibusdam recitandis orationibus.

Recte observat *Dens*, t. IV, non inquietandos esse simplices qui, probos homines imitantes, aliquid temporale pro spirituali accipiunt, quamvis ob ignorantiam legitimos discernere non valeant titulos. Sic cantores, sacristæ et parvuli Missæ servientes, aliquid tuta conscientia percipiunt, licet explicare nequeant qua ratione id legitime faciant.

Qui promissionibus vel præmiis pueros allicit ad catechismum et confessionem, non reputandus est simoniacus, quia temporale non dat, ut patet, tanquam spiritualis pretium, siquidem ipse nihil recipit.

A simonia excusatur parochus qui pinguiorem parochiam desiderat vel elegit, consentiente episcopo, ut ampliorem habeat sustentationem pro se et pauperibus, et melius evangelizet, quia reipsa non fit commutatio temporalis pro spirituali. Non tamen in hoc laudandus est, at certe vituperandus, si lautiorem vitam vel fortunæ suæ aut familiæ augmentum quærat; imo a simonia mentali sæpe excusari non potest. Hoc sedulo attendat.

3° *Ex labore extraordinario;* nihil quidem exigi, dari aut accipi potest pro labore functioni sacræ intrinseco, ut diximus; sed labor extraordinarius, v. g., longum iter faciendum ad concionandum, ad celebrandam Missam, non debetur; communiter docent auctores aliquid pro illo exigi posse, quia nullo modo spirituale emi aut vendi censetur. Similiter aliquid exigere licet pro obligatione Missam determinato tempore vel loco dicendi, longa officia cantandi, per tempus extraordinarium concionandi, etc., non vero pro Missa parochiali hora fixa celebranda, pro onere sacramenta ad infirmum in extrema parochiæ parte manentem deferendi; quia hæc officio pastorali sunt intrinseca.

Quando stipendium pro labore extraordinario taxatur, ut in diœcesi nostra pro Missa in ecclesia vel in capella

distante quarta vel media parte leucæ, vel leuca integra (*Tarif, art.* 17), nihil supra exigi potest: secus, justam compensationem stipulari licet.

Item qui ad obtinendum alicui pastoratum, vel aliud beneficium, ut episcopatum, canonicatum, damnum passus est in itinere faciendo, in propriis negotiis neglectis, in fatigatione subeunda, etc., legitimam horum compensationem exigere et percipere potest, etiamsi non obtinuerit successum; hæc quippe a spirituali titulo sunt independentia.

4° *Ex legitima consuetudine*, quæ scilicet ex pietate et liberalitate populorum orta est, et a superioribus ecclesiasticis saltem tacite approbatur: quæ enim sic dantur, pretium rei spiritualis non æstimantur, sed oblationes titulo gratitudinis vel sustentationis. Vide quæ supra diximus de oblationibus.

Sic ex consuetudine receptum est ut monialium cœnobia numerarias exigant dotes a puellis vitam cœnobiticam amplecti volentibus, non præcise pro ingressu monasterii aut admissione ad professionem, sed pro victu personæ in monasterio permansuræ, ut ait S. Th., 2 2, q. 100, art. 3, ad 4. Sacra Congreg. Concilii pronuntiavit, die 18 sept. 1683 et 14 aprilis 1725, hujusmodi pensitationem, quamvis plerique doctores eam improbaverint, a simonia immunem esse. Sic, contra *Van-Espen* aliosque rigidiores, expresse Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 11, cap. 6, ubi, n. 7, fortiter condemnat *prodigas expensas et profanos apparatus fieri solitos dum puellæ vel ingrediuntur in monasterium, vel professionem emittunt.* Docet insuper illustris Pontifex, cum *Suarez* et *Thomassin*, aliquid stipulari, dare, vel accipere pro ipso ingressu in religionem aut pro religiosa professione, esse peccatum simoniæ juris divini, quod igitur nulla dispensatione tolli potest; verum aliquid exigere pro onere quod monasterium assumit personam per totam vitam ejus sustentandi, non prohiberi nisi jure ecclesiastico, cujus initium fuit in synodo Nicæna II, anno 787, idque propter simoniæ periculum: porro quod est solius juris ecclesiastici,

emolliri et mutari potest, sive per novam legem, sive per consuetudinem legitime præscriptam, sive per dispensationem.

5° *Ex redemptione injustæ vexationis;* quando enim quis injuste vexatus in spiritualibus jam adeptis, aliquid temporale promittit aut tradit ad tollendam hanc vexationem, spirituale pro temporali non emit, sed libertatem spiritualibus vacandi. Unde, v. g., si magistratus civilis alicujus pagi (*maire*) parochum ab episcopo nominatum non vult accipere, nec tolerare, episcopus, parochus aut fideles aliquid pretio æstimabile ei tribuere possunt, ut a vexatione cesset : is quidem gravissime peccabit et ad restitutionem tenebitur, quia nullum habet titulum ad percipiendum ; sed tradentes a simoniæ peccato erunt immunes.

Sacerdos ad titulum ecclesiasticum nominatus, pecuniam aut rem pretio æstimabilem dare non posset, ut consensum Præfecti vel Ministri obtineret, quia tunc daretur temporale pro spirituali; secus vero, si daret ad impediendam aut tollendam calumniam, quia tunc solum removerentur injusta obstacula.

Si vero injusta vexatio consisteret in negando spirituale, v. g., si sacerdos Baptismum, Viaticum aut Extremam-Unctionem administrare nollet, nisi pecunia sibi soluta, eam redimere non liceret, quia esset participatio in ipsa re criminosa, et potius sine Baptismo moriendum esset, juxta plures. At multi alii et communiter, ait S. Ligorius, l. 3, n. 103, contendunt hoc licitum fore quia non esset emere sacramenta, sed alterius sacrilegium ex juxta causa permittere, idque quoties gravis adesset causa sacramentum suscipiendi.

6° *Ex summi Pontificis dispositione :* sic resignatio beneficii, v. g., pastoratus, vel canonicatus, cum reservatione pensionis, ex natura sua est simonia : si autem summus Pontifex, ut supremus totius Ecclesiæ administrator, hanc dispositionem approbaverit, cessat simonia, quia deest ejus materia; pensio enim non percipitur vi contractus, qui fuisset simoniacus, sed vi concessionis a

legitima potestate fluentis. Non ideo tamen summus Pontifex in jure divino dispensat, sed materiam sibi subjectam aliter disponit, et tunc simonia non existit ubi alias exstitisset.

Hæc pensionis reservatio etiam in præsenti rerum ordine non pendet ab episcopo, sed pontifici Romano reservatur : talis est antiqua Ecclesiæ disciplina, apud nos sicut alibi recepta, ut testatur *d'Héricourt*, 2ª part., cap. 16, n. 1 et seq. Sic, ex ejusdem summi Pontificis dispositione, aliquid percipi potest titulo eleemosynæ, vel sustentationis summi Pontificatus sub aliquo respectu, ob dispensationes super impedimentis matrimonii, vel ob commutationem votorum. « Conceditur etiam episcopos » in talibus dispensationibus percipere aliquid eleemosy- » nis distribuendum (modo ipsis vel suis nihil proveniat) » per modum pœnæ, non autem per modum sustentatio- » nis. » Sunt verba S. Ligorii, l. 3, n. 96.

Nota. Mutare spirituale pro spirituali, v. g., Missas pro Missis, preces pro precibus, reliquias pro reliquiis, non est simonia, nec etiam objecta benedicta pro aliis objectis benedictis, v. g., calicem pro calice, casulam pro casula ; quia in his contractibus spirituale pretio temporali non æstimatur, et nulla intercedit Ecclesiæ prohibitio.

5° *De pœnis in simoniacos decretis.*

1° Certum est nullam pœnam juris per simoniam mentalem incurri ; nam apud omnes receptum est culpas mere internas legibus Ecclesiæ non subjacere, aut saltem ab Ecclesia non puniri, et in Decretal. l. 5, tit. 3, cap. ultimo, ubi agitur de resignationibus *spiritualium et temporalium quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente utrinque taliter acquiruntur,* legitur : « In quo casu delin- » quentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfa- » cere Creatori. »

2° Nulla pariter incurritur pœna ecclesiastica per simoniam mere conventionalem, seu effectu non secuto,

quia capita juris et præsertim caput 2 tituli de Simonia, in Extrav. com., l. 5, loquuntur de simonia commissa : non est autem simpliciter commissa, dum sola existit pactio; nec, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, dum traditio fuit tantum ex una parte, quia externum peccatum est incompletum, et ex regula 15, *Odia restringi convenit*, judicandum est illud a pœnis contra simoniam decretis esse immune. Ita Lessius; *Suarez*, *Layman*, Sylvius, *Cabassut*, *Antoine*, *Collet*, S. Ligorius, n° 106, etc.

Attamen si tradita re spirituali, aliqua saltem pars temporalis promissi solveretur, simonia, juxta omnes, ex utraque parte realis esset, ac proinde pœnis obnoxia.

Aliud est de simonia *confidentiali*, quæ ex bulla Pii IV et S. Pii V completa censetur et pœnis subjacet statim ac beneficium datum fuerit et acceptum, licet accipiens promissionem suam implere non cœperit.

3° Sola simonia externa et completa in ordine vel in beneficio nunc pœnis ecclesiasticis subjacet : nam Paulus II, in citato capite 2 Extravag. omnes pœnas a prædecessoribus suis contra simoniacos latas renovans et confirmans, loquitur tantum de simonia in ordine et beneficio ecclesiastico commissa. In venditione igitur aliarum rerum, nempe sacramentorum, sacramentalium, jurisdictionis spiritualis, pensionis, etc., peccatur quidem, sed nulla incurritur pœna. *Est communis sententia.*

4° Attamen in cap. 1 ejusdem Extravag., Urbanus V graves decernit pœnas in membra monasteriorum et capitulorum, quæ a personis eorum religionem ingredi volentibus, « quoscumque pastus, prandia, cœnas, pecunias, » jocalia aut res alias, etiam ad usum ecclesiasticum, » directe vel indirecte petere vel exigere quoquo modo » præsumant. » Verum hæc simoniæ species raro nunc contingere potest, præsertim in iis quæ ad moniales attinent, ut patet ex supradictis, p. 248.

5° Pœnæ autem latæ adversus simoniacos in beneficiis, quo nomine intelliguntur etiam officia ecclesiastica inamovibilia, sunt : 1° excommunicatio summo Pontifici reser-

vata etiam in Gallia; 2° nullitas electionis, præsentationis et institutionis : unde sic promotus et institutus non facit fructus suos; idque etiamsi pecunia a tertia persona data fuerit, illo prorsus ignorante, Decretal. l. 5, tit. 3, cap. 27; 3° inhabilitas ad idem beneficium legitime possidendum etiam cum dispensatione episcopi, ibid., cap. 26; non vero ad retinenda beneficia jam obtenta, neque etiam, saltem apud nos, ad alia acquirenda, quia tenent nonnulli bullam S. Pii V id prohibentem in Galliis non fuisse receptam aut saltem inhabilitatem in hoc casu a judice pronuntiandam esse.

6° Simonia confidentiæ completa inducit 1° excommunicationem Papæ reservatam; 2° nullitatem collationis vel resignationis in qua fuit commissa, et inhabilitatem ad idem beneficium vel officium postea obtinendum; 3° privationem omnium beneficiorum et pensionum ante obtentorum, post tamen sententiam judicis. Sic Pius IV, bulla 85, et S. Pius V, bulla etiam 85; *d'Héricourt.* F. cap. 20, n. 26, 27 et 28; Lessius, *Suarez, Layman*, *Busenbaum*, et S. Ligorius qui notat, n. 112, per beneficia et officia intelligi non debere vicarias amovibiles ad nutum, nec pensiones, nec capellanias non collativas, nec officia cujuscumque jurisdictionem spiritualem ad tempus habentis, quia hæc non sunt proprie officia ecclesiastica, et ideo licet ea vendere grave sit peccatum simoniæ, non tamen incurruntur pœnæ, ut communissime dicunt auctores.

Excommunicatio de qua in his num. 5° et 6° agitur, tum a dante et accipiente, tum a mediatoribus et procuratoribus incurritur.

7° Pœnæ simoniæ in ordinatione sunt : 1° excommunicatio Papæ reservata, quam ipso facto incurrunt tum ordinans tum ordinatus, ex cap. 2. Extrav. comm. de Simon., quod multi ad ipsam tonsuram extendunt; 2° sic ordinatus ab omnibus Ordinibus susceptis manet suspensus, ex eodem cap. et communi interpretatione : episcopus sic ordinans a collatione Ordinum suspenditur ad triennium, ex Decretal. l. 5, tit. 3, cap. 45. Plures aliæ

sunt pœnæ in Const. Sixti V, *Sanctum et salutare,* sed illa Constitutio apud nos non agnoscitur.

6° *De obligatione restituendi ex simonia nascente.*

1° Cum, ex multis textibus juris, præsertim ex Extrav. pluries citata et ex concil. Constant., sess. 43, constet beneficii collationem per actum simoniæ factam esse nullam, sequitur clericos qui illud sic obtinuerunt, totum restituere teneri, et titulum et fructus jam perceptos : titulum statim pure debent resignare et fructus perceptos restituere, juxta regulas in Tractatu *de Restitutione* traditas pro possessore bonæ, malæ vel dubiæ fidei. Restitutio autem facienda est Ecclesiæ in qua situm est beneficium, vel pauperibus loci, vel personæ cui de jure cedunt fructus beneficii vacantis, idque probabilius ante sententiam judicis. Defectu ejus qui fructus vi simoniæ percepit ad restitutionem tenentur mediatores et procuratores. Ita *Antoine, Collet, Billuart,* S. Ligorius, etc.

Qui autem per triennium beneficium simoniace adeptum cum bona fide possedit, illud cum fructibus legitime servare potest.

2° Simonia mentalis onus restituendi non inducit, neque jure ecclesiastico, ut patet ex capite ultimo, tit. 3, l. 5 Decretal., superius citato, neque jure naturali, cum nulla de facto existat injustitia.

Res spirituales a beneficiis distinctæ, ut agni Dei, olea sancta, reliquiæ, etc., si restitui possint et pretium pro eis non sit solutum, danti restituendæ sunt; deest enim nec licite impleri potest conditio sub qua datæ sunt : soluto autem pretio retineri possunt : fuit enim peccatum contra virtutem religionis, non vero contra justitiam commutativam. Reddi igitur non debent danti, nisi pretium jam solutum restituatur. *Busenbaum,* S. Ligorius et alii ut probabilius docent restitutionem faciendam esse Ecclesiæ et non danti, quia Ecclesia utrumque simoniæ reum punire intendit. Nos vero non percipimus cur adesset obligatio res istas Ecclesiæ tradendi.

3° Re spirituali tradita, variæ occurrere possunt circumstantiæ. Si pretium, vi, fraude, dolo, injusta vexatione fuerit extortum, procul dubio danti reddendum est. Extra hunc casum, probabilius est dominium ejus non pertinere ad solventem, qui eo se voluit exuere sub conditione operis turpis jam impleti. Ergo jure naturali transiit ad accipientem, nisi jus positivum aliter statuerit. Porro jus ecclesiasticum pro variis casibus aliter statuit. Sic 1° in materia beneficiorum, quæ simoniace fuerunt accepta, restituenda sunt Ecclesiæ in qua sita sunt, etc., ut supra : si tamen qui pretium dedit mortaliter non peccaverit, non meruit tantam pœnam : pretium igitur ipsi reddendum est. 2° In collatione Ordinum pretium simoniace acceptum, probabilius impendendum est in pia opera, nisi forte solvens fuerit bonæ fidei ; quo in casu ipsi reddendum esset. 3° Quæ pro admissione puellæ in monasterio vel pro ejus professione simoniace accepta fuerunt, solventibus reddi debent, nisi persona remaneat in monasterio ; in hoc casu retineri possunt in utilitatem religionis. 4° In cæteris rebus jus ecclesiasticum de restitutione acceptorum non loquitur : probabilius est ergo non faciendam esse restitutionem, et solam virtutem religionis læsam fuisse. Vide S. Ligorium, l. 3, n. 113 et seq.

7° *Appendix de beneficiis.*

1° *Beneficium* communiter definitur a canonistis : *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis ab Ecclesia constitutum propter spirituale officium.*

Hæc materia olim maximi erat momenti et non parum intricata; at Pius VII, per bullam *Qui Christi Domini,* diei 29 nov. 1801, totum statum præsentem ecclesiarum archiepiscopalium et episcopalium Galliæ una cum respectivis earum capitulis, juribus, privilegiis et prærogativis cujusque generis suppressit, annullavit et exstinxit, novas erexit sedes archiepiscopales et episcopales, et amplissimas dedit facultates cardinali *Caprara*, legato suo *a*

latere, etiam subdelegandas, ad constituenda nova capitula, ad concedendum canonicis choralia insignia, quæ eis convenire arbitraretur, ad veteres parochias sive supprimendas, sive aliter circumscribendas.

2° Cardinalis *Caprara*, per indultum diei 9 aprilis 1802, limites novarum sedium determinavit, reditus annuos a gubernio promissos pro archiepiscoporum et episcoporum dotibus assignavit, omnes parochias cum suis titulis et quacumque jurisdictione suppressas perpetuo fore declaravit, facultatem subdelegavit archiepiscopis et episcopis primo futuris capitula in metropolitanis et cathedralibus ecclesiis constituendi, « juxta formam a sacris canonibus » conciliisque præscriptam, et ab Ecclesia huc usque ser- » vatam, cum eo dignitatum et canonicorum numero » quem ad earumdem metropolitarum et cathedralium » ecclesiarum utilitatem et honorem, attentis rerum cir- » cumstantiis, expedire judicabunt, » et similiter novas erigendi parochias, quibus assignandos pro congrua rectorum sustentatione reditus a gubernio solvendos loco dotationis declararent.

3° Hinc antiqua beneficia penitus fuerunt exstincta, et reditus annui singulis officiis ecclesiasticis assignati eis fuerunt substituti, ut patet, tum ex bullis *Ecclesia Christi* et *Qui Christi Domini*, tum ex verbis card. *Caprara*, tum ex decisione S. Pœnitentiariæ diei 19 januarii 1819 a nobis relata in Tractatu *de Restitutione*, ubi de Dominio clericorum.

4° Certum est igitur reditus episcopis, canonicis et parochis assignatos *naturam* induere *beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum* : sunt verba sacræ Pœnitentiariæ 19 jan. 1819. Unde ex mutuo gubernii et episcopi consensu, novi creari possunt tituli canonicatuum et parochiarum; sed titulares resignare non possent cum reservatione annuæ pensionis quantumvis modicæ, absque summi Pontificis dispensatione.

5° Quoad autem alios parochos, qui vulgo dicuntur *deservientes*, major est difficultas; cum enim ad nutum episcopi amoveri possint, probabile videtur eos in stricto

juris canonici rigore non habendos esse velut beneficiarios; et idcirco non est arguendus episcopus qui, ob religionis bonum, temporale aliquod onus imponit novo deservienti, v. g., suum prædecessorem senem vel infirmum gratis aut pro modica pensione habendi ac curandi, etc. Cum stipendia vulgo dicta *casuel* et *droit curial*, ex decisione S. Pœnitentiariæ 9 junii 1823, reputanda sint bona quasi patrimonialia, non vero ecclesiastica, episcopus potest etiam, sua auctoritate, aliquod onus in hujusmodi bonis fundatum parocho titulari imponere.

Notandum pensiones a gubernio *deservientibus* solutas, reputandas esse, sicut alias, bona ecclesiastica, ac proinde quæ honestæ sustentationi supersunt in bona opera sunt impendenda, et ad hæredes transmitti nequeunt. Vide quæ hac de re dicimus in Tractatu *de Restitutione*.

CAPUT SECUNDUM.

DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

Hoc præceptum sic habetur in Exodo, xx, 7 : *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum : nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.* Directe ergo prohibentur ea quæ honorem sanctissimi Dei nominis lædunt, et indirecte ea præcipiuntur quæ ex ejusdem sancti nominis honore fluunt. Hic itaque nobis tractandum est 1° de blasphemia, 2° de juramento, et 3° de voto.

ARTICULUS PRIMUS.

DE BLASPHEMIA.

1° Blasphemia, quæ ortum ducit a verbis græcis, βλάπτω, *noceo*, et φήμη, *fama*, significat nocumentum in fama alicujus. Mos invaluit ut ad exprimenda dicteria Deo inju-

riosa adhiberetur, et a theologis communiter definitur : *Locutio Deo injuriosa.*

Per locutionem non intelliguntur tantum verba, sed quælibet signa externa, imo et quædam animi verba exterius non prolata, ut, v. g., Ps. XIII, 1 : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus,* in Deum, sive in se spectatum, sive in Sanctis suis.

2° Dividitur enim blasphemia 1° in internam, quæ in corde consummatur, et in externam, quæ verbo, scripto, vel alio signo exterius manifestatur; 2° in immediatam, quæ Deum afficit directe, et mediatam, quæ directe afficit Sanctos vel res sacras et indirecte Deum quatenus Sancti et res sacræ habent ordinem ad Deum; 3° in hæreticalem, imprecativam et dehonestativam. Hæreticalis ea est quæ falsum pronuntiat de Deo, sive ei tribuendo quod ei non convenit, vel negando quod ei convenit, vel attribuendo creaturæ quod solius est Dei, v. g. : Deus est tyrannus, crudelis, injustus; Non est omnipotens, non omnia cognoscit, non omnibus providet; Tu es mihi deus vel dea, loquendo ad personam quæ est objectum amoris inordinati. Blasphemia imprecativa illa est qua malum exoptatur Deo, v. g. : Non existat, pereat, sit maledictus, etc. Blasphemia dehonestativa ea est qua aliquid verum dicitur de Deo, sed indecenter et per modum contumeliæ; talis ea quæ tribuitur Juliano Apostatæ : *Vicisti, Galilæe ;* aut illa qua ex ira nominantur caput Christi, viscera Christi ; vel ea nunc tam frequenter usitata *S... nom de Dieu.*

3° Quælibet blasphemia est per se peccatum mortale; idque probatur 1° ex Levitico, XXIV, 16 : *Qui blasphemaverit nomen Domini morte morietur ;* 2° ex S. Hieron. qui in Isa., l. 7, cap. 18, ait : « Nihil horribilius blasphemia, » quæ ponit in excelsum os suum ; » 3° ex pœnis a jure canonico et in edictis regum nostrorum in blasphematores decretis, ut videre est in Collect. Andeg., t. IV, et in *Ferraris,* verbo *Blasph.,* num. 22 et seq. ; 4° ex ratione ; manifestum est enim quamlibet contumeliam erga Deum esse materiam gravis peccati. Peccatum igitur fieri

non potest veniale, nisi defectu advertentiæ aut consensus.

4° Nec requiritur ut intentio Deum inhonorandi sit explicita; virtualis et implicita sufficit, nempe cum quis libere ea profert quæ, ex propria significatione, ex usu recepto, ex modo proferendi, vel ex aliis circumstantiis, Dei inhonorationem continent, quamvis id fiat sine pravo affectu in Deum, sed ex joco, ad manifestandam iram, etc., quia hæc per se gravia sunt et irreverentia erga Deum; graviora tamen sunt, si fiant ex intentione Deum inhonorandi, ex animo in Deum irato, etc.

5° Plures dicunt non dari obligationem explicandi in confessione qualis fuerit blasphemia, an hæreticalis, an imprecativa, an simpliciter dehonestativa, an contra Deum, an vero contra ipsius Sanctos; quia eadem virtus religionis læditur : verum alii communius volunt singulas explicandas esse species, et præsertim dicendum an blasphemia fuerit immediate in Deum, vel in B. Mariam Virginem, in Sanctos, vel in res sacras, quia diversæ illæ circumstantiæ vel speciem mutant, novam addentes malitiam contra duliam aut hyperduliam, vel malitiam eidem virtuti religionis oppositam augent vel minuunt. Ita P. *Antoine*, *Collet*, Coll. Andeg., *Billuart*, *Dens*, etc.

6° Qui ira aliave passione abreptus, verba blasphemiæ profert, eorum significationem non advertens, peccat tantum venialiter sub hoc respectu, ut expresse agnoscit S. Th. 2 2, q. 13, art. 2. Item qui ex inveterata consuetudine blasphemandi, quam serio retractavit, eadem tamen inadvertenter pronuntiat verba, a mortali et quandoque ab omni peccato excusatur. Potest igitur absolvi et ad sacram Eucharistiam admitti, saltem in Paschate. Sic ipse Coll. Andeg., t. IV.

7° Similiter ex defectu advertentiæ sæpe fit ut formulæ vere blasphematoriæ in se et horribiles, a gravi peccato excusentur, v. g. MORDIÉ (*mort de Dieu*), VENTREDIÉ (*ventre de Dieu*), TÊTEDIÉ (*tête de Dieu*), JARNIDIÉ (*je renie Dieu*), MAUGREDIÉ (*malgré Dieu*), etc. Communiter enim qui hu-

jusmodi formulis nunc utuntur, pravum earum sensum non intelligunt.

8° Nunc etiam aliqui credunt se non blasphemare dicendo simpliciter *nom de Dieu, mille noms*, si non præcedat nomen adjectivum *sacré;* vel etiam *sacré nom,* si non sequatur *de Dieu,* vel simpliciter *sacré.* Hæ formulæ multum in regionibus nostris usitatæ, quas reperimus apud D. *Vernier,* t. I, nobis videntur excusari posse a mortali ubi proferuntur sine ira, quia non exhibet sensum in Deum contumeliosum, et fideles graviter non offendunt, nisi ratione status et conditionis personæ eas proferentis scandalum præbeant. Illæ vero alteræ : *S... nom de Dieu, S... mille noms de Dieu,* difficilius a mortali excusari possunt, quia ex sensu fidelium in Deum sunt contumeliosæ. Attamen, cum ex naturali significatione sua non sint blasphematoriæ, ut gravitas peccati discernatur, attendenda est intentio eis utentium. Alia est formula sæpe usitata, *Mille dieux*, quæ in se est hæretica; sed viri rustici ea utentes, communiter talem non illi tribuunt sensum.

Cæterum hæc omnia ex circumstantiis judicanda sunt, et S. Ligorius, l. 3, n. 130, cum aliis pluribus, contendit quod in dubio an aliqua formula sit vel non blasphemia, ut blasphemia non sit habenda. Saltem qui ea utuntur absque formali intentione Deum inhonorandi, non reputandi sunt rei peccati mortalis.

9° Appellatio nominis Dei, vel Jesu, vel Mariæ, vel aliorum Sanctorum, per modum loquendi, sine contumelia, v. g. : *Mon Dieu oui, mon Dieu non, ô bon Dieu! bon Jésus!* etc., non est blasphemia, et tamen aliqua culpa veniali non caret, quia est vana sanctorum hujusmodi nominum usurpatio. *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis.* Eccli. XXIII, 10.

In erudito opere dicto *Mélanges théologiques*, IVe série, 1850-1851, longa et optima invenitur dissertatio in quâ expenduntur regulæ ad discernendas blasphemias, causæ blasphemantes a mortali excusantes et judicium de nonnullis locutionibus ferendum.

De formulis inter rusticos usitatis : s... b... m..., etc.

Voces illæ, a plebecula interdum usurpatæ, certe conviciarum in se plenæ sunt. Cum autem, ut plurimum accidit, iis nulla nunc annexa sit idea, qui eas, seclusis scandalo et contumelia gravi, proferunt, non videntur peccare mortaliter. Admittere enim non possumus, cum quibusdam quos audivimus, nomen adjectivum *sacré* nominibus inurbanis vel etiam turpibus junctum sine mala intentione, mortale peccatum constituere.

De maledictionibus in se vel in alios, v. g. : Que je meure, que le diable me confonde, qu'il me brûle, qu'il t'emporte, etc.

Qui ex desperatione vel ira hæc sibi vel aliis sincere exoptaret mala, mortaliter peccaret contra charitatem, *ut patet* : item qui tales proferendo maledictiones, grave præberet scandalum, ratione sui status vel qualitatis, vel notabili contumelia personam afficeret : ut si filius ex ira patri vel matri, fidelis parocho, servus domino, etc., sic malediceret.

Qui vero, gravibns scandalo et contumelia seclusis, hujusmodi proferunt imprecationes, de malis invocatis minime cogitando, nedum ea sincere exoptent, graviter non peccant; qua enim ratione mortale esset peccatum? Non ratione mali appellati, cum non desideretur; non ratione profanationis nominis invocati, siquidem nomen diaboli profanari non potest : ergo, etc. Excipitur nisi proferentes persuasum haberent se mortaliter peccare : quo in casu *S. Ligorius* eos a confessariis et prædicatoribus sedulo instruendos esse, ne ex falsa conscientia pergant mortaliter peccare.

Quoniam tamen hujus generis locutiones Christianos valde dedecent, a peccato veniali rarissime vacant, sæpe scandalum generant, personas offendunt, charitati officiunt, fideles ab eis caute avertendi sunt et monendi ut hæc Christi verba non obliviscantur, Matth. v, 37 : *Sit*

autem sermo vester, Est, est; non, non: quod autem abundantius est, a malo est.

Quamvis usurpatio dæmonis in conversatione non sit per se peccatum, Christianum tamen non decet, et nominatio ejus cum ira posset esse grave peccatum, ratione scandali, ait *Layman* a *Busenbaum* et S. Ligorio citatus et non reformatus.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE JURAMENTO.

Hunc articulum in octo dividemus paragraphos: primus erit de nomine et definitione juramenti; secundus, de ejus divisione; tertius, de illius usu; quartus, de conditionibus ad illud requisitis; quintus, de ejus obligatione; sextus, de illius interpretatione; septimus, de obligationis ejus cessatione; et octavus addetur, de adjuratione Dei.

§ I. — De nomine et definitione juramenti.

1° Nomen juramenti venit a *jure*, quia ex motivo religionis pro jure apud omnes gentes habetur, et qui eo utitur jus veritatis Deo tribuit. Dicitur etiam eadem de causa *jusjurandum*; et *sacramentum*, quia fit per rem sacram; vel rei sacræ, nempe infallibilis veritatis, per attestationem Dei, est signum.

2° Definiri solet: *Invocatio tacita vel expressa supremi Numinis, tanquam infallibilis veritatis, in testimonium alicujus rei.* Hæc invocatio in eo consistit ut jurans velit Deum id quod jurat attestari, non hic et nunc, quod esset tentatio Dei, sed quando ipsi placuerit, in hac vita, vel in ultimo judicio, quando *illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium.*

Verum igitur est juramentum quoties Deus ut alicujus rei testis assumitur, v. g., *Deum attestor, Deum contestor, testis sit mihi Deus, Deum assumo, invoco ut testem,* etc. Contra vero formulæ in quibus Deus non adducitur di-

recte vel indirecte ut testis, vera per se non exprimunt juramenta, v. g., sequentes : *Deus novit, Deus suo tempore testabitur, coram Deo loquor, Deus videt nos, Deus videt conscientiam meam, Vivit Deus, Deus est veritas*, etc., si narrative tantum proferantur : ubi vero invocative proferuntur, vera suut juramenta, quod ex circumstantiis et intentione pronuntiantis dignoscitur : sic Hebræi jurare solebant : *Vivit Dominus.*

3° Item realiter non jurant qui dicunt : *Si cela n'est pas vrai, je veux être pendu, je veux qu'on me coupe les oreilles*; vel : *En vérité, ma foi, par ma foi, foi d'honnête homme, foi de chrétien, foi de prêtre; en conscience, sur ma conscience*, etc., quia sic loquendo, non intendunt Deum invocare ut testem, sed dicta sua affirmare. Si quis tamen ut notat Coll. Andeg., t. IV, dicendo, *sur ma foi, foi de Chrétien*, Deum intenderet attestari per fidem christianam, vere juraret.

4° Similiter non jurant qui dicunt : *Cela est aussi vrai qu'il est vrai que le soleil nous éclaire, aussi vrai qu'il y a un Dieu, comme Dieu est mon juge, je suis aussi innocent de ce fait que la sainte Vierge*, etc., nisi ex adjunctis intentio eorum ad attestationem Dei invocandam determinetur : si comparatio sit falsa, erit tantum mendacium. Qui intenderet significare tantam esse certitudinem in dicto suo quanta est in veritate fidei allegata, blasphemaret; et qui veracitatem Dei sic invocaret in attestationem falsi, perjurus esset.

Denique non est juramentum cum quis jurat per creaturas in quibus nihil divinæ bonitatis relucet, v. g., per paleam, per barbam, per vestem, etc., quia Deus non censetur adduci in testem. Secus vero, quando juratur per nobiliores creaturas, in quibus divina attributa singulariter exprimuntur, v. g., per cœlum, per terram, per templum, per aliquod sacramentum, per sancta Evangelia, etc. Super hæc vide *Busenbaum* et S. Ligorium, l. 3, num. 133 et seq.

6° Ad essentiam veri juramenti pertinet intentio jurantis qui intelligere debet sensum formulæ qua utitur,

et velle Deum invocare ut testem; juramentum enim debet esse actus humanus, non ratione locutionis materialis tantum, sed quatenus est juramentum : importat igitur necessario advertentiam et intentionem. Unde una locutio poterit esse juramentum in una persona, et non in altera.

§ II. — De divisione juramenti.

Juramentum variis modis dividitur, scilicet 1° in assertorium et promissorium. Est assertorium, quando sub attestatione Dei affirmamus aliquid esse vel fuisse, non esse aut non fuisse, v. g. : Testor coram Deo me fuisse ordinatum, me hic et nunc verum dicere, me talis furti vel homicidii non esse reum ; est vero promissorium quando sub attestatione Dei confirmamus quod pollicemur, v. g. : Juro principi fidelitatem ; Juro me verum in conscientia mea esse dicturum ;

2° In juramentum explicitum, quo Deus expresse invocatur ; et implicitum, quando juratur per creaturas quatenus ordinantur ad Deum ;

3° In simplex et solemne : est simplex quando Deus verbis vel signis æquivalentibus pure invocatur ; et solemne, quando nonnullæ adhibentur cæremoniæ, ut Missa, vel communio præcedens, tactus Evangelii vel crucis, etc. ;

4° In judiciale, quod coram judice legitime interrogante emittitur ; et extra judiciale, quod fit extra judicium.

Juramentum judiciale est adhuc duplex : unum quod a judice uni e partibus contendentibus defertur, juxta conditiones in Codice civili, art. 1367, expressas ; et alterum quod ab una parte alteri defertur, ad terminandam litem, et vocatur decisorium. Suas habet regulas in Codice, art. 1358 et seq., expressas.

5° Dividitur in contestatorium et exsecratorium. Contestatorium est illud in quo Deus simpliciter invocatur in testem ; exsecratorium illud est quo Deus simul invocatur in testem et in vindicem perjurii, v. g. : *Moriar in*

hoc loco, si mentiar; Nunquam ingrediar paradisum; Absorbeat me terra; Pereat familia mea, etc.

6° Dividitur in verbale, quod solis verbis exprimitur; in reale, quod fit gestu aliisve signis, ut, v. g., si, petente magistratu, levetur manus in signum juramenti, vel moveatur pes, aut inclinetur caput; et in mixtum, in quo actus corporalis jungitur verbis, v. g., manus ponatur super librum Evangeliorum dum formula juramenti profertur.

Distinguuntur insuper juramenta absoluta et conditionata, sincera et dolosa, aperta et ambigua, quæ sola enuntiatione sufficienter intelliguntur.

Variæ autem illæ divisiones non constituunt species juramenti diversas, quia in omnibus reperitur invocatio Dei ut testis, ac proinde eadem virtus religionis, quæ colitur vel læditur, prout juramentum est licitum vel illicitum.

§ III. — De usu juramenti.

Licitum esse juramentum negarunt 1° quidam Albigenses, qui se dicebant Catharos, et damnati fuerunt anno 1250 in concilio Tarraconensi, quia dicebant *in nullo casu esse jurandum;* 2° Wiclefus, cujus error hoc in puncto proscriptus est, n. 43, in concilio Constant.; 3° *Quakers* Anglicani et Americani, qui contendunt nullum juramentum esse licitum. Contra quos sit

PROPOSITIO.

Juramentum, debitis conditionibus vestitum, est licitum.

Prob. Hæc propositio est de fide, probatur Scriptura sacra, SS. Patrum testimoniis, et ratione.

1° *Est de fide;* in concilio enim Constantiensi, sess. 8, inter Wiclefi errores sequens articulus, n. 43, fuit proscriptus : « Juramenta illicita sunt quæ fiunt ad roborandum humanos contractus et commercia civilia. » Huic decisioni concinit constans praxis Ecclesiæ quæ

frequenter exigit juramenta, vel in judiciis, ut patet ex Decretal. l. 2, tit. 24, *de Jurejurando,* vel ad inquirendam hæresim, ut constat ex l. 5, tit. 7, cap. 13, § *Adjicimus,* earumdem Decretal. ex formulario Alexandri VII, etc. Ergo 1°.

2° *Probatur ex Scriptura sacra,* Deut. VI, 13: *Dominum Deum tuum timebis et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis;* Ps. XIV, 4 : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui jurat proximo suo et non decipit.* Insignes Veteris Testamenti homines sæpe hanc juramenti formulam adhibuerunt : *Vivit Dominus.* B. Paulus pluries juravit, dicens, Rom. I, 9 : *Testis est mihi Deus... quod sine intermissione memoriam vestri facio;* II Cor. I, 23 : *Testem Deum invoco in animam meam;* Gal. I, 20 : *Quæ autem scribo vobis : ecce coram Deo quia non mentior,* Ergo 2°.

3° *SS. Patrum testimoniis.* Sufficiat S. Aug., Serm. 18, n. 2 : « Invenimus jurasse primitus ipsum Dominum, in » quo non est omnino peccatum... non ergo est peccatum » jurare. » Ergo 3°.

4° *Ratione.* Juramentum in eo consistit ut Deus tanquam summa veritas invocetur; at talis actus optimus est in se et Deum honorat : bonus est pariter in suo fine, cum, juxta Apostolum, Hebr. VI, 16 : *Omnis controversiæ eorum* (hominum) *finis, ad confirmationem est juramentum.*

Non solum igitur licet jurare, sed quandoque adest obligatio jurandi, si nempe 1° superior præcipiat, 2° si necessarium sit ad subveniendum proximo, 3° si conditio status illud exigat.

Dices : Christus dixit, Matth. V, 34 : *Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram,* etc.; ergo omne juramentum est prohibitum.

R. Nego conseq. Sciendum est enim Scribas et Pharisæos persuasum habuisse et populo dixisse sola perjuria esse cavenda, juramenta inania non prohiberi in lege, et ea quæ fiunt per creaturas esse contemnenda, ut patet ex

capite Matth. XXIII, 17 et seq. Christus utrumque errorem reformare volens, dicit non esse omnino jurandum, neque per cœlum, neque per terram, etc., subintelligendo sine necessitate aut causa sufficienti; sicque redarguit pravam consuetudinem sæpissime propter leves causas jurandi, et juramenta per creaturas contemnendi. Unde S. Aug., l. de Mendacio, cap. 15, n. 28: « Intelligendum est illud quod positum est *omnino*, ad hoc » positum, ut quantum in te est, non affectes, non ames, » non quasi pro bono cum aliqua delectatione appetas » jusjurandum. »

Inst. Christus addit: *Sit autem sermo vester: Est, est; non, non: quod autem his abundantius est, a malo est.* Ergo.

R. Nego conseq. Christus enim non dicit juramentum malum esse, sed *a malo*, id est, ab infirmitate ejus cui cogimur jurare ut credat, vel a vitiis hominum qui, sæpius mendaces experti, credere nolunt sine juramento, vel juramento se fide digniores reddere volunt. Sic explicant interpretes et doctores in primis S. Aug., de Sermone Domini in monte, l. 1, cap. 17, n. 51, ubi dicit: « Si jurare cogeris, scias de necessitate venire infirmi» tatis eorum quibus aliquid suades... Itaque non dixit » (Christus): Quod autem amplius est malum est... sed » *a malo est.* » Ergo.

Notandum juramentum, licet in se bonum et religionis actum, non tamen esse appetendum extra necessitatem; non adhibetur enim nisi ad subveniendum infirmitati mentis, sicut medicina ad subveniendum infirmitati corporis; porro medicina, licet in se bona, non tamen est appetenda: ergo nec juramentum. Unde Eccli. XXIII, 9: *Jurationi non assuescas os tuum; multi enim casus in illa;* et ℣ 14: *Etsi in vacuum juraverit, non justificabitur.*

§ IV. — De conditionibus ad licite jurandum requisitis.

Dicit Dominus per Jeremiam prophetam, IV, 2 : *Jurabis, Vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia.* Tres illas conditiones necessarias esse in quolibet juramento ut sit licitum, conveniunt omnes doctores, et S. Hieron. in cap. IV Jerem. ait : « Animadvertendum » est quod jusjurandum hos habeat comites, veritatem, » judicium atque justitiam. Si ista defuerint, nequaquam » erit juramentum, sed perjurium. » Nomine perjurii hic intelligitur omne juramentum illicitum. Ut juramentum enim sit licitum, requiritur ex parte jurantis ratio sufficiens illud adhibendi, alioquin esset indiscretum, quod præcavet judicium ; requiritur ex parte objecti ut neque sit illicitum neque falsum : hinc veritas et justitia. Tres conditiones istas in hoc ordine explicaturi sumus.

1° *Requiritur judicium.*

Judicium hic non sumitur pro exsecutione justitiæ, inquit S. Th. 2 2, q. 89, art. 3, ad 1, *sed pro judicio discretionis ;* cum enim juramentum sit res sanctissima, adhiberi non potest, nisi cum fide, pietate et reverentia, et hæc omnia reperiuntur in discretionis judicio. Juraturi igitur perpendere debemus : 1° an juramentum sit necessarium, vel saltem valde utile, habita ratione circumstantiarum ; 2° an rem juramento promissam tempore definito exsequendi facultas nobis adfutura sit, ne in discrimen promissa violandi incidamus.

Sedulo igitur cavere debent fideles ne nomen Dei, *sanctum et terribile*, promiscue sumant, et consuetudinem indiscrete jurandi contrahant, quod S. Aug. sic pro seipso deplorat, Serm. 180, n. 10 : « Juravimus et nos passim, » habuimus istam teterrimam consuetudinem et mortiferam. Dico charitati vestræ, ex quo Deo servire cœpimus, » et quantum malum sit in perjurio vidimus, timuimus

» vehementer, et veternosissimam consuetudinem timore » frenavimus. Frenata restringitur, restricta languescit, » languescens emoritur, et malæ consuetudini bona suc- » cedit. Denique non vobis dicimus non nos jurare. » Quantum ad me pertinet, juro; sed, quantum mihi vi- » detur, magna necessitate compulsus. Cum videro non » mihi credi nisi faciam, et ei qui mihi non credit non » expedire quod non credat : hac perpensa ratione et con- » sideratione librata, cum magno timore dico : Coram » Deo; testis est Deus; aut : Scit Christus sic esse in animo » meo, etc. »

In consuetudine frequenter jurandi adest periculum scandali aut perjurii, sicut advertit S. Aug., et sub his respectibus juramentum indiscretum potest esse mortale : seclusis vero contemptu, gravi scandalo et perjurii periculo, peccatum veniale non excedit, ut omnes theologi etiam rigidiores fatentur, quia tunc gravem irreverentiam erga Deum non continet.

2° *Requiritur justitia.*

Justitia juramenti in eo consistit quod assertio rei, sive præsentis, sive futuræ, nullam lædat virtutem. Unde quæstio est an uti juramento ad affirmandam vel promittendam rem illicitam sit peccatum, et quale peccatum.

Plurima sunt certa et alia dubia. Certum est 1° promittere sub juramento aliquid mortaliter malum facere v. g., homicidium, fornicationem, esse peccatum mortale, sive adsit intentio implendi, quia Deus invocatur ut iniquitatis patronus; sive non sit intentio rem sic promissam propter juramentum facere, ut Herodes quando decollavit Joannem Baptistam, esse blasphemiam : unde qui rem malam sub juramento promisit, graviter peccavit, et eam faciendo dupliciter adhuc peccaret, scilicet contra virtutem cui per se opponitur, et contra religionem; 3° uti juramento ad consummandum peccatum, v. g., ad persuadendam detrectationem, ad seducendam

puellam, peccatum esse mortale, quia sic jurans Deum facit, quantum in se est; peccati sui complicem; quod probabilius dici debet, etiamsi peccatum sit veniale. Idem probabilius dicendum esse æstimat *Billuart* de eo qui, propria narrans peccata, jactantiæ causa, illa juramento confirmat ut majorem inde percipiat gloriam.

An vero mortaliter peccet qui promisit sub juramento rem venialiter malam se facturum, non sibi consentiunt auctores : affirmat S. Ligorius, l. 3, n. 146, cum quibusdam aliis, quia gravis ipsi videtur irreverentia Deum invocare in testem ac fidejussorem peccati quantumvis levis. Negant alii communius, ut Cajetanus, *Soto*, Navarrus, S. Antoninus, Sylvius, Lessius, *Layman*, *Suarez*, P. *Antoine*, *Collet*, *Billuart*, etc., dicentes injuriam erga Deum tunc sibi non videri gravem. Prior sententia probabilior nobis videtur; si enim qui juramento utitur ad perficiendum peccatum leve, v. g., ad persuadendum alteri ut mentiatur, mortaliter peccet, ut probabilius docetur, cur non is qui per juramentum intendit se obligare ad faciendam rem venialiter malam? Si intentionem rem faciendi non haberet, perjurus esset et mortaliter peccaret.

At qui jurat aliquid contra consilia Evangelica, v. g., se non daturum eleemosynam, venialiter tantum peccat, secluso contemptu et scandalo, quia non videtur eadem erga Deum irreverentia. *Ita communiter theologi.*

3° *Requiritur veritas.*

Veritas ad juramentum requisita est conformitas dictionis cum mente jurantis : excludit igitur omne mendacium, non vero errorem. Unde contingere potest ut quis in veritate juret, quamvis falsum dicat, si nempe bona fide credat esse verum; et, e contra, verum dicat et pejeret, si videlicet arbitretur se mentiri.

Quoties autem juratur falsum cognitum, id est quoties mendacium juramento confirmatur, peccatum est mortale, sive materia sit gravis, sive sit levis, sive seria, sive

jocosa, quia gravis committitur irreverentia erga Deum qui adducitur in testem falsitatis, quasi vel ipse veritatem nesciat, vel velit aut possit decipere, falsum testando. Tale juramentum est perjurium, quod nunquam est veniale, nisi defectu advertentiæ aut consensus, ut omnes fatentur.

Qui autem temere jurat, absque sufficienti examine, ut veritatem rei cognoscat, mortaliter vel venialiter peccat, ratione suæ negligentiæ et periculi cui se exponit falsum jurandi.

Non tamen absoluta requiritur certitudo ad licite jurandum, alioquin fere nunquam liceret jurare; sed sufficit certitudo moralis de veritate assertionis aut de futura adimpletione promissionis, quia communiter sola hæc certitudo in actibus humanis obtinetur.

Apud omnes constat perjurium semper esse, ratione sui, peccatum mortale, quia per se gravem injuriam Deo infert; sed omnes pariter fatentur illud excusari posse a toto vel saltem a tanto, et fieri veniale defectu animadvertentiæ aut consensus. Hinc docet S. Ligorius, lib. 3, num. 150, rusticos malitiam perjurii non intelligentes, et consuetudinem pejerandi habentes, non statim de gravitate peccati monendos esse, ne a peccatis materialibus ad formalia transeant, sed prudenter hortandos ut deinceps falsum jurare desinant.

Ex principiis a nobis positis in Tractatu *de Actibus humanis*, ubi de cooperatione ad aliorum peccata, sequitur 1° juramentum exigi non posse, sine causa sufficienti, ab eo qui prævidetur falsum juraturus, et 2° licite exigi posse ubi justa existit causa illud petendi, nempe necessitas vel gravis utilitas, quia tunc soli pejeranti est imputabile.

§ V. — De obligatione juramenti.

1° Juramentum assertorium nullam imponit obligationem adimplendam : vel conditionibus requisitis est vestitum, vel non. In priori casu est licitum; in posteriori est peccatum, ut patet ex dictis.

2° Juramentum promissorium spectari potest vel quoad actum præsentem, vel quoad futurum. Quoad actum præsentem spectatum, est assertorium, et sub eo respectu importat firmam intentionem rem promissam faciendi et persuasionem eam futuram esse possibilem ac licitam : secus verum esset perjurium atque grave peccatum.

3° Consideratum vero quoad futurum, vel est de re illicita, vel de re licita : si sit de re illicita, nullam imponit obligationem, ut supra diximus; si sit de re licita, attendendum est an jurans habuerit 1° intentionem jurandi, 2° intentionem se obligandi, 3° intentionem adimplendi obligationem sibi impositam, et 4° an res promissa sit possibilis et utilis. Pro diversis his suppositionibus diversæ sunt solutiones.

4° Qui coram judice vel in contractibus jurat sine intentione jurandi, mortaliter peccat, ob gravem injuriam quam infert Deo et proximo. Ad rem sic promissam non tenetur vi juramenti, quod est nullum, sed vi justitiæ naturalis. At si extra judicium et contractus, cum firmo rem faciendi proposito, tale emittat juramentum, venialiter tantum peccat, juxta S. Ligorium, l. 3, n. 172, et plures apud ipsum, quia ex nullo capite gravis videtur offensa erga Deum. Semper autem peccatum erit saltem veniale, ut patet, tum ex allegatis, tum ex sequenti propositione ab Innocentio XI die 2 martii 1679 damnata : « Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive » res sit levis, sive sit gravis. »

5° Qui jurat sine animo se obligandi, sed cum intentione implendi, secundum plures mortaliter peccat, quia gravis videtur irreverentia erga Deum, eum adducere in testem exterius, et interius nolle testimonio ejus obstringi. Sic Cajetanus, S. Antoninus, Navarrus, *Lacroix*, Tamburinus, etc. Alii vero, inter quos *Sanchez* et S. Ligorius, contendunt peccatum esse duntaxat veniale; nam, inquiunt, sic jurans falsum non asserit, cum habeat intentionem implendi, sed tantum emittit juramentum quo non vult ligari : idem facit ac ille qui jurat sine intentione jurandi. Ergo.

Qui autem jurat cum animo jurandi et non se obligandi, teneturne juramentum servare? Non sibi concordant auctores. Plures negant, quia Deus juramenta promissoria non acceptat, nisi secundum intentionem jurantium, et ad confirmationem hujus rationis plura exhibent testimonia juris canonici, S. Thomæ et aliorum theologorum. Multi vero alii tenent juramentum esse servandum; nam qui jurat cum animo jurandi, verum emittit juramentum et propter divini nominis honorem tenetur, quantum in se est, efficere ut quod juravit sit verum : dicere obligationem separari posse a vero juramento, est subtilitas absurda. Utraque opinio probabilis videtur S. Ligorio, qui tamen priorem æstimat probabiliorem, quia posterior supponit ut certum quod in quæstione est, scilicet juramentum sine intentione se obligandi verum esse juramentum. Aliunde juramentum naturam promissionis quam confirmat sequitur : at promissio sine animo se obligandi non est vera promissio : ergo nec juramentum, etc.

6º Qui cum animo jurandi et se obligandi jurat, sine vera intentione adimplendi, mortaliter peccat, siquidem deest veritas, et insuper rem promissam adimplere tenetur; habuit enim, ut supponitur, intentionem jurandi et se obligandi : obligationem igitur sibi vere imposuit : ergo, etc. Qui simpliciter jurat, jurare volens, licet de obligatione juramenti non cogitet, obligationem reipsa contrahit eamque tenetur adimplere, quidquid de illius adimpletione sibi proposuerit.

7º Si objectum juramenti sit futile et vanum, *a fortiori* si aliquid jactantiæ contineat, v. g., si quis juraverit se talem distantiam intra quinque minutas esse transiturum, se tale onus portaturum, tot vini modios esse bibiturum, etc., ad hæc facienda non tenetur; repugnat enim hæc propter honorem Dei fieri. Hinc, ut sapienter notat S. Ligorius, cum *Layman* et aliis, n. 186, parentes et domini jurantes se filios vel famulos esse punituros, raro peccant si juramentum non impleant, vel quia delinquentes jam emendati sunt, vel quia emendationem promiserunt, vel

quia juramentum fuit de futili, vel quia jurantes intentionem jurandi et se obligandi non habuerunt, sed tantum terrendi.

8° Ubi autem res sub juramento promissa est licita, et saltem utilis, id est vergens in honorem Dei vel utilitatem proximi, nec impedit majus bonum, stricta existit obligatio, vi juramenti, eam præstandi; qui enim suam promissionem juramento confirmavit, Deum in testem suæ fidelitatis adduxit : si ergo rem promissam non præstet, Deum falsi testem inducit quantum in se est, ac proinde graviter illum offendit, saltem si materia sit gravis : omnes consentiunt. Si autem materia sit levis, non ita sibi concordant : Cajetanus, Lessius, *Bonacina*, *Collet*, et alii dicunt peccatum esse mortale, quia Deum facere testem falsi, leve peccatum esse non potest; res promissa, quæ levis quidem esse potest, non est objectum actus juramenti, bene vero honor Dei : at honor Dei nunquam leviter sumi potest : ergo.

Alii communius, ut S. Antoninus, Sylvester, *Soto*, Navarrus, *Suarez*, *Sanchez*, Sylvius, P. *Antoine*, *Billuart*, S. Ligorius, docent obligationem juramenti in eo casu esse tantum sub veniali; nam, inquiunt, 1° qui rem aliquam promittit cum juramento, Deum invocat ut testem sui propositi : unde si ficte promitteret, perjurii ac consequenter gravis peccati etiam in materia levi reus esset. Sed ubi sincere promisit ac juravit, et, voluntate mutata, rem promissam non præstat, est tantum infidelis, et non perjurus. Hæc autem infidelitas est gravis vel levis, secundum materiam; non vero essentialiter mortalis, etsi aliquam contineat irreverentiam erga Deum, propter juramentum. 2° Qui in humanis contractibus adducitur ut testis, non censetur falsus testis si obligatio contractus non impleatur, licet aliqua ei fiat injuria; sed tantum si res, in momento contractus, non fuisset ut ipse testimonio suo confirmabat : ergo a pari, etc.

9° Si res sincere promissa et jurata sit gravis, et modica pars ejus omittatur, ut certum habetur peccatum non esse mortale, quia non existit perjurium in jurando,

nec graviter fit injuria Deo in modicam partem omittendo. Hinc, ut ait S. Ligorius, n. 173, cum *Busenbaum* et aliis, qui juravit se non bibiturum vinum, mortaliter non peccat parum bibendo; qui jurant servare statuta alicujus capituli vel alterius communitatis, a mortali excusantur si parum aliquod statutum postea violent. Item qui juravit se aliquam pecuniæ summam daturum pauperibus, et aliquid parvum detrahit; qui juramentum fidelitatis et obedientiæ præstitit prælato, principi, etc., et in rebus parvi momenti suæ promissioni deest, mortaliter non peccat.

10° Promissio serio facta et acceptata dat jus reale, et transit ad hæredes; obligatio vero juramenti est vinculum personale, ac proinde nunquam transire potest ad jurantis hæredes; hi tamen onera realia ejus cui succedunt implere tenentur, sed non vi juramenti.

11° Qui obedientiam aut fidelitatem alteri ratione dignitatis et officii juravit, v. g., Papæ, episcopo, principi, cunctis successoribus ejus in eadem dignitate vel officio, vi juramenti sui obligatur; quia non tali homini jurasse censetur, sed talem dignitatem habenti, et sic habetur in Decretal. l. 2, tit. 24, *de Jurejurando*, cap. 14.

Advertendum quod in juramento fidelitatis et obedientiæ ea tantum comprehendantur quæ ad officium jurantis pertinent; juramentum enim non obligat ultra intentionem illud emittentis; sed qui suam obedientiam vel fidelitatem alicui sub juramento obstringit, eam promittere non intendit nisi in ordine sibi proprio, v. g., episcopus obligationem sibi non imponit officia magistratus implendi, nec magistratus officia militaris, etc.

12° Magna quæstio est an juramentum ex metu injuste incusso ad illud extorquendum emissum, obliget coram Deo : plures negant, quia promissio sic jurata irrita est vel rescindibilis; sed alii multo plures longe communius et probabilius affirmant. Rationes eorum sunt 1° auctoritas juris canonici : in Decretal. l. 2, tit. 24, *de Jurejurando,* cap. 15, dicitur Ecclesiam solere a juramento per metum extorto absolvere, et tamen non dicitur licitum

esse eis qui sic jurant *ut juramenta non servent.* 2° Tenemur efficere propter honorem Dei, ut quod juravimus fideliter præstetur : ergo, etc. Ita S. Th. 2 2, q. 89, art. 7 ad 3; *Bonacina*, Lessius, *Suarez*, *Viva*, S. Ligorius, etc. Notant autem eum qui passus est metum et sic juravit, dispensationem ab episcopo sollicitare, vel rem jam solutam in judicio repetere posse, quia juramento satisfecit, et dominium reipsa non transtulit. De hoc specialiter dicemus in Tractatu *de Contractibus*, ubi de promissione cum juramento.

13° Si juramentum errore vel dolo fuerit extortum, attendendum est an error vel dolus redundet in substantiam rei, ad sensum in Tractatu *de Contractibus* explicatum, an tantum in accidentia. In priori casu, non obligat juramentum, quia nulla est promissio cui apponitur, in posteriori casu valet, propter rationem oppositam.

14° Juramentum in favorem tertii emissum semper obligat, quoties impleri potest sine peccato, etiamsi promissio cui annectitur esset jure positivo irrita. Ita *Sanchez*, qui asserit hoc apud omnes esse certum : unde qui promisit et juravit se soluturum esse usuras, eas solvere tenetur, etsi promissio jure sit nulla, sed eas absque injustitia repetere posset. Excipitur si irritatio ob bonum commune instituta esset, quia juramenti impletio illicita foret. Vide quæ dicuntur in Tractatu *de Contractibus*, 1ª part. cap. 5, art. 2, § 2.

15° Quærunt theologi an juramentum alteri juramento oppositum sit validum, et distinguunt, dicentes : Si juramentum alteri opponitur in actu jurandi, v. g., si quis juraverit se nunquam juraturum, et tamen juret se jejunaturum, se eleemosynam daturum, valet posterius juramentum licet fuerit illicitum, quia ipsius materia est licita et bona : si vero sit oppositum in ipsa jurationis materia, v. g., Petrus juravit Paulæ se eam ducturum et deinde idem jurat Annæ, posterius juramentum est nullum, quia est de re illicita.

§ VI. — De interpretatione juramenti.

Ubi de intentione jurantis constat, nulla interpretatione opus est; sed promissio jurata in simplicitate exsequenda est.

At sæpe contingit ut exsurgat dubium circa juramenti extensionem, an scilicet hi vel illi casus sub eo comprehendantur : tunc genuinus illius sensus exquirendus est, et sequentes statuuntur regulæ.

Prima regula. Juramentum explicandum est juxta naturam actus cui adjungitur; obligationem enim illius firmat, vinculum religionis ei addens, sed objectum ejus non mutat : easdem igitur conditiones, interpretationes et exceptiones admittit. Unde qui sponsalia juravit non magis ea servare tenetur, sponsa fornicante, quam si non jurasset; qui juravit se soluturum quod debet, juramentum implet justa utendo compensatione, modo ei non renuntiaverit. Fieri tamen potest ut contractus sit nullus, et valeat juramentum, si nempe jurans juri suo renuntiare potuerit et voluerit.

Secunda regula. Juramentum in dubio stricte interpretandum est, id est, in favorem libertatis, tum propter gravem religionis obligationem quam continet, tum propter perjurii periculum : quod verbis aperte non expressum est, censetur omissum. Sic eruitur ex Decretal. l. 5, tit. 40, cap. 19; ex Sexto, l. 2, tit. 1, cap. 1, et ex regula juris 15, *Odia restringi*, etc.; et ita sentiunt communiter doctores, ut videre est apud *Suarez*, l. 2, cap. 32, n. 7, *Ferraris*, verbo *Juram.*, art. 3, n. 1, *Collet* et *Billuart*. Hinc inferunt theologi :

1° Juramentum servandi statuta alicujus communitatis intelligendum esse de iis quæ vigent aut necessario vigere debent, non vero de iis quæ abrogata sunt, nec de iis quæ nondum prodierunt, nisi contrarium aliunde constet, ex Decretal. l. 2, tit. 24, cap. 35. Inde et ex n. seq. concipitur sensus juramenti Constitutioni et legibus, apud nos et nunc etiam in pluribus regnis, præstiti;

2° Eum qui alteri juravit obedientiam, non teneri ad illicita, nec ad impossibilia, nec ad nimis gravia quæ in ipsius intentione verisimiliter cadere non potuerunt. Sic ipse *Collet;*

3° Episcopum qui juravit se bona Ecclesiæ non esse alienaturum, non peccare si ea justa de causa et servatis a jure præscriptis, in pias causas impendat. Decretal. l. 3, tit. 48, cap. 1;

4° Ei qui juravit residentiam, licitum esse non residere in casibus a jure permissis, ut habetur in Decretal. l. 3, tit. 4, cap. 13, quia tunc censetur præsens;

5° Juramentum servandi leges intelligendum esse secundum morem eas interpretandi, ita ut obliget sub gravi vel sub levi, vel sub pœna tantum, sicut ipsæ leges et non ultra, obligationi naturali addens vinculum religionis. Ita Sylvius, *Layman, Billuart,* etc.;

6° Juramentum de servandis sub secreto eis quæ in capitulo, in concilio, in aliave congregatione noscuntur, intelligi debere secundum naturam rei, ita ut circa materiam gravis momenti obliget sub mortali; circa materiam levem, sub veniali; circa materiam nullius momenti, sub nulla culpa. Ita Sylvester, *Layman, Billuart,* etc.

Tertia regula. In omni juramento, præter limitationes ab ipso jurante appositas, quædam subintelliguntur conditiones sive ex natura rei, sive ex dispositione juris, sive ex communi hominum sensu fluentes, ut ex Decretal. l. 2, tit. 6, cap. 25, eruitur et generaliter docent auctores. Illæ conditiones subintellectæ sunt :

1° *Si potero,* seu *quantum in me erit,* id est, si jurata non fiant illicita, impossibilia, difficilia aut nimis gravia, seu cum ea difficultate quæ prævisa juramentum emittere veri similiter impediisset.

2° *Salvo jure et auctoritate superioris :* sic expresse habetur in Decretal. l. 2, tit. 24, cap. 19, ubi legitur : *In quo* (juramento) *debet intelligi jus superioris exceptum;* et ratio hoc sufficienter dictat.

3° *Nisi is in cujus gratiam juratur sponte remiserit,* quia

liberum est unicuique juri suo renuntiare, et tunc obligatio juramenti subsistere non potest; repugnat enim dari obligationem beneficium alteri invito conferendi.

4° *Si res in eodem statu permanserint,* id est non fuerint notabiliter mutatæ, nam verisimile non est jurantem habuisse intentionem se in eo casu obligandi, et id colligitur ex pluribus capitibus juris, ex Decretal. l. 2, tit. 24, cap. 16, 17, 25 et 31.

5° *Si altera pars fidem servaverit;* quia, ut fert adagium regula juris 75 fundatum, *frangenti fidem non debetur fides.* Unde princeps, qui pace inita cum inimico, juravit se conditiones illius servaturum, juramento non tenetur si adversarius novam dederit causam belli.

6° *Si non adsit ratio sufficiens propositum mutandi:* quia juramentum promissioni, contractui vel proposito adjunctum, naturam ejus non mutat, ut jam diximus et omnes fatentur. Hinc qui juravit se ante alterum domum non ingressurum, non sessurum, non bibiturum, etc., contra juramentum non peccat, si coactus cedat, quia sufficiens adest ratio propositum mutandi. Sic *Bonacina, Sanchez,* Lessius, *Busenbaum,* etc.

§ VII. — De cessatione obligationis juramenti.

Juramenti obligatio vere contracta tolli potest per sequentes causas, nempe circumstantiarum mutationem, causæ finalis cessationem, irritationem, remissionem, dispensationem et commutationem.

1° *Per circumstantiarum mutationem,* videlicet, 1° si quod bonum erat tempore juramenti, factum fuerit illicitum, vanum, majoris boni impeditivum, et melius sit illud omittere quam facere; 2° si status rei notabiliter fuerit mutatus, v. g. : jurasti te aliquem puniturum : supplici et veniam petenti condonare potes absque perjurio; 3° si res jurata facta fuerit ad finem intentum inutilis, v. g., si ex correctione filii prævideatur illius obstinatio, obduratio, uxoris imprecatio, ira, etc., vel si pœna

jurata felicem exitum habere non debeat : hæc ex jam dictis sufficienter intelliguntur.

2° *Per causæ finalis cessationem;* tunc enim intelligitur obligationem promissionis subsistere non posse : ergo nec vinculum juramenti. Unde promisisti cum juramento te daturum eleemosynam tali pauperi qui factus est dives, te domum talis mulieris tibi periculosæ non ingressurum, et illa moritur, etc., jam non teneris juramento. Secus, si sola causa impulsiva cessaret. Hæc patent et apud omnes habentur ut certa.

3° *Per irritationem.* Duplex distinguitur irritatio, una directa et altera indirecta. Directa ea est quæ fit ab habente potestatem in voluntatem jurantis, et indirecta, quæ fit ab habente potestatem in materiam juramenti.

Nemo per juramentum alterius jura transferre aut lædere potest, alioquin juramentum esset vinculum injustitiæ.

Unde 1° pater et tutor quæcumque pacta jurata impuberis, juxta sententiam communem, directe, vi potestatis suæ naturalis, irritare possunt, quia impubes non censetur capax obligationem sibi, sine patris aut tutoris consensu, imponere. Ita *Covarruvias*, *Suarez*, *Layman*, Lessius, *Ferraris,* etc. Defectu patris et tutoris, mater juramenta et vota impuberis irritare potest. Ita *Suarez, Henno, Sporer* et *Ferraris,* art. 8, n. 30.

2° Si materia alterius dominationi subjecta cum juramento fuerit promissa, dominus actum jurantis indirecte potest irritare. Hinc filiifamilias juraverunt se eleemosynam de bonis paternis daturos, uxor de bonis communibus, vel se ad talem ecclesiam aut capellam peregrinaturos ; pater et maritus hæc juramenta irritare possunt.

4° *Per remissionem;* id est, si is in cujus gratiam emissum est juramentum, debitum remittat, obligatio juramenti cessat, quia beneficium non confertur invito : jura vero tertii sic remittere non posset, ut patet. Unde si duo mercatores jurassent se partem mutui beneficii pauperibus erogaturos esse, tale juramentum sibi remittere non possent.

5° *Per dispensationem.* Existere in Ecclesia potestatem relaxandi juramenta, per dispensationem seu vinculi absolutionem, constat 1° ex verbis Christi apud Matth. XVIII, 15 : *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo,* quæ cum generalia sint, ad omne vinculum spirituale extenduntur; 2° ex constanti usu et praxi Ecclesiæ quæ privilegio infallibilitatis gaudens, in re tanti momenti errare non potuit sibi arrogando potestatem quam non habuisset.

Hanc potestatem habet summus Pontifex per totam Ecclesiam, et episcopus in sua diœcesi, exceptis materiis summo Pontifici reservatis, de quibus infra dicemus agendo de votis reservatis. Eamdem ac episcopus habent potestatem vicarii capitulares, sede vacante.

Dispensatio non efficit ut juramentum existens non obliget, quod esset contra jus divinum naturale et positivum : sed vinculum spirituale nomine Dei solvit, et tunc juramentum amplius non existit.

Juramentum in favorem tertii emissum et promissioni ab eo acceptatæ junctum, ordinarie relaxari non potest per dispensationem, quia ille cui juratum est, per promissionem factam et acceptatam verum acquisiit jus quo invitus privari non potest. Ita S. Th. 2 2, q. 89, art. 9 ad 3, et communiter theologi.

Diximus *ordinarie,* quia nonnulli occurrunt casus in quibus tale juramentum relaxari potest, nempe 1° si bonum commune id postulet; bonum enim particulare seu privatum bono communi cedere potest, et hoc judicium ad summum Pontificem maxime pertinet, ut communiter aiunt doctores, cum S. Th. 2 2, q. 89, art. 9 ad 3. Aliquando tamen potest episcopus, juxta causarum qualitatem, relaxare juramentum alteri præstitum, propter bonum commune, v. g., juramentum malefactorem non denuntiandi, non accusandi, etc. Ita Sylvester, *Suarez, Layman, Ferraris,* etc. 2° In pœnam criminis ab eo cui præstitum est juramentum commissi. Sic in Decreto, 2ª part., causa 25, q. 6, can. 4 et 5, expresse declarant Gregorius VII et Urbanus II juramentum fidelitatis non

esse servandum excommunicatis quoadusque ad satisfactionem veniant; nulla enim ratione repugnat Ecclesiam a sancto Spiritu directam habere potestatem hujusmodi pœnas subjectis per modum salutaris pœnitentiæ infligendi, ut eos ad resipiscentiam adducat. 3° Ratione gravis injuriæ juranti illatæ, sive ab eo cui præstitum est juramentum, sive ab aliis ei adhærentibus, quia, v. g., juramentum ab eo per dolum, vim aut metum fuit extortum; is enim in cujus gratiam tale juramentum fuit extortum, injuriam quam passus est jurans reparare tenetur ex justitia : non habet ergo jus strictum rem sub juramento promissam exigendi. Unde vinculum juramenti est tantum religiosum : ergo potestate ecclesiastica solvi potest. Ita *Suarez, Layman, Ferraris* et communiter alii, dicentes hujusmodi juramentum relaxari posse ab episcopo vel alio prælato jurisdictionem quasi episcopalem habente.

Dicunt insuper judices sæculares tale juramentum indirecte relaxare posse, remittendo, nomine illius cui juratum est, obligationem solvendi, quam ipse remittere deberet. *Ferraris,* verbo *Juram.*, art. 3, n. 35.

6° *Per commutationem.* Commutatio juramenti in eo consistit ut sub eodem religionis vinculo una materia alteri subrogetur, et sic differt 1° ab irratione, qua tota obligatio juramenti sine causa et pro semper tollitur; 2° a dispensatione, qua eadem obligatio relaxatur etiam pro semper, sed non sine legitima causa : superior enim valide dispensare non potest, sine justa causa, a juramento. Commutatio autem vinculum juramenti non tollit, sed tantum materiam ejus mutat. Si tamen materia Papæ reservata in materiam non reservatam mutaretur, tunc reservatio amplius non existeret.

Juramenta in honorem Dei facta proprio jurantis arbitrio in rem evidenter meliorem mutari possunt, quia Deus quod evidenter melius est gratum habet, v. g. : jurasti te quinque *Pater* et *Ave* in honorem Dei recitaturum; hoc juramentum in recitationem coronæ quinque *decanarum* mutare potes. At mutari non possunt in rem

minorem, nisi ab eo qui habet potestatem dispensandi, siquidem hujusmodi mutatio est sub aliquo respectu vinculi relaxatio.

Juramenta in favorem tertii mutari nequeunt neque in rem meliorem, neque in deteriorem, sine consensu illius qui per illa jus acquisiit, exceptis casibus boni publici, justæ punitionis aut gravis injuriæ supra memoratis : *idque patet ex dictis.*

Quæritur 1° quid sentiendum sit de sociis dictis *Francs-maçons* et de juramento apud eos usitato.

R. 1. Prima hujus generis societas secreta, gallice *loge*, instituta fuisse videtur in Gallia, anno 1725, a *Dervent-Water* et aliis quibusdam Anglis. Aliæ postea variis in locis prodierunt, sub directione unius præfecti generalis vocati *grand-maître,* vel *grand-orient.* Hæc dignitas collata fuit anno 1738 viro nobili, *le duc d'Antin,* et anno 1741 comiti *de Clermont*, ex sanguine regio et stipite Condatensi (*de Condé*) *:* deinde fere semper aliis viris ortu, statu sociali vel divitiis insignibus.

Istiusmodi socii, dicti *Francs-maçons,* valde multiplicati sunt per omnes Europæ regiones, in America et in aliis mundi partibus. Prætendunt se ortum habuisse a quodam Adonhiram, tempore Salomonis existente; sed probabile est eos ultra bella sacra (*les croisades*) non ascendere, et sic incœpisse : Christiani inter Sarracenos dispersi nonnulla instituerunt signa quæ sub altissimo secreto servabant et quibus sese in omnibus circumstantiis agnoscere possent. Quoniam in primis sibi proponebant ecclesias ab infidelibus destructas reædificare tempore opportuno, vocari voluerunt *muratorii,* et nomina sua symbolica ab architectura ut communius desumpserunt. Dicti sunt *franci*, seu *liberi muratorii,* vel quia plerique erant e Francia, vel quia liberi esse volebant, et in sua societate a qualibet auctoritate independentes.

Novos non admittunt socios nisi eos bene noverint, diu probaverint, et sub terribilibus juramentis ab eis exigunt promissionem nunquam revelandi ea quæ didicerint; eos per diversos gradus ascendere faciunt, et perpauci

plenam secretorum notitiam obtinent. Omnes tamen initiati communia habent signa quorum ope per mundum universum sese agnoscere possunt, et quæ nulli profano manifestare debent.

Ex multis documentis infertur has societates nunc merum profiteri deismum, omni religioni revelatæ esse infensas et maximam velle independentiam ab omni auctoritate spirituali ac temporali, sub prætextu quod omnes homines natura sint æquales et velut fratres vivere debeant.

Aliæ sunt societates secretæ his similes vel affines vel conjunctæ, et tantum diversis nominibus designatæ, *illuminati* in Germania, *carbonari* in Italia, *radicaux* in Anglia, *communeros* in Hispania, etc.

R. 2°. Summi Pontifices Clemens XII, per bullam *In eminenti*, diei 28 aprilis 1738; Benedict. XIV, per alteram bullam *Providas Romanorum Pontificum*, prohibuerunt « ne quis sub quovis prætextu aut quæsito colore adeat » vel præsumat prædictas societates inire, vel propagare, » confovere aut in suis ædibus seu domibus vel alibi » receptare atque occultare, iis adscribi, aggregari, aut » interesse, vel potestatem seu commoditatem facere ut » alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, sive » alias consilium, auxilium vel favorem, palam aut in » occulto directe vel indirecte, per se vel per alios quoquo modo præstare, nec non alios hortari, inducere, » provocare aut suadere ut hujusmodi societatibus adscribantur, annumerentur, seu intersint, vel ipsos quomodolibet juvent ac foveant; sed omnino ab iisdem societatibus, cœtibus, conventibus, collectionibus, aggregationibus seu conventiculis prorsus abstinere se debeant, » sub pœna excommunicationis per omnes, ut supra, » contrafacientes ipso facto absque ulla declaratione » incurrendæ, a qua nemo per quemquam, nisi per nos, » seu Romanum pontificem pro tempore existentem, » præterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis » beneficium valeat obtinere. » Sunt verba Bened. XIV. Pius VII, die 10 septemb. 1821, et Leo XII, die 3 mar-

tii 1826, eamdem prohibitionem sub iisdem pœnis renovarunt.

Rationes hujus prohibitionis sunt : 1° temeritas juramenti super ignota emittendi ; 2° legitima suspicio perversi finis ab his societatibus nunc intenti ; 3° inviolabile secretum quo singuli socii se astringunt non revelandi quæ viderint vel audierint etiam auctoritati legitime interroganti.

Quæritur 2° quid sentiendum sit de juramento quo se obstringunt socii artifices dicti *Compagnons du devoir.*

R. P. *Le Brun*, in sua Historia superstitionum, t. IV, refert quod ad recipiendos novos hujusmodi socios multæ adhibeantur cæremoniæ impiæ, superstitiosæ, sacrilegæ, sanctissimorum religionis christianæ mysteriorum derisoriæ, v. g., Passionis Domini nostri Jesu Christi, Baptismi, sacrificii missæ simulationes ; recipiendi jurant super sancta Evangelia et per suam partem paradisi se nunquam esse revelaturos, ne quidem in confessione, ea quæ visuri vel audituri sunt.

Subjungit idem auctor plures Sorboniæ doctores, hac de re consultos, post maturum examen, declarasse, die 14 martii 1645, neminem posse, sine peccato mortali, in has societates intrare, in iis manere, vel se tanquam earum membrum ostendere ; imo teneri sub peccato mortali ea nefanda secreta judicibus ecclesiasticis et etiam civilibus revelare, si prævideat quod talis revelatio ad ea abolenda inservire possit.

Si ergo socii, vulgo *Compagnons du devoir*, tribunal sacrum adeant, interrogandi sunt circa juramentum quod præstiterunt et cæremonias quarum fuerunt testes vel participes : non obstante suo juramento, respondere tenentur. Ex hypothesi quod præfatas superstitiones et sacrilegas simulationes confiteantur, decisio doctorum Sorbonicorum et P. *Le Brun* eis applicanda est : si vero ut pluries evenit, contendunt se nihil omnino vidisse nec religioni aut bonis moribus adversum, sed tantum signa et officia mutuæ charitatis vel assistentiæ, revelatio secreti exigi non potest, nec absolutio eis deneganda est ;

nam fides adhibenda est pœnitenti, quoties evidenter non constat illum decipere velle.

Quæritur 3° an qui juravit se non revelaturum remedium quod novit sub secreto, juramentum servare teneatur.

R. Si revelatio in detrimentum alicujus personæ vel familiæ vergeret, sine utilitate publica, juramentum illud servandum esset, ut non obscure patet : secus, certe non obligaret, quia repugnat juramentum contra bonum publicum obligare : tunc enim esset vinculum iniquitatis.

§ VIII. — De adjuratione.

1° Adjuratio est interpositio Dei vel rei sacræ, cujus reverentia aliquem ad aliquid præstandum movere intendimus. Deum igitur non adducit in testem, ac consequenter a juramento essentialiter differt.

2° Duplex distinguitur adjuratio, una deprecativa, quæ fit per preces, v. g., *Obsecro vos per misericordiam Dei,* Rom. XII, 1, et altera præceptiva, quæ fit cogendo, v. g. : *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei,* Matth. XXVI, 63.

3° Primus modus exercetur respectu Dei, superiorum et æqualium ; aliquid enim per eos rogare possumus. Si per Deum, est actus latriæ ; si per Sanctos quatenus attributa Dei in eis relucent, est etiam indirecte actus latriæ ; si vero per Sanctos ut tales, est actus duliæ, et si per B. Virginem Mariam, hyperduliæ ; si per alios homines, est duntaxat actus civilis. Secundus modus exercetur respectu inferiorum et dæmonum : iis solis imperare licet.

4° Creaturæ irrationales secundum se adjurari non possunt, quia deprecationis vel imperii suscipiendi non sunt capaces : quatenus vero ab alio moventur, utroque modo adjurari possunt, vel eo sensu ut Deus aut Sancti exorentur, vel eo sensu ut dæmoni imperetur : v. g., sol, aqua, nubes adjurantur, ut Deus his rebus utentibus

assistat; vel altera intentione, ut diabolus ab eis abscedat, aut per eas nocere non præsumat.

4° Duplicis generis sunt adjurationes, aliæ quippe solemnes et aliæ privatæ. Solemnes eæ sunt quæ fiunt nomine Ecclesiæ contra dæmonum infestationes, et vocantur exorcismi, de quibus supra, p. 229 et seq. diximus, ac solis episcopis reservantur. Privatæ vero non reservantur et unusquisque eas adhibere potest, modo tres adsint conditiones, sicut in juramento, nempe veritas, justitia et judicium : 1° veritas, id est, ut adjurans obtinere intendat quod petit, et vera sit causa ob quam petit; communiter tamen docent theologi carentiam hujus conditionis raro peccatum veniale excedere; 2° justitia, id est, ut res petita sit licita : si enim graviter illicita esset, eam per adjurationem petens graviter peccaret; si leviter esset, eam petens venialiter peccaret, juxta Salmanticenses, *Sporer, Suarez, Bonacina, Sanchez,* etc., et mortaliter juxta *Elbel,* quem S. Ligorius citat et sequitur, quia gravis videtur irreverentia alterum per adjurationem Dei ad rem malam inducere; 3° judicium, id est conveniens discretio, qua deficiente, adjuratio est peccatum veniale, et non ultra, ait S. Ligorius, appendice de Adjur., l. 3, post. n. 183.

6° Dæmones nunquam adjurari possunt modo deprecativo, quia fieret cum ipsis associatio omnino prohibita, I Cor. x, 20 : *Nolo vos socios fieri dæmoniorum;* sed duntaxat modo imperativo, ad amovenda damna ab eis illata vel inferenda. Hinc communiter dicunt auctores a culpa gravi excusari non posse qui cum dæmone obsidente inutiles habet sermones, et aliud ab eo quærit quam quod ad ejus expulsionem conducit.

ARTICULUS TERTIUS.

DE VOTO.

Votum, secundum vim nominis, plures habet significationes : scilicet 1° sumitur pro desiderio vel proposito;

ut in Prov. xxxi, 2 : *Quid dilecte votorum meorum?* et in Canone Missæ, *Tibique reddunt vota sua;* quo sensu dicitur Baptismus in voto, id est in desiderio; 2° accipitur pro suffragio in electionibus, in conciliis et in aliis cœtibus deliberantibus; 3° significat promissionem Deo factam. De voto sub hoc respectu accepto nobis disserendum est, et illud cum omnibus theologis definimus : *Promissio deliberata Deo facta de meliori bono.*

Dicitur 1° *promissio*, id est, sincera voluntas se obligandi ; et sic votum essentialiter differt a proposito, quia propositum quantumvis firmum, vinculum obligationis non producit, et illius omissio non est peccatum, nisi propter animi inconstantiam, tædium aut negligentiam, et tantum est veniale peccatum.

Dicitur 2° *deliberata*, quia promissio subita et inconsiderata ad rationem voti non sufficeret : tanta requiritur advertentia, libertas et voluntatis consensio, quanta est necessaria ad peccandum mortaliter. *Ita communiter doctores.*

Dicitur 3° *Deo facta;* sola enim promissio Deo facta rationem voti habet et nomen retinet, secundum omnes Patres et doctores, theologos et canonistas. Unde promissiones B. Mariæ et Sanctis factæ non sunt vota, nisi quatenus primario factæ sunt Deo in honorem Sanctorum, vel coram Sanctis ut testibus, advocatis et intercessoribus. Unde qui vovet capellam vel statuam B. Mariæ, censetur eam vovere Deo in honorem B. Mariæ, et sic de cæteris.

Dicitur 4° *de meliori bono*, quia promissio Deo facta non est valida nisi a Deo acceptetur : Deus autem acceptare non potest, ut sibi gratum, actum malum vel indifferentem. Unde votum nubendi, saltandi, ambulandi, etc., esset nullam, nisi forte aliqua specialis circumstantia efficeret ut talis actus respectu alicujus individui melior esset opposito, v. g., susceptio prolis ad bonum publicum, deambulatio propter sanitatem.

Votum multipliciter dividitur, nempe :

1° In *reale, personale* et *mixtum*. Reale est illud quo

aliquid in se subistens a persona distinctum promittitur, v. g., calix, statua. Personale est illud quo actio duntaxat promittitur, v. g., jejunium, castitas. Mixtum rem et actionem simul complectitur, v. g., votum visitandi ecclesiam Lauretanam et ibi calicem offerendi.

2° In *temporale*, v. g., servandi castitatem per quinque annos, et *perpetuum*, puta, nunquam bibendi vinum per totam vitam.

3° In *explicitum*, quod positivis verbis exprimitur, et *implicitum*, quod actioni libere factæ annectitur, ut votum castitatis susceptioni subdiaconatus ordinis, juxta multos, annexum.

4° In *absolutum*, *conditionatum* et *pœnale* : absolutum a nulla conditione pendet, ut votum jejunandi, coronam recitandi, castitatem servandi ; conditionatum illud est quod sub aliqua emittitur conditione, v. g., puella vovet religionis ingressum si a tali periculo liberetur, vel tot jejunia aut tales preces si mater sanitatem recuperet; pœnale illud est quo aliqua vovetur pœna pro tali peccato subeunda, v. g. : Tot asses distribuero pauperibus quot verba blasphemiæ protulero.

5° In *solemne* et *simplex*. Votum *solemne* est illud quod per ipsam professionem emittitur in religione ab Ecclesia approbata tanquam perfecte regulari ; *simplex* vero est illud omne cui saltem una ex his conditionibus deest. Juxta communissimam et veram sententiam votum solemne a voto simplici ex natura sua non differt, sed tantum ex jure canonico. Tota igitur solemnitas voti a voluntate Ecclesiæ pendet. Ecclesia autem hanc solemnitatem non constituit in quodam ritu externo; ritus qualiscumque est omnino accidentalis. Votum solemne et votum simplex maxime effectu distinguuntur : votum enim solemne, ex voluntate Ecclesiæ, matrimonium et actus dominii per se ipsum irritat, id est efficit ut tali voto ligati nulliter contrahant; alii vero illicite, sed valide, nisi aliter statuerit Ecclesia, ut de facto statutum est pro religiosis e societate Jesu, qui prima emittunt vota.

Ultimam hanc divisionem præcipue attendentes, præsentem articulum in duobus dividemus paragraphis, quorum primus erit de voto in genere, et secundus de voto solemni seu statu religioso.

§ I. — De voto in genere.

Dicemus 1° de materia voti, 2° de ejus obligatione, 3° de ejus merito, 4° de illius interpretatione, et 5° de obligationis ejus cessatione.

Sectio prima. — De materia voti.

1° Materia voti debet esse possibilis, non tantum physice et absolute, sed moraliter et respectu voventis; votum enim est promissio Deo facta cum intentione se obligandi : nemo autem se obligare potest ad aliquid sibi moraliter impossibile. Hinc invalidum est, in sua generalitate, votum nunquam peccandi, quia, attenta fragilitate nostra, moraliter impossibile est nos vitare omnia peccata etiam venialia, nisi speciali auxilio Dei muniamur. Sed valeret votum omnia peccata mortalia vitandi, vel quædam venialia determinata, v. g., non mentiendi, ex vana gloria non loquendi, etc. Item validum esset votum nullum patrandi peccatum veniale cum plena deliberatione, quia cum auxilio Dei ordinario peccata venialia ex deliberatione perfecta vitari possunt. Ita *Suarez, Layman, Sporer, Ferraris* et S. Ligorius, contra Salmanticenses, *Sanchez* et alios.

S. Ligorius, l. 3, n. 203, non videtur approbare votum semper agendi quidquid intelligitur perfectius, referendo S. Theresiam tale emisisse votum ex speciali Spiritus sancti instinctu.

2° Si materia voti sit partim possibilis, et partim impossibilis, et aliunde divisibilis, nec alia fuerit intentio voventis, pars possibilis facienda vel præstanda est : quia, juxta regulam 37 juris canonici, *utile non debet per inutile vitiari :* sic qui vovit dare mille fr. pauperibus, et non

potest dare nisi centum, hos dare tenetur; qui vovit jejunare per hebdomadam, et jejunare non potest, ad partem possibilem tenetur. Contra vero, si materia vel actio dividi non possit; qui non potest totum, ad nihil tenetur, licet materia sit absolute divisibilis, si ex communi hominum sensu vel ex intentione voventis per modum unius apprehendatur; v. g., qui vovit peregrinationem nudis pedibus et in cilicio, si a peregrinatione valide impediatur, eo die nudis pedibus et cum cilicio ambulare non tenetur; quia, ex regula 42 juris, *accessorium naturam sequi congruit principalis.*

3° Materia voti debet esse moraliter bona, ut jam notavimus : unde opus lege naturali, divina vel humana prohibitum voveri non potest, et si voveretur, nullum esset votum. Item invalidum est votum ad impetrandam rem illicitam emissum, v, g., ad sumendam injustam vindictam, ad capessendam vanam gloriam, ad obtinendum impudicum puellæ amplexum, etc. Vovere rem impossibilem vel indifferentem, vel impeditivam melioris boni, non videtur per se excedere culpam venialem. At lethale est vovere rem mortaliter malam, imo et probabilius vovere rem venialiter malam. Valeret autem votum ex affectu ad rem bonam factum, licet ex causa vel occasione pessima; v. g. : Voveo peregrinationem, vel jejunium aut eleemosynam, si ex duello evasero salvus; quia licet mala interveniat causa, ea posita, petere incolumitatem est quid bonum.

4° Votum debet esse de re sua vel de opere proprio et non alieno; nullus enim rem vel actionem alienam valide promittere potest. Hinc nulla sunt vota parentum filios aut filias tali devoventium religioni, vel talem obligationem, v. g., certis diebus jejunandi, a carnibus abstinendi, Missæ assistendi, talem capellam visitandi, familiæ suæ imponentium : hi autem descendentes votis prædecessorum suorum non obligantur, nisi ea approbaverint. Ita pariter si communitas aliqua, ut monasterium, civitas, parochia, voveat in perpetuum jejunia, processiones aliasve solemnitates; soli personaliter voventes

tali voto ligantur; successores vero stricte non obligantur, nisi ratum habuerint votum. Unde in locis ubi quædam observantur festa ex votis antecessorum, *nullus est pœna cogendus,* inquit *Ferraris,* v° *Votum*, art. 1, n. 33, *ut illa die abstineat ab operibus servilibus.*

5° Opera præcepta materia voti esse possunt, quia nihil obstat quominus res eadem ex diversis titulis debeatur; hinc unusquisque vovere potest se non fornicaturum, se turpia non dicturum, se in quadragesima jejunaturum, etc., et si rem sic promissam omittat, peccabit contra præceptum violatum et contra religionem.

SECTIO SECUNDA. — De obligatione voti.

1° *Hæreticum est asserere votum non obligare,* inquit S. Th., Quodlib. 3, art. 12. Hæc enim obligatio constat 1° ex Scriptura sacra. Deut. XXIII, 21 : *Cum votum voveris, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*; Eccle. V, 3 : *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere : displicet enim infidelis et stulta promissio; sed quodcumque voveris, redde.* 2° Ex S. Aug., Epist. 127, n. 5 : « Quia vovisti, jam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. » 3° Ex ratione : promissio homini serio facta, stricte obligat : ergo *a fortiori* et promissio facta Deo cum intentione se obligandi. Ergo.

2° Obligatio voti est sub peccato mortali in materia gravi, ut omnes fatentur : materia autem judicatur gravis si, ex circumstantiis, ad honorem Dei vel ad proximi aut voventis utilitatem notabiliter conducat, et talis sit ut si ab Ecclesia præciperetur, obligaret sub mortali. Hinc votum semel jejunandi, Missam audiendi, peccata confitendi, etc., obligat sub peccato mortali in iis circumstantiis in quibus lex ecclesiastica hæc præcipiens sub mortali obligaret.

In materia vero levi, votum obligat tantum sub peccato veniali, sicut lex in materia levi. *Ita omnes.*

3° Sicut autem legislator rem gravem præcipere potest

sub levi, ut communiter docent theologi, ita et vovens ad rem gravem sub peccato veniali tantum se obligare potest, si expresse velit. Nec obstat quod religionem profitendo, matrimonium ineundo, rem gravem sub juramento promittendo, sub veniali tantum se obligare non possit; nam in professione religiosa et in matrimonio adest contractus grave onus alteri imponens, et repugnat ipsum non similiter graviter obligari: in juramento Deus invocatur ut testis; porro gravis irreverentia Deo inferretur, si promissio sic jurata non servaretur, idque independenter ab intentione jurantis : non valet igitur paritas.

Si vero rem gravem vovendo, limites intentioni suæ non assignat expresse, secundum naturam rei, ac proinde sub mortali se obligare censetur.

4° Vovens se obligare non potest ad rem levem sub peccato mortali, quia materia levis tantæ obligationis non est capax, ut diximus loquendo de obligatione legis : ad constituendam obligationem gravem duo requiruntur, materia gravis et intentio, quarum si una defuerit, obligatio erit levis. *Ita generaliter doctores.*

At inter eos quæritur an materiæ leves coalescere et materiam gravem efficere possint. Distinguitur : vel materiæ leves voventur separatim, v. g., quinque asses singulis diebus dominicis in eleemosynam, ad sanctificandam diem; vel per modum unius voventur, v. g. : Centum fr. voveo pauperibus singulis diebus dominicis distribuendos per annum; in priori casu, omissiones quantumvis multiplicatæ materiam gravem non efficiunt; efficiunt vero in posteriori, *ut patet.*

5° Votum personale ab ipso vovente impleri debet, et ad ipsius hæredes non transit; sed votum reale per alias personas impleri potest, rem ipsam afficit, eam sequitur et ad hæredes transit, sicut transiret onus tradendi rem alicui promissam modo vere obligatorio. *Est sententia communis.*

6° Vota mixta, ex parte qua sunt realia, transeunt pariter ad hæredes; hi tamen in utroque casu non obligan-

tur ultra vires hæreditatis, et tantum post soluta necessaria aut privilegiata ; nempe primo solvendi sunt sumptus judiciales funeris et ultimi morbi, stipendia domesticorum pro anno nuper elapso et anno currente, debita pro cibis a sex mensibus minutatim emptis, alia stricte debita, portio bonorum ascendentibus vel descendentibus a lege reservata. Deinde solvenda sunt vota ante quælibet alia legata, ut communiter tradunt auctores, ait *Ferraris*, art. 1, n. 50, quia, in liberalibus, quæ Deo promissa sunt præferri debent. Si plura sint vota, et bona relicta, alieno ære deducto, ab omnibus satisfaciendum non sufficiant, non unum præ aliis impleri debet, sed singula ex parte, servata proportione, solvenda sunt, sicut, in eodem casu, solverentur legata ; cum enim ex eadem virtute religionis debeantur, nulla est ratio cur unum aliis præferretur.

7° Votum conditionale manet suspensum donec impleatur conditio, quæ, si non adveniat, erit nullum ; ea autem adveniente, transit in absolutam. *Sic omnes,* et apertum est. At si vovens per fraudem, vim, dolum, preces aut quæcumque media, ex motivo non rationabili provenientia, malitiose impediat ne conditio adimpleatur, ut voto non obligetur, graviter peccat et probabilius ad votum tenetur æque ac si conditio revera fuisset impleta ; nam votum emittendo, implicite se obligavit ad non impediendum conditionis eventum, et eventus sic malitiose impeditus censetur existens. Ergo. Ita *Ferraris* n. 53, et plures apud ipsum.

8° Votum pœnale stricte obligat, ex hypothesi quod culpa existat ; secus, nullum parit vinculum. Unde qui vovit jejunium quoties se inebriaret, si se inebriavit, jejunare tenetur ; si se non inebriavit, ad nihil tenetur. Qui vovisset se toties daturum asses pauperibus quoties sanctum Dei nomen blasphemando proferret, si reipsa blasphemet, toties asses solvere tenetur quoties blasphemias protulit. Si vero dare omiserit, tot committet peccata quot omissiones, sed tantum venialia ; quia objectum voti non est blasphemia, sed asses pauperibus erogandi, qui

in unum non coalescerent ad constituendum objectum grave.

9° Si votum sit temporale, vel tempus est determinatum ad finiendam obligationem, ut jejunandi in Quadragesima aut in vigilia patroni, et, tempore elapso, non obligat votum etiam culpabiliter omissum : si vero tempus fuerit determinatum ad urgendam et non finiendam obligationem, v. g., votum dandi pecuniæ summam intra tres menses, tribus mensibus elapsis, nihilominus solvenda est summa et quamprimum. Si nullum præfixum fuerit tempus, votum obligat quamprimum moraliter, sicut lex aut præceptum, alioquin magis ac magis sine peccato differri posset, et sic de facto non obligaret. Unde Deut. XXIII, 21 : *Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

10° Omittere sine causa votum in materia gravi, tempori determinato fixum, propter circumstantiam temporis, v. g., votum jejunandi in vigilia patroni, sacram synaxim suscipiendi in die Assumptionis, est peccatum mortale, quia hæc temporis circumstantia ad substantiam voti pertinet, siquidem, tempore elapso, votum non obligat. At si tempus determinatum fuerit tantum ad urgendam obligationem, aut si nullum tempus fuerit determinatum, dilatio per longum tempus, vel cum periculo votum obliviscendi, aut cum notabili illius imminutione, puta, si ageretur de ingressu religionis, de Ordinibus suscipiendis, de Missa quotidie audienda, esset peccatum mortale, nisi rationabilis causa eam excusaret. Talis enim dilatio, sine rationabili causa in exsecutione promissionis homini factæ, reputaretur gravis. Ergo *a fortiori*, etc.

Si vero absit periculum oblivionis et impossibilitatis exsecutionis, v. g., ob senectutem, et votum per temporis spatium non minuatur, quale est votum ad domum Lauretanam peregrinandi, mille francos in eleemosynam semel erogandi, longa dilatio, sine causa, non est peccatum mortale. Sic expresse *Ferraris*, art. 1, n. 66, et in responsione ad notam theologi Romani, aliique plures apud

S. Ligorium, l. 3, n. 221. Verum talis dilatio sine causa est saltem valde periculosa, et S. Ligorius cum aliis pluribus arbitratur illam, si ultra duos vel tres annos protrahatur sine justa causa, peccatum esse mortale.

SECTIO TERTIA. — De voti merito.

1° Lutherus et Calvinus dixerunt vota esse bona secundum se; facta ad vitandum peccatum, ad pietatis vel charitatis officia expeditius obeunda, esse licita : facta vero de rebus non præceptis, ex motivo colendi Deum, ut sunt monachorum et monialium vota, esse illicita et impia, ut pote libertati christianæ opposita, sanctosque Bernardum, Dominicum, Franciscum, et alios esse damnatos nisi vota emiserint causa alicujus commoditatis, v. g, ut uxoribus et rerum temporalium molestiis essent liberi, non vero ut Deo gratiores essent.

2° Verum 1° B. Paulus, I Tim. v, 12, dixit de viduis quæ continentiam voverant Christo, et nubere volunt : *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, id est, eas damnatione esse dignas quia fidem datam Christo non servant. 2° Concilium Eliberitanum, circa tempus concilii Nicæni I celebratum, statuit, can. 13, virginibus « quæ se Deo dedicaverunt, si pactum virginitatis perdiderint, atque libidini servierint, non intelligentes quid amiserint, nec in fine dandam esse communionem. » 3° Patres et doctores hoc in puncto sunt unanimes, et constans fuit Ecclesiæ praxis ac doctrina : ergo, etc. Unde libertas Evangelii est libertas a peccato, non autem libertas a lege, a præcepto aut a vinculo quod fideles majoris perfectionis causa voluntarie sibi imponere possunt.

3° Votum igitur non est tantum in se bonum et honestum, sed est actus religionis; actus enim in se bonus, Deo gratus, ad cultum ejus directus, est actus religionis; atqui tale est votum de re bona Deo factum, v. g., votum castitatis, votum obedientiæ. Hinc sequitur 1° opus ex voto factum melius esse opere quod fit sine voto, siqui-

dem propriæ bonitati jungit bonitatem voti; 2° votum non vovendi esse nullum, quia non est per se de meliori bono; 3° fideles non esse promiscue avertendos a votis, sed recte dirigendos ne imprudenter voveant, v. g., jejunia sanitati nocitura, eleemosynas facultatibus improportionatas, itinera periculosa, ingressum religionis non sufficienter cognitæ, perpetuam castitatem in teneriori ætate et ante probationem sufficientem. Facilius permitti possunt vota ad tempus, v. g., obedientiæ vel castitatis ad annum, et actus earum virtutum eo ipso fiunt religiosi.

Tota materia voti et præsertim voti meritum optime explicantur a S. Th. 2 2, q. 88.

Petitur an peccet et quale admittat peccatum qui vellet non vovisse, quem pœnitet de voto.

R. Si ex pœnitudine non haberet intentionem implendi votum, aut si pœniteret implevisse in materia gravi, mortaliter peccaret, *ut patet :* si ita pœniteat ut in ipso remaneat voluntas adimplendi : vel nulla adest causa pœnitendi, et peccat venialiter propter quamdam ingratitudinem : vel adest causa pœnitendi, et nullum videtur esse peccatum, quia sicut poterat non vovere, sic non tenetur velle vovisse. Sic S. Th., Sylvius, *Billuart, Dens,* etc.

SECTIO QUARTA. — De interpretatione voti.

Sicut in juramento sæpe aliqua interpretatione opus est ut genuinus illius sensus assignetur, sic et in voto, quamvis eædem præcise admitti non debeant regulæ.

Hinc determinandum est an et quomodo obliget 1° votum dubium, 2° votum ex metu, 3° votum cum ignorantia emissum, 4° votum fictum, et 5° votum cujus objectum non est specialiter assignatum.

1° *Votum dubium.* Aliquis dubitare potest an votum emiserit vel propositum formaverit, an cum sufficienti deliberatione emiserit, an intentionem se obligandi habuerit, an votum certo emissum impleverit. 1° Qui, post

adhibitam diligentiam, dubitat an votum emiserit vel propositum formaverit, judicare potest se non teneri, tum quia votum non ita oblitus esset, tum quia in dubio *odia restringi convenit, et melior est conditio possidentis.* Ita *Suarez, Ferraris*, art. 1, num. 91, citans *Sporer* qui hanc opinionem tradit ut communem : ei tamen multi adversantur, præsertim in Gallia, ut *Habert*, P. *Antoine, Collet, Billuart, Dens*, etc. Coll. Andeg. vult ut in illo casu dispensatio petatur ad cautelam. 2° Qui, certus de emissione voti, dubitat an usum rationis habuerit, si ante septennium voverit, præsumendum est illum non habuisse plenum rationis usum, et voto non obligari, quia ordinarie sic contingit; si post septennium voverit, præsumendum est, e contrario, sufficientem exstitisse deliberationem, quia ordinarie homo illius est capax ea ætate. Si vero dubitet an ante vel post septennium, aut post sufficientem rationis usum voverit, probabilius est eum voto teneri, quia de existentia voti constat et excusatio est dubia, et aliunde rarissime emittuntur vota ante septennium : ex communiter ergo contingentibus præsumendum est hoc votum post septennium et rationis usum fuisse emissum. Ita *Ferraris* et plures alii. Si vero dubitet an cum sufficienti deliberatione voverit, ob iram, terrorem, ebrietatem, semidormitionem, etc., probabilius voto tenetur, quia constat de voto, et de excusatione dubitatur. Sic adhuc *Ferraris*, n. 95. 3° Qui dubitat an habuerit intentionem se obligandi, vel se obligandi sub gravi, votum servare tenetur; nam qui serio profert verba gravem obligationem exprimentia, eam contrahere censetur, nisi contrarium ex speciali circumstantia manifestetur. Ita *Sanchez* cum pluribus aliis, *Sporer, Lacroix, Ferraris*, etc. 4° Qui votum certo emisit et dubitat an impleverit, adimplere tenetur, quia obligationi certæ non satisfit per solutionem dubiam. Sic *Ferraris*, articulo 1, numero 101, dicens hanc sententiam esse communem.

2° *Votum ex metu.* Votum emitti potest ob metum provenientem ab intrinseco vel a causa extrinseca necessaria

v. g., ex periculo mortis, naufragii, pestis, tonitrui, etc., vel ob metum provenientem a causa extrinseca et libera, quæ justa vel injusta esse potest. Si emittatur ob metum ex causa intrinseca, vel ex causa necessaria, aut ex causa libera sed justa provenientem, rationem non turbantem, et nullum jus obstet, validum est, quia voluntarium est et deliberatum : si vero emittatur ob metum injuste ad illud extorquendum incussum, censetur invalidum, tum jure canonico, quia in Decretal. l. 1, tit. 10, cap. 1 et seq., actus ex tali metu eliciti declarantur nulli; tum jure naturali, quia homo probus promissionem sic extortam non acceptaret : ergo nec Deus eam acceptat, alioquin daret vim injustæ coactioni : *Est sententia communis.*

3° *Votum ex errore.* Error vel ignorantia versari potest circa substantiam voti, v. g., si puella vovit ingressum in tale monasterium, putans esse Visitationis B. Mariæ, dum est Ursularum; vel circa circumstantiam ad substantiam pertinentem, v. g., si voverim peregrinationem ad domum Lauretanam, æstimans illam esse quadraginta leucis distantem, dum est trecentis; vel circa causam finalem, v. g., voveo pecuniæ summam ad talem usum, quæ tamen, si detur, ad alium convertetur, vel voveo eleemosynam tali pauperi, falso putans eum esse meum consanguineum : in his casibus votum est nullum, quia voluntas, quæ est principium obligationis, non fertur in incognitum. Si vero ignorantia versaretur tantum circa circumstantiam accidentalem, aut circa motivum impulsivum, obligationem voti non impediret.

4° *Votum fictum.* Qui exterius pronuntiat verba votum exprimentia, sine intentione se obligandi, reipsa non vovet, cum vinculum voti ab intentione pendeat. Qui vovet cum intentione se obligandi, et sine proposito implendi, mortaliter peccat in materia gravi, et ad votum tenetur, siquidem obligationem contraxit. Qui vovet cum animo promittendi et implendi, sine intentione se obligandi, ad votum non tenetur, quia revera obligationem sibi non imponit. Peccat tamen propter simulationem, sed ordi-

narie venialiter tantum, juxta communem sententiam, quia gravis non est irreverentia erga Deum, et homines graviter non lædit. Excipitur si hæc simulatio fieret in professione religiosa, propter gravem injuriam quæ irrogaretur monasterio et ipsi Ecclesiæ : unde persona quæ sic ficte vovisset, votum suum interius approbare teneretur, quia alia ipsi non suppeteret via scandalum impediendi.

5° *Votum cujus objectum non est specialiter assignatum.* Fieri potest ut materia voti sit vaga ac insufficienter determinata; tunc vera exquirenda est voventis intentio sive ex communi verborum sensu, sive ex speciali fine quem naturaliter intendere debuit, ex aliis circumstantiis : intentio semel cognita facit legem et ab ea recedere non licet. Si vero post adhibitam diligentiam remaneat dubium, vovens satisfaciet partem minus strictam sumendo, juxta axioma in jure canonico receptum : *Odia restringi convenit.* Est sententia communis.

Hinc 1° qui vovit religionem indeterminate, minus strictam eligere potest, et si in nulla moderata admittatur, strictissimam, v. g., Trappistarum, ingredi non tenetur. Item si admitti non posset nisi in ordine conversorum vel in monasterio multum distanti, ad votum non teneretur. 2° Qui determinatam vovit religionem, principaliter attendens vitam monasticam, et secundario ordinem, a voto non liberaretur, quia in eo ordine non fuisset receptus; serio petere deberet ut ad alium admitteretur : at si talem ordinem vel tale monasterium principaliter intendisset, serio petens et ab eo repulsus a voto liberatur. Ita S. Th. 2 2, q. 88, art. 3, ad 2; S. Antoninus, *Layman*, *Sanchez*, *Suarez* et multi alii. 3° Qui dubitat utrum ingressum in tale monasterium vovens intentionem habuerit in illo profitendi, an tantum se probandi et videndi an status religiosus sibi conveniret, præsumere potest se professionem absolute non intendisse, sed tantum ex hypothesi quod per tempus probationis agnosceret se ad hoc genus vitæ vocatum esse : unde si bona fide se probaverit, et agnoscat talem vitam sibi non convenire, voto satisfecit. Sic *Sanchez, Suarez, Sporer*, *Layman* a *Ferraris*

citatus, art. 1, n. 77, et asserens hanc opinionem esse communem ac securam. Hoc igitur in eo casu datur discrimen inter eum qui ingressus est monasterium sine voto et eum qui illud ingressus est cum voto, quod prior licite egredi possit sine causa, et non posterior. 4° Qui vovit rem indeterminatam, sive in quantitate, v. g., modium frumenti, non determinando mensuram; sive in qualitate, ut dare dolium vini, non decernendo cujus bonitatis; sive in individuo, v. g., dare ovem vel bovem aut equum, illum non speciatim designando, satisfacit voto donando in minori mensura, quantitate et qualitate, modo statui suo non sit indecens. 5° Qui vovit calicem, casulam, etc., votum non impleret dando calicem stanneum, vel vilem casulam lanæ; sed ex altera parte non tenetur dare calicem aureum, nec casulam pretiosam. 6° Qui vovit audire missam quotidie per mensem, duas missas diebus dominicis et festivis audire non tenetur : at si vovisset audire missam die Assumptionis, ad duas missas teneretur, nisi solam missam jam præceptam intendisset.

Sectio quinta. — De obligationis voti cessatione.

Obligatio voti, sicut juramenti, tolli potest per circumstantiarum mutationem, causæ finalis cessationem, remissionem, irritationem, dispensationem et commutationem, adde, et per solemnem religionis professionem.

1° *Per circumstantiarum mutationem :* nempe 1° si quod bonum erat factum fuerit malum, indifferens aut majoris boni impeditivum, siquidem votum essentialiter debet esse de meliori bono; 2° si res promissa facta fuerit physice vel moraliter impossibilis, etiam ex culpa voventis, qui tum de peccato admisso dolere deberet, et tamen non teneretur ad votum, quia nemo ad impossibile obligatur: si ex parte tantum sit impossibilis, pars possibilis adimplenda est; et si duo occurrant vota incompatibilia, præstantius et Deo gratius adimplendum est; 3° si tanta supervenerit mutatio in promittente, ut ipsius status sit mo-

raliter diversus, obligatio voti non subsistit, saltem ea mutatione existente, quia vovens merito præsumitur non habuisse intentionem se in tali casu speciali obligandi. Unde qui vovit jejunare singulis diebus veneris, ad jejunium non tenetur in eo statu infirmitatis, laboris, itineris, senectutis superveniente, in quo a lege ecclesiastica excusaretur. Ita *Sanchez, Ferraris*, S. Ligorius, etc. Idem dicendum est si mutatio veniat in materia promissa, etiam a circumstantia extrinseca, v. g., si quis voverit jejunare singulis feriis sextis, et in una occurrat Nativit. Domini. S. Ligor., l. 3, n. 226, referens verba S. Th. dicentis, «id liberare a voti vel juramenti obligatione, » quod si a principio notum fuisset, ea fieri impediisset,» addit hanc sententiam sibi videri non minus probabilem, et forte probabiliorem altera tenente votum obligare, et dicente non esse attendendum ad quod vovens promisisset, sed ad quod revera promisit. Prior sententia nobis etiam videtur probabilior.

2° *Per causæ finalis cessationem :* ubi enim totalis cessavit finis ad quem obtinendum factum fuerat votum, nulla est ratio cur votum subsistat. Hinc Anna vovit se a nuptiis abstenturam ut officia pietatis erga matrem facilius expleret; mortua matre, ad votum non tenetur.

8° *Per remissionem :* si videlicet votum emissum fuerit in gratiam tertii, v. g., eum docendi, ei serviendi, hic tertius obligationem voti, sicut obligationem juramenti, remittere potest, propter eamdem rationem.

4° *Per irritationem :* non magis enim vovens quam jurans jura alterius potest alienare : qui ergo dominativam habet potestatem in personam voventem, vel in materiam voti, votum irritare potest pro suo arbitrio, etiam sine causa, licet tunc peccet. *Ita omnes.* Vide quæ diximus ubi de irritatione juramenti. Hinc summus Pontifex directe potest irritare vota omnium religiosorum; episcopus vota religiosorum et monialium sibi subditorum; abbas, prior et probabiliter guardianus, vota religiosorum sibi subditorum; *a fortiori* generales ordinum et provinciales. Item abbatissæ et superiorissæ respectu suarum

monialium. Ratio est quia hi omnes spiritualem habent potestatem dominativam, vi sui muneris, in hujusmodi personas, quæ ideo non censetur vovere, nisi sub tacita conditione, *si superior non contradixerit*. Unde hæc vota, si ex alia parte nihil ipsis desit, obligant donec irritentur, et vovens nihil facere debet ut irritationem procuret.

Pater et tutor directe irritare possunt vota impuberis; et etiam mater defectu patris.

Vota autem puberum irritare non possunt, nisi indirecte, quatenus scilicet materia ipsis subest, aut exsecutio voti auctoritati eorum officeret. Unde filiafamilias vovit peregrinationem, pater impedire potest; vovit castitatem, votum irritare non potest, quia jus non habet exigendi ut filia sua nubat. Idem de votis uxoris respectu mariti, et aliquoties mariti respectu uxoris, famulorum respectu dominorum, novitiorum respectu superiorum, etc.

Observandum vota *directe* irritata nunquam per se ipsa reviviscere, quia evadunt prorsus nulla; *indirecte* autem irritata, tantum suspenduntur, et de novo obligant, ubi materia desinit esse alteri subjecta, vel ubi ille cujus interest consentit.

5° *Per dispensationem*. Dari in Ecclesia potestatem dispensandi a votis, iisdem probatur momentis quibus ostendimus existere potestatem relaxandi juramenta, et ipsius effectus est remittere, nomine Dei, promissionem ipsi factam : unde fit ut obligatio voti non amplius existat. Sola igitur persona ecclesiastica jurisdictione in foro externo fruens, hanc exercere potest facultatem, scilicet summus Pontifex in tota Ecclesia, episcopus in sua diœcesi, vicarii capitulares, sede vacante, et qui habent jurisdictionem quasi episcopalem, ut prælati regularium respectu subditorum; et, delegato jure, omnes quibus concessum est ab illis.

Ad validitatem dispensationis requiritur causa legitima, ut omnes fatentur; superiores enim ecclesiastici non habent facultatem dispensandi nisi ex concessione Dei : atqui repugnat Deum concessisse facultatem dispensandi sine causa, quia potius esset dissipatio quam

dispensatio, et talis potestas data fuisset in destructionem et non in ædificationem, contra id quod dicit Apostolus, II Cor. x, 8. Unde inter irritationem et dispensationem hoc datur discrimen, quod irritatio fiat propria agentis auctoritate et valida sit sine causa, dum dispensatio fiat nomine alterius, et valere non possit nisi rationabilis sit causa.

Præcipuæ autem et rationabiles dispensandi causæ sunt : 1° imperfecta deliberatio, si nempe votum factum fuerit in tenera ætate, præsertim ante pubertatem, in ira, in mœrore, in tristitia, cum metu vel alia mentis turbatione : 2° damnum spirituale vel temporale ex voto proveniens, ut si quis, attenta sua fragilitate, timeat ne post votum castitatis in incontinentiam incidat, aut si ratio temporalis gravis momenti matrimonium ei suadeat, vel si scrupulis et anxietatibus animi torquendus sit; 3° magna difficultas in exsecutione voti non prævisa, vel etiam prævisa, quæ notabile inducit periculum transgressionis; 4° bonum commune Ecclesiæ, reipublicæ vel etiam familiæ; nam, ut ait Innocentius III, in Decretal. l. 3, tit. 34, cap. 7, præcipue attendendum est in hoc negotio, « quid » liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum ho- » nestatem, et quid expediat secundum utilitatem. »

Justa interveniente causa, superior vel quivis facultate dispensandi præditus, graviter peccaret, si rogatus dispensare nollet; mortaliter e contra peccaret, si dispensationem sine rationabili causa scienter concederet, item et qui eam scienter peteret vel acceptaret. Dispensatio autem bona fide sine causa sufficienti concessa valida est, secundum Lessium, *Sanchez*, *Sporer*, *Ferraris* et alios plures; quia ad benignitatem Dei pertinet, inquiunt, approbare quod bona fide concessum et acceptum est, quamvis in se nullum. Negat S. Ligorius, cum aliis pluribus, valere; et hæc sententia probabilior nobis etiam videtur, quia certum est dispensationem in votis sine causa ex se nullam esse, et ratio a patronis alterius sententiæ allata nullo fundamento nititur. Cæterum qui in bona fide dispensat vel dispensatione utitur, materialiter

tantum peccat, et in dubio pro validitate dispensationis standum est, quia *odia restringi et favores ampliari convenit.* Ita S. Ligorius, qui ait dispensationem mala fide concessam valde probabiliter esse validam si revera legitima adsit causa.

De votis summo Pontifici reservatis.

Ex Extrav. comm. l. 5, tit. 9, cap. 5, quinque vota summo Pontifici reservantur, nempe votum religionis stricte approbatæ, votum perpetuæ castitatis, votum peregrinationis Hierosolymitanæ, votum peregrinationis ad limina Apostolorum, et votum peregrinationis Compostellanæ ad S. Jacobum; et sub pœna excommunicationis prohibetur ne quis sine speciali Papæ licentia in aliquo eorum dispenset. Hæc reservatio in Gallia est recepta.

Cum autem sit odiosa, ut pote ordinariam episcoporum potestatem restringens, sensu stricto interpretanda est. *Ita omnes.* Unde intelligenda est tantum de votis proprie dictis, perfectis, determinatis, absolutis, et id præcise quoad substantiam, non vero quoad eorum circumstantias. Et si in aliquo deficiant, quamvis sint valida, non sunt reservata. *Sic communiter doctores.*

Hinc 1° promissiones factæ B. Mariæ aut alicui Sancto, sine intentione se obligandi erga Deum vel de Deo minime cogitando, summo Pontifici non reservantur. Ita *Ferraris,* art. 3, n. 80, cum aliis. In dubio an ita voventes intentionem habuerint se obligandi Deo, an solum B. Mariæ aut tali Sancto, censentur verum emisisse votum Papæ reservatum, juxta eosdem auctores.

2° Vota imperfecta, v. g., votum castitatis ad tempus, votum non nubendi, debitum non petendi, castitatem conjugalem non violandi, ab episcopo dispensabilia sunt; item votum perpetuæ castitatis, si, illo non obstante, matrimonium fuerit contractum, ut in *Supplem. ad Tract. de Matrimonio* diximus; item vota castitatis vel religionis ex metu etiam levi injuste incusso emissa, quia non sunt omnino perfecta. Si ex gravi metu ad ea extorquenda

incusso emitterentur, irrita forent, ut supra diximus, p. 298.

3° Vota dubia, id est, si dubitetur an vera fuerit promissio, an sufficiens deliberatio, an intentio se obligandi, an exstiterint omnia ad reservationem requisita, non reservantur, quia, ex principio quod odiosa sint restringenda, debent esse omnino certa.

4° Vota alternativa, quorum una pars non est reservata, v. g., votum ingrediendi religionem vel perpetuo jejunandi, votum limina Apostolorum visitandi, aut mille fr. in pauperes erogandi, non sunt reservata, quia non sunt perfecte determinata in sensu reservationis. Idque verum est, inquit recte *Ferraris*, etsi progressu temporis pars non reservata facta fuerit impossibilis, et vovens ad alteram partem obligetur, quia talis primitus non fuit intentio determinata.

5° Vota conditionata vel pœnalia, v. g., votum perpetuæ castitatis vel ingrediendi religionem si mater sanitatem obtineat, si vovens in fornicationem inciderit, eodem modo dispensabilia sunt ab episcopo; quia, cum hæc vota non sint absoluta, non censentur omnino perfecta etiam conditione adimpleta, ut communius tenent auctores contra plures, ut videre est apud *Ferraris*, art. 3, n. 86, et apud S. Ligorium, l. 3, n. 261.

6° Prædicta quinque vota non reservantur, quoad circumstantias accidentales a vovente adjectas; v. g., si quis voverit mendicando ire Romam, pedester Compostellam, strictissimam ingrediendi religionem, ab episcopo obtinere potest dispensationem ut eat Romam aliter quam mendicando, Compostellam aliter quam pedibus, ut religionem minus strictam ingrediatur, etc., quia hæc ad substantiam voti reservati non pertinent.

Notandum 1° insuper episcopum a voto summo Pontifici reservato dispensare posse ratione gravis et urgentis causæ, ubi recursus ad Papam non est moraliter possibilis : quia reservatio in illo casu non esset in ædificationem, sed in destructionem. Sic generatim auctores, qui tantum disputant an episcopus sic dispenset jure ordina-

rio, ut multi volunt, an vero ex delegatione summi Pontificis præsumpta, ut alii non pauci contendunt. Prior sententia probabilior nobis videtur, sed hæc quæstio nullius est momenti in praxi, et ideo ab ea discutienda abstinemus. Hinc ubi difficilis est accessus ad Papam et in mora periculum est infamiæ, scandali, rixarum, sponsalium dissolutionis, etc., episcopus a voto perpetuæ castitatis dispensare potest non absolute et in perpetuum, sed eo modo qui ad removendum periculum sufficiat. *Ita communiter.*

Notandum 2° neque episcopum, neque Papam ipsum, habere potestatem dispensandi a voto in gratiam alicujus tertii emisso et acceptato, exceptis casibus supra expositis ubi de dispensatione juramenti; et eædem hic redeunt rationes.

Notandum 3° juramenta in materiis votorum summo Pontifici reservatorum, sive facta fuerint ad confirmanda vota, sive absque votis, pariter reservari, quia in jure votis æquiparantur quoad reservationem. Ita Collat. Andeg., t. IV, qui dicit hanc esse communem auctorum sententiam; *Collet, Dens*, qui asserunt etiam sententiam esse communem. Plures negant apud S. Ligorium, et ipse S. Ligorius, n. 259.

Attamen communius æstimant auctores eum qui habet potestatem delegatam dispensandi a votis vel illa commutandi, non ideo a juramentis dispensare aut illa commutare posse, quia vincula sunt diversa : hanc solam opinionem tuto sequendam esse affirmat S. Ligorius, l. 3, n. 190.

6° *Per commutationem.* Commutatio voti est translatio obligationis ab una materia ad aliam, et sub eo nomine comprehenditur redemptio voti, id est mutatio obligationis personalis in aliquid reale.

Triplici modo hæc mutatio fieri potest, nempe in melius, in æquale et in minus bonum.

1° Unusquisque propria auctoritate votum in aliquid evidenter melius commutare potest, ut nunc communiter docetur contra graves antiquos auctores et contra non-

nullos recentiores inter quos *Dens*, t. IV, actum ecclesiasticæ auctoritatis requirentes; quod enim evidenter melius est, Deo est magis gratum, ut diximus ubi de commutatione juramenti. Illud autem non reputandum est melius, quod in se præstantius est, sed quod, attentis personæ, temporis et loci circumstantiis, ad salutem magis congruit, et aliunde non est præceptum; votum quippe de re non præcepta in rem præceptam commutari non potest sine actu jurisdictionis.

2° Commutatio in bonum æquale propria auctoritate fieri non potest, quia, licet bonum æquale æqualiter ex se placeat Deo, illud quod ex voto promissum est quamdam eo ipso habet bonitatem objectivam quæ in alio æquali non reperitur. Est communior et probabilior sententia, inquiunt *Ferraris*, art. 3, n. 118, et S. Ligorius, l. 3, n. 244. Unde aliqua requiritur causa; major propensio vel minus periculum transgrediendi sufficit, si bonum sit evidenter æquale, et, in dubio, notabilis molestia in implendo. Ita Lessius, *Busenbaum*, S. Ligorius, etc.

3° *A fortiori* commutatio in minus bonum fieri non potest nisi ab habentibus potestatem, et ob justam causam, minorem quidem quam ad dispensationem, et tamen sufficientem, sub pœna nullitatis propter rationem ubi de dispensatione allatam; hæc enim commutatio quamdam includit dispensationem. Est sententia communior et probabilior, contra plures tamen graves auctores qui volunt commutationem sine causa esse graviter illicitam, sed validam : ad legitimam igitur commutationem, sicut ad dispensationem, tria præcipue attendenda sunt, videlicet, *quid liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, et quid expediat secundum utilitatem.*

4° Quantum fieri potest, votum personale commutari debet in personale, reale in reale, mixtum in mixtum, temporale in temporale, perpetuum in perpetuum, ut magis servetur proportio. Sæpe tamen legitimæ occurrunt rationes aliter agendi, et vitandæ sunt anxietates, tum in commutante, tum in votum habente.

5° Omnes qui habent facultatem dispensandi, sive ordinariam, sive delegatam, eo ipso in iisdem votis obligationem commutare possunt, siquidem commutatio minor est dispensatione; sed qui a votis reservatis dispensare non possunt, ea pariter commutare nequeunt, quia jurisdictionem in illa non habent. Item qui ex delegatione vota commutare possunt, non ideo ab illis dispensare queunt.

6° Tempore Jubilæi confessarii commutare possunt, ex speciali Pontificum concessione in bullis expressa, omnia vota simplicia et etiam reservata, exceptis votis perpetuæ castitatis et religionis approbatæ, ac votis in favorem tertii emissis et acceptatis. Verum ut probabilius docetur potestatem commutandi delegatam, qualem habent dicti confessarii, intelligendam esse de commutatione in bonum moraliter æquale, « ita ut parva credatur esse differentia, » et nullus excessus manifeste appareat, » ait S. Ligorius, n. 247. Circa hanc facultatem confessariis pro Jubilæo approbatis concessam, vide opus nostrum gallicum : *Traité des Indulgences.*

7° Ille cujus votum fuit in minus vel in æquale bonum commutatum, ad primum semper redire potest, si velit, quia commutatio in ipsius gratiam facta est et non includit præceptum : si vero commutatio facta sit in melius cognitum et acceptum, *Suarez,* et plures cum illo negant voventem ad primum redire posse; sed *Sanchez, Layman,* S. Ligorius et alii affirmant, quia etiam in hoc casu commutatio fit in favorem voventis. Excipiendum est nisi vovens expresse voluisset erga Deum ad melius se obligare. In dubio præsumendus est noluisse ita se obligare, juxta S. Ligorium, aliis contradicentibus.

8° Si materia voti legitime commutati fiat impossibilis vel indifferens vovens ad prius redire non tenetur, licet ipsius culpa hæc impossibilitas contigerit, quia obligatio prioris per auctoritatem commutantis exstincta est : secus dicendum foret si mutatio propria voventis auctoritate facta fuisset in melius, quia ejus obligatio exstincta non fuisset.

9° Qui habet potestatem vota aliorum commutandi, propria in pari circumstantia commutare potest, sicut et secum dispensare valeret in iis circumstantiis in quibus cum aliis dispensat. Ita *Sanchez*, *Bonacina*, *Suarez*, S. Ligorius et alii communiter. Excipitur nisi haberet facultatem delegatam et limitatam, v. g., ad talem personam, ad suos pœnitentes, etc.

§ II. — De statu religioso.

Dicemus 1° de statu religioso in genere, 2° de votis religiosis in specie, 3° de origine et distinctione religionum, 4° de conditionibus ad admissionem candidatorum requisitis, 5° de novitiatu, 6° de professione religiosa, 7° de effectibus professionis religiosæ, 8° de privilegiis religiosorum, 9° de ejectione professi et ejecti obligationibus; et in 10ª sectione specialiter dicemus de monialibus.

Sectio prima. — De statu religioso in genere.

1° Vox *status* generaliter sumitur pro quavis vitæ conditione, sive ad tempus, sive in perpetuum; quo sensu dicitur status ecclesiasticus, status conjugatorum; specialiter autem pro immobili vitæ conditione : hanc firmitatem importare videtur nomen *status*, et certe eo sensu accipitur status religiosus, qui communiter definitur : *Immobilis fidelium ad divinæ charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ paupertatis obedientiæ et castitatis, in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus.*

Dicitur *immobilis,* alioquin non esset status proprie dictus : unde qui paupertatem, obedientiam et castitatem sine voto servaret, non esset religiosus.

Dicitur *ab Ecclesia approbatus*, quia status religiosus est supernaturalis, a communi statu Christianorum distinctus, a Christo institutus et Ecclesiæ directioni subjectus, id est, jurisdictioni eorum quibus cura Ecclesiæ fuit commissa, videlicet summi Pontificis et episcoporum;

perfecta enim hujus status immobilitas duo importat, nimirum absolutam personæ traditionem et acceptationem ex parte Dei, seu nomine Dei, et quidem externam, cum vovens constituendus sit in statu externo et permanente : porro sola Ecclesia talem dirigere potest contractum illumque ritu externo per suos Pontifices nomine Dei acceptare. Ergo.

2° Plures olim religiones, ut S. Basilii, S. Aug., S. Benedicti, a solis episcopis, quibus hi suberant, fuerunt approbatæ; sed Innocentius III, in concil. Lateran. IV, anno 1215 celebrato, in Decretal. l. 3, tit. 36, cap. 9, relatus, sic habet : « Ne nimia religionum diversitas gra- » vem in Ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter pro- » hibemus ne quis de cætero novam religionem inveniat; » sed quicumque ad religionem converti voluerit, unam » de approbatis assumat. » Idem propriis verbis statuit Greg. X, in conc. Lugd. II, an. 1274, ut in Sexto habetur, l. 4, tit. 17, cap. unico. Cum episcopi a constitutione Papæ et concilii generalis dispensare nequeant, jus novas approbandi religiones ab eo tempore reservatum fuit Pontifici Romano, qui de facto, non obstante prohibitione, plures approbavit.

Juxta *Suarez*, de Statu relig., l. 2, cap. 2, præcedentia decreta, ex communi theolog. sententia, applicanda sunt ipsis congregationibus, sive virorum, sive mulierum, in communitate sub aliqua regula cum regularium statutis similitudinem habente viventium : at mos prævaluit ut episcopi pia hujus modi instituta approbarent, id sciente et laudante Sancta Sede. Sæpe tamen ad majorem ipsis conciliandam firmitatem, Sanctæ Sedis approbationem totis viribus sollicitant.

3° Ipse Christus statum religiosum substantialiter instituit hortando ad perfectionem, et conditionem ejus determinando, dicens adolescenti eum interroganti, Matth. XIX, 21 : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo : et veni, sequere me.* Non exprimitur hic præceptum, agitur de voluntaria perfectione : reperitur absoluta paupertas, adhæ-

sio Christo, seu obdedientia, et abnegatio uxoris, seu continentia, in his verbis : *Veni, sequere me*, postquam omnia vendideris et distribueris. Unde B. Petrus, nomine omnium Apostolorum statim respondens, dixit ei : *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te ;* id est, hæc quæ ad perfectionem requiris facimus, vivendo in paupertate, obedientia et castitate. Apostoli igitur in praxi et substantialiter primi fuerunt religiosi.

4° Tria paupertatis, obedientiæ et castitatis vota ad essentiam religionis jure divino pertinent, ut infertur ex verbis Christi citatis, ex traditione, ex communi doctorum consensu, post S. Th. 2 2, q. 186, art. 6. Unde nec ipse summus Pontifex efficere potest ut aliquis vere sit religiosus, et tria prædicta vota non emittat, ut agnoscit Innocentius III, in Decretal. l. 3, tit. 35, cap. 6 in fine, dicens : « Nec æstimet abbas quod super habenda proprie-» tate possit cum aliquo monacho dispensare ; quia abdi-» catio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est » annexa regulæ monachali, ut contra eam nec summus » Pontifex possit licentiam indulgere. » Si autem tria vota ad essentiam status religiosi non pertinerent jure divino, seu ex institutione Christi, procul dubio summus Pontifex ab illis dispensare posset, efficiens ut quis ea vel aliquod ex eis non custodiens, nihilominus religiosus esset. Ergo.

5° Fatendum est tria vota paupertatis, obedientiæ et castitatis congruentissime a Christo assignata fuisse pro constituenda status religiosi essentia ; persona enim hominis tria principaliter habet, ad quæ omnia ad ipsam pertinentia referuntur, animam, corpus et bona externa : atqui hæc tria Deo perfecte consecrat per vota obedientiæ, castitatis et paupertatis, et sic adimplet consilia Christi ad perfectionem vocando dicentis : *Vade, vende quæ habes ; sunt eunuchi qui se castraverunt propter regnum cælorum*, Matth. XIX, 12 et 21 ; *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et sequatur me*, ibid. XVI, 24.

6° Sequitur ex dictis, et communiter docent auctores, nullos proprie dictos exstitisse religiosos ante Christum,

quanquam Nazarei, cunei prophetarum Deo psallentium de quibus in I Reg. x, Elias et Eliseus cum suis discipulis aliquo modo duxerint vitam cœnobiticam, quia non existebant vota essentiam religionis constituentia. Etiamsi quidam homines illa emisissent, non ideo veri religiosi fuissent; deerat enim institutio Dei et acceptatio nomine ejus externa.

7° Diximus autem Christum statum religiosum instituisse quoad substantiam, quia communiter tenent doctores illum accidentalia ejusdem status Ecclesiæ determinanda reliquisse : sic plurima sacramentorum accidentalia non determinavit, sed jurisdictioni Ecclesiæ concessit : unde Ecclesia in dispensatione sacramentorum multa statuere et mutare potest, *salva eorum substantia*, ut ait Concil. Trid. sess. 21, cap. 2, ita et in votis religiosis multa statuere et mutare potest, salva eorum substantia. Hinc solemnitatem eorum subtrahere potest, et revera Greg. XIII eam de facto subtraxit, definiens in bulla *Ascendente Domino*, vota scholasticorum in societate Jesu, post duos annos probationis emissa, esse simplicia, et tamen qui ea emiserint vere esse religiosos. Vota igitur simplicia sufficere possunt, ex approbatione Ecclesiæ, ad constituendum statum religiosum; ubi enim sunt valida et nomine Dei per Ecclesiam acceptata, constituunt hominem in statu externo permanente, a quo seipsum liberare non potest. Unde solemnitas votorum est quidem de natura status religiosi, quia juxtà disciplinam generalem Ecclesiæ exigitur, sed non est de eorum essentia, et ideo Ecclesia ab ea dispensare potest. Vide Benedict. XIV, de Synodo diœces., l. 13, cap. 11, n. 29.

8° Hinc sequitur Papam in votis solemnibus dispensare posse, quidquid in contrarium dicat *Billuart*, cum plerisque Thomistis, Dissert. *de Voto*, art. 9; etenim 1° solemnitas votorum ex solo jure ecclesiastico fuit instituta, ut constat ex Extrav. Joan. XXII, tit. 6, cap. unico, et ex bulla *Ascendente Domino*, in qua Greg. XIII dicit : « Nos considerantes voti solemnitatem sola constitutione » Ecclesiæ inventam esse, etc. » Ergo summus Pontifex

ea omnia potest in votis solemnibus quæ in votis simplicibus; at juxta omnes dispensare potest in votis simplicibus: ergo et in solemnibus. 2° Benedictus IX, hac utendo potestate, permisit Casimiro, diacono et Cluniacensi monacho, ad regnum Poloniæ vocato, ut non obstante voto solemni castitatis, uxorem duceret: et Pius VII, temporibus nostris, plures hujus generis dispensationes monialibus ac monachis solemniter professis concessit ad revalidanda matrimonia sacrilege inita. Ita communissime nunc sentiunt theologi, et opinio *Billuart* videtur singularis ac momentis nullius roboris innixa.

Sectio secunda. — De tribus votis religiosis in specie.

In triplici puncto examinabimus 1° quænam obligatio incumbat religiosis in genere, ratione votorum paupertatis, obedientiæ et castitatis; 2° quænam pro eis nunc specialiter obligatio in Galliis; 3° quænam pro eis in genere sit obligatio ratione constitutionum et regularum.

Punctum primum. — *De obligatione votorum pro religiosis in genere.*

De voto paupertatis.

1° Paupertas religiosa, secundum jus commune et strictum, est voluntaria abdicatio, voto firmata, omnium rerum temporalium mobilium et immobilium, quoad proprietatem, usum et usumfructum, irrevocabiliter et sine ulla reservatione. Hoc constat ex pluribus juris canonici capitibus, præsertim cap. 6, tit. 35, l. 3 Decretal. supra citato; ex concilio Trid., sess. 25, cap. 2, de Regul. et Monial., et communi doctorum interpretatione.

2° Votum religiosum paupertatis jure communi reddit omnino incapacem dominii, adeo ut existens dominium destruat, et subsequens impediat. Attamen de essentia ejus non est ut omne dominium abjiciatur; nam ex variis monumentis constat aliquos religiosos quasdam habuisse proprietates, potuisse succedere et testamenta con-

dere, ut fuse ostendit *Suarez*, t. III, p. 415 et seq. Ex bulla Greg. XIII *Ascendente Domino*, religiosi societatis Jesu, post emissa prima vota, vere sunt religiosi, et tamen retinent et acquirere possunt dominium radicale bonorum temporalium. Non habent jus actuale de illis pro arbitrio suo disponendi ac utendi, et in hac abdicatione consistit essentia paupertatis religiosæ ex disciplina jam pridem recepta. Efficere enim posset Ecclesia, juxta *Suarez* aliosque, ut sufficeret paupertas in gradu adhuc inferiori.

3° Concil. Trid., sess. 25, cap. 2, de Regul., ait : « Nemini regularium tam virorum quam mulierum liceat » bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatis » fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam » propria, aut etiam nomine conventus, possidere vel retinere ; sed statim ea superiori tradantur et conventui » incorporentur. » Nihil ergo excipitur : quicumque actus proprietatis voto paupertatis adversatur, ac proinde est peccatum grave vel leve, juxta gravitatem vel levitatem materiæ. Inde plura inferuntur, nempe 1° religiosos ac moniales peculium proprium habere non posse, neque magnum neque parvum, sed omnia etiam quæ ipsorum occasione acquiruntur in communi esse ponenda, et dispositioni remittenda solius superioris, qui ea, secundum prudentiam suam, pro bono generali applicare debet; 2° nihil proprio nomine acceptare posse, quovis titulo, neque a parentibus aut consanguineis, neque ab aliis personis, et quod sic acceptatum fuisset, communitati incorporandum foret, secundum verba concilii Trid. superius citata; 3° nihil ex bonis communibus neque ex iis quæ sibi ad usum tribuuntur dare aut commodare posse, sine licentia superioris; 4° neque pauperibus erogare posse ea quæ parcius vivendo subtraherent, quia hæc non consumpta ad communitatem pertinent, nisi forte certa portio ita alicui religioso assignaretur, ut nihil aliud petere posset, nec ullam rationem reddere deberet; tunc quidquid sibi subtraheret vel residuum foret in usum honestum, juxta beneplacitum suum, impendere posset, in-

quit S. Ligorius, l. 4, n. 23; 5° neque ea quæ sibi tradita sunt ad usum, v. g., vestes, instrumenta, occultare posse ne superior illa velit auferre et aliis tradere; 6° neque proprie et cum affectu proprietarii dicere posse : Mea cellula, mei libri, mea vestimenta; at his verbis indicare possunt usum de facto; 7° legatis sibi personaliter factis aut hæreditatibus sibi advenientibus renuntiare non posse, quia hæc in utilitatem communitatis cedere debent, et aliunde sunt jura vera quibus renuntiare nequeunt sine actu proprietatis : non tenentur tamen ex religione munera sibi oblata pro monasterio acceptare, quia votum paupertatis non obligat ad aliquid acquirendum; sed acceptata restituere nequeunt, quia jam facta sunt monasterii propria; 8° eos licite quidem indicare posse superiori usum in quem desiderarent bona sibi obvenientia vel in censum vitalitium supra dotem soluta impendi, sed ipsis cavendum esse ne conditionem imponere videantur, aut propriam habeant voluntatem determinatam, quia voto paupertatis contrairent.

4° Nunc investigandum est quale sit peccatum in his actibus contra religiosam paupertatem. In assignanda autem materia ad constituendum peccatum mortale requisita valde scinduntur theologi, et idcirco tale periculum caute devitandum est. Attamen ubi agitur de his actibus qui, rem dando aut destruendo, injuriam communitati faciunt, generaliter conveniunt eam saltem requiri quantitatem quæ in furto necessaria est. Plures volunt tantam requiri quanta requiritur in furto filiorumfamilias, id est, probabiliter duplo majorem quam in furtis extraneorum. Alii contradicunt, et *Billuart* distinguit inter ea quæ usu consumuntur, ut esculenta ac poculenta, et res permanentes, ut sunt pecuniæ, supellectilia et similia : æstimat in priori casu eamdem requiri quantitatem ad constituendum peccatum mortale ac in furtis filiorumfamilias, quia superiores in his succedunt parentibus, et non censentur inviti quoad substantiam, sed tantum quoad modum. In posteriori vero casu dubitat, quia, ex una parte, religiosi ac moniales sunt membra communitatis ad quam

bona ista pertinent, et, ex altera parte, proprietatem eorum nunquam habere poterunt.

Hoc unum nobis videtur certum, scilicet, quantitatem ad constituendum peccatum mortale requisitam, debere esse majorem vel minorem secundum majorem vel minorem injuriam quæ monasterio infertur et ex variis circumstantiis, judicio viri prudentis æstimandum esse.

In cæteris vero actibus paupertati religiosæ oppositis, qui rebus monasterii aut nullatenus aut leviter tantum nocent, major requiritur materia ad peccatum mortale, tum quia non fit aut levis tantum fit injuria monasterio, ut supponitur, et peccatur solum contra religionem; tum quia superior minus est invitus. Ita *Billuart.* Unde minus peccat, cæteris paribus, qui recipit quam qui dat; qui dat fratribus, quam qui dat extraneis, etc.

5° Quæ huc usque dicta sunt directe applicantur iis qui in ordinibus stricte regularibus professionem emiserunt. Plures sunt insuper religiosæ congregationes, ubi simplicia tantum emittuntur vota, ut congregatio presbyterorum Missionis, vulgo *Lazaristes*, congregatio sororum Charitatis S. Vincentii a Paulo, congregatio fratrum Doctrinæ christianæ, etc. Qui in hujusmodi congregationibus profitentur, dominium bonorum acquisitorum et jus nova acquirendi retinent, sed tum acquisitis, tum acquirendis absque superioris licentia uti nequeunt. Tales etiam sunt personæ quæ, perfectionis causa in mundo remanentes, vovent paupertatem, id est facultate sibi interdicunt bonis suis utendi sine confessarii alteriusve superioris licentia.

His igitur omnibus applicanda sunt quæ supra diximus, non quidem de proprietate, sed de usu bonorum, cum duplici tamen differentia : prima, quod, ad constituendum peccatum mortale in persona disponente, contra votum paupertatis, de bono cujus dominium radicale retinet, major requiratur quantitas quam in ea quæ disponeret de bonis cujus dominium non haberet; secunda

differentia est quod, in priori casu, dispositio esset illicita, sed valida, et in posteriori esset simul illicita et nulla. Unde, in priori casu, suscipiens, ut pote peccato disponentis cooperans, peccaret, sed ad restitutionem non teneretur; secus in posteriori casu, *ut patet.*

In congregationibus ergo, in quibus simplicia tantum emittuntur vota, qui voverunt, jam propriis bonis nullo modo licite uti possunt sine licentia recte obtenta : superiores autem actus proprietatis inferiorum suorum sapienter dirigere debent, et, saltem communiter, exigere nequeunt ut inferiores bona sua dent congregationi, vel ad talem piam operam adhibeant. Pro bono religionis et honore religiosarum communitatum, valde optandum est ut familiæ locum non habeant rationabiliter conquerendi quod bona patrimonialia ab ipsis ad communitates transferantur.

6° Ut ergo regulares utriusque sexus de rebus temporalibus licite disponere possint, intra limites religiosæ paupertatis, quatuor requiruntur conditiones, videlicet 1° ut iis non utantur tanquam suis, nec ea quorum dominium haberent ullo modo per seipsos tanquam proprietarii administrent; 2° ut veram et rationabilem habeant superioris licentiam : unde si metu, fraude, dolo, vexationibus, molestiis, allegatione falsi aut reticentia veri, vel absque rationabili causa, talem obtinerent licentiam, ea minime excusari possent; et bona communia sic data accipientes, ea retinere non deberent; quod certum est in hypothesi licentiæ extortæ, et probabilius in hypothesi licentiæ absque rationabili causa concessæ, quia probabilius videtur superiorem valide hujusmodi concedere non posse licentiam sine causa honesta et rationabili. Vide S. Ligorium, l. 4, n. 31. Non semper necesse est ut licentia sit expressa; sufficit enim tacita seu implicita, quæ, scilicet, rei cognitionem in superiore supponit, et ex circumstantiis prudenter judicatur adesse, quia expressi et taciti eadem est virtus, idem judicium, modo concessio reipsa existat. « Unde, inquit *Ferraris*, verbo *Votum*, art. 2, » n. 127, illis religionibus et monasteriis ubi viget legi-

» tima consuetudo aliqua recipiendi, retinendi, expen-
» dendi, donandi, et hujusmodi sine expressa superioris
» licentia, excusantur religiosi ac religiosæ a peccato pro-
» prietatis, ratione licentiæ tacitæ. » Licentia autem præsumpta non sufficit, quia revera non existit, nisi tamen res urgeat et superior adiri nequeat. Tunc enim censetur, ex consuetudine, velle ut licentia ejus non exspectetur, modo tota res quamprimum ipsi exponatur. Ita P. *Antoine*, t. IV, p. 268. Non autem requiritur ut licentia singulis vicibus concedatur, sed, concessa sine limitatione temporis, valet saltem pro toto tempore superioris concedentis, et probabilius sub alio superiore succedente, donec revocata fuerit. 3° Ut eis utantur juxta modos in suis constitutionibus expressos, quia unusquisque tenetur ad paupertatem eo modo quo eam Deo promisit : illam autem Deo promisit juxta modum in suo ordine usitatum, præscriptum et approbatum. Hinc alio modo tenentur religiosi mendicantes, et alio religiosi non mendicantes. 4° Ut eis utantur servata modestia et honestate; id est, in rebus sibi ad usum concessis vitare debent superfluitatem, curiositatem et pretiositatem, ita ut si in illis notabiliter excederent, graviter peccarent, ut communiter docent auctores. 5° Hæc porro applicanda sunt œconomo aliisque officialibus in dispensatione bonorum quæ ipsis ratione muneris commissa sunt; imo ipsis religionum prælatis, qui contra votum et simul contra justitiam peccarent, si bona conventus aut congregationis aliter impenderent aut impendere permitterent quam regula ordinis aut probata consuetudo, vel superiorum majorum voluntas permittit, quia non sunt hujusmodi bonorum domini, sed administratores.

7° Licentia a superiore petita et indebite negata a transgressione non eximeret, nisi vera urgeret necessitas quæ a lege gravi excusaret, et similiter a voto excusare debet. Superior autem nulli religioso vel moniali licentiam concedere potest rem possidendi vel ea utendi tanquam si proprietarius esset, quia tunc essentiam voti paupertatis destrueret. Solum igitur usum permittere potest juxta

suum beneplacitum : non agnoscit limites, modo adsit causa rationalis.

8° Monasteria tam virorum quam mulierum, exceptis in ordine Franciscano, domibus Fratrum Minorum de Observantia et Fratrum Minorum Capucinorum, bona non solum mobilia, sed et immobilia possidere possunt in communi, ut expresse habetur in concilio Trid., sess. 22, cap. 3, de Regul. Superiores ea prudenter ac discrete administrare possunt, juxta constitutiones sui ordinis, et non aliter : contra votum, sicut simplices religiosi, peccarent, si aliquo modo uterentur illis tanquam proprietarii.

Bona immobilia et mobilia pretiosa alienare non possunt sine consensu capituli et approbatione superioris majoris. Quis autem est superior? Ex Extrav. commun., l. 3, cap. *Ambitiosæ,* est Papa; ex decreto Cong. Concilii Trid. anni 1624, est ipsamet congregatio. Verum nec Extrav. *Ambitiosæ,* nec decretum Cong. Concilii in Gallia fuerunt in usu. Major igitur superior est generalis ordinis, vel episcopus aut superior ab ipso præpositus monasterio, si agitur, ut plurimum, de monialibus ipsi subjectis.

De voto obedientiæ.

1° Obedientia religiosa est votum quo quis se obligat in religione approbata ad obediendum legitimo superiori in iis quæ ad observantiam regulæ et constitutionem ordinis pertinent. Hæc definitio ab omnibus moraliter admittitur. Hinc votum obedientiæ non imponit obligationem 1° obediendi superiori illegitimo, qui jus præcipiendi non habet; 2° nec obediendi in iis quæ a vita regulari aliena essent; 3° nec in iis quæ contra vel supra regulam aut constitutiones proprii ordinis essent; principium enim obligationis votorum est intentio voventis : porro qui in uno instituto religionem professus est, obedientiam promisisse non censetur secundum aliam regulam aliasve constitutiones, nec probabiliter secundum regulam pri-

mitivam sui ordinis tempore suæ professionis multum relaxatam; quia professionem emittendo, præsentem regulæ statum et non primitivum naturaliter intendere debuit, et non tenetur ultra id quod prævidit et voluit. Vide S. Ligorium, l. 4, n. 44.

2° Regularis ergo superiori legitime præcipienti inobediens, duplex admittit peccatum, unum contra præceptum naturale, et alterum contra votum. Hoc peccatum est mortale aut veniale, juxta gravitatem materiæ, ut patet ex dictis in Tractatu *de Legibus*, et juxta voluntatem superioris; certum est enim superiorem habere jus præcipiendi sub gravi; sed potest etiam præcipere sub levi, vel tantummodo consulere. Exquirenda est igitur vera ipsius intentio.

Non censetur autem præcipere sub gravi, etiam dicendo : *Jubeo*, *præcipio*, etc., nisi addat *in nomine Jesu Christi*, *in virtute obedientiæ*, *sub pœna excommunicationis*, aut aliter clare ostendat se stricte obligare velle. Ita *Sanchez*, *Vasquez*, *Suarez*, *Busenbaum*, *Billuart*, *Ferraris*, S. Ligorius aliique auctores religiosi, qui extensionem voti obedientiæ perfecto norunt. Si alia utatur forma, censetur tantum obligare velle sub culpa veniali, et aliquando sub nulla; hoc colligi potest ex modo præcipiendi, ex qualitate et quantitate rei præceptæ. *Est sententia communis.*

3° Subditus obedire non tenetur, vi sui voti, superiori rem impossibilem aut evidenter illicitam, aut graviter damnosam præcipienti; non potuit enim se obligare ad rem impossibilem aut evidenter illicitam, et non censetur se obligare voluisse ad rem sibi graviter damnosam, nisi agatur de officiis intra vitæ religiosæ limites implendis, v. g., de curandis religiosis pestiferis. At in dubio an res præscripta sit licita, vel illicita, obedire debet, quia certa est obligatio obediendi et excusatio incerta, sicque conscientiam practice certam sibi efformare tenetur. Talis est communior sententia, ut videre est apud auctores a S. Ligorio citatos, l. 4, n. 47. Item, ubi dubium est an res præscripta sit secundum regulam et constitutiones sui ordinis, propter eamdem rationem.

4° Superior habet jus præcipiendi non solum ea quæ sunt explicite in regula vel constitutionibus, v. g., abstinentiam a carnibus, jejunium, silentium, sed etiam ea quæ implicite in illis continentur, ut pœnas in transgressores, statuta ad earum observationem legitime condita; qui enim ad observationem regulæ et constitutionem se obligavit, eo ipso obligationem contraxit servandi ea quæ ad hunc consequendum finem sapienter statuta sunt vel præcipiuntur. Item præcipere potest actus internos, non præcise ut tales, sed quatenus connexionem habent cum actibus externis quos legitime præcipit.

5° Regulares ex voto obedientiæ tenentur obedire, in iis quæ concernunt regulam et constitutiones, non solum superiori suo immediato, sed 1° summo Pontifici, qui est primus omnium religiosorum superior; 2° Congregationi Episcoporum et Regularium quæ a Sixto V fuit instituta, tanquam supremum tribunal pro bono regimine et felici gubernio omnium regularium; Innocentius XII alteram instituit congregationem pro regularium disciplina; 3° episcopo in iis in quibus jurisdictioni ejus subjiciuntur.

6° Moniales obedire tenentur, vi voti obedientiæ abbatissæ, priorissæ vel superiorissæ monasterii; quamvis enim feminæ jurisdictionis ecclesiasticæ ab ordine dependentis sint incapaces, nihilominus habere possunt facultatem nomine Dei gubernandi, dirigendi et præcipiendi, quia, juxta omnes, potestatis dominativæ et præceptivæ sunt capaces : unde superiorissæ recte constitutæ monialibus sibi subditis præcipere possunt sub peccato mortali in re gravi.

7° Licentia a superiore inferiore negata, a majori valide et aliquando licite concedi potest, quamvis raro id expediat: si vero a majori fuisset negata, ab inferiore valide concedi non posset, nisi inferior negationem superioris majoris ignoraret et licentia in bona fide peteretur, aut legitime præsumeret superiorem non habuisse intentionem ipsius facultatem restringendi.

8° Quæ huc usque de voto obedientiæ in solemni professione emisso diximus, applicari debent etiam voto sim-

plici quod emittitur in piis congregationibus non solemniter approbatis, cum eo tamen discrimine quod in priori casu quacumque vota, juramenta et promissa omnino pendeant a voluntate superiorum qui ea pro nutu, sine distinctione, irritare possunt; in posteriori vero casu, vota in favorem tertii cum promissione emissa, cum essent valida licet illicita, superiores ea directe non possent irritare : possent vero, ut nobis videtur, si non essent in favorem tertii aut nondum fuissent acceptata.

De voto castitatis.

Qui votum emittunt castitatis strictam sibi imponunt obligationem religionis ab omni voluntaria delectatione venerea, sive interna, sive externa, abstinendi, ita ut si postea castitatem lædant, duo admittant peccata, unum luxuriæ et alterum sacrilegii. De duplici hoc peccato sufficienter diximus in dissertatione nostra in sextum Decalogi præceptum.

Votum solemne castitatis in eo differt a voto simplici, quod voventem reddat in perpetuum ad matrimonium *valide* contrahendum inhabilem, dum votum simplex illum reddit inhabilem ad *licite* tantum contrahendum, nisi Ecclesia aliter expresse statuerit in casu aliquo particulari, ut fecit relative ad scholasticos Societatis Jesu.

Punctum secundum. — *De obligatione votorum religiosorum in Galliis.*

Quæstio ad hoc potissimum reducitur, an in præsenti rerum statu, vota apud nos emissa in religionibus olim solemniter approbatis, nunc habenda sint ut solemnia, an tantum ut simplicia. Patet gravissimam esse hanc quæstionem propter consectaria ex solutione ejus aut omnino aut maxime pendentia, tum quoad validitatem actuum proprietatis et impedimenti matrimonii, tum quoad obligationem clausuræ divini officii, tum quoad votorum dispensationem.

Difficultas oritur ex dispositione legis civilis quæ nec solemnia nec perpetua agnoscit vota, nec ullam habet rationem votorum relative ad successiones, testamenta et quoslibet actus proprietatis, ut videre est in decreto 18 feb. 1809, art. 9 et 10; in lege 24 maii 1825, art. 5; in *Instructione ministeriali*, pro exsecutione hujus legis, art. 52, ubi expresse habetur : *La loi n'interdit point aux religieuses la libre jouissance de leurs biens patrimoniaux et autres qu'elles possèdent*, etc.

Non solum lex civilis vota religiosa renuit agnoscere, quod per seipsum non impediret quin solemnia esse possent, sed impedit quin omne bonorum dominium, tum præsens tum futurum, abjiciatur; sic enim habet decretum 18 febr. 1809, art. 9 et 10 : *Chaque hospitalière conservera l'entière propriété de ses biens et revenus, et le droit de les administrer et d'en disposer conformément au Code civil. Elle ne pourra par acte entre-vifs, ni y renoncer au profit de sa famille, ni en disposer, soit au profit de la Congrégation, soit en faveur de qui que ce soit*. Eadem dispositio ad omnes alios religiosos *legaliter* agnitos extenditur. Aliæ utriusque sexus personæ, Deo per vota quantumvis solemnia consecratæ, dominium bonorum acquisitorum et acquirendorum coram lege abjicere nequeunt.

Plures arbitrantur, nec immerito, vota apud nos in religionibus olim stricte approbatis regulariter emissa esse solemnia, non obstantibus legis civilis dispositionibus : rationes eorum sunt, 1° quia vota, ut pote media perfectionis, sunt tantum de foro Ecclesiæ, et lex civilis ea non potest attingere, 2° quia alioquin nulla essent nec esse possent vota solemnia in regionibus hæreticis, et in aliis ubi lex civilis ea non agnoscit, quod videtur oppositum praxi et doctrinæ Ecclesiæ.

Alii autem contendunt nunc apud nos solemnia non esse prædicta vota, quia necessario deest omnimoda dominii abdicatio, quæ, in præsenti Ecclesiæ disciplina, jure communi ad votum religiosum paupertatis strictissime requiritur : lex enim civilis sola de dominio bonorum statuit, et sub hoc respectu etiam in foro interno

obligat; vel saltem qui vovent, dispositionem legis cognoscentes, nec volunt nec velle debent omne bonorum dominium abjicere, propter incommoda inde pro ipsis nascitura.

Inter hæc duo satis constare videntur : 1° summus Pontifex a dispositionibus juris communis dispensare posset et efficere ut votum paupertatis, prout fit in Gallia, ad solemnem professionem sufficeret, etiamsi lex civilis vim habeat in foro interno in iis quæ spectant ad dominii abdicationem, quia, ex dictis, plena dominii abdicatio non est de essentia paupertatis religiosæ. Sic sane voluit pro locis Hollandiæ, Angliæ, etc., ubi vota religiosorum habentur ut solemnia. 2° Vota monialium habentur ut simplicia, idque ex variis sacræ pœnitentiariæ responsis; v. g., 2 jan. 1836 : « Monasteria, prout nunc in Galliis existunt, a Sede Apostolica, attentis specialibus » circumstantiis, non tanquam ordines vere et proprie » religiosi, sed ut piissimarum familiæ feminarum æstimanda. » Jam 23 jan. 1821 fuerat responsum « eas in » ordine ac religione sua vere professas dici censeri non » posse. »

At responsio 2 jan. 1836 fert expresse « decreta per » S. Pœnitentiariam alias edita spectare solummodo ad » moniales. » Refertur tamen aliquod S. Cong. de Propaganda fide responsum 24 aprilis 1831, quod supponit similiter simplicia esse vota Trappensium. Verum hujus ordinis religiosi, Carthusiani, Benedictini et Jesuitæ contendunt sua vota a S. Cong. Episcoporum et Regularium haberi ut solemnia. Habemus præ oculis, sub data 18 maii 1836, declarationem cardinalis Odeschalchi, testantis sacram Cong. Episc. et Reg., cujus tunc erat præfectus, die 5 sept. 1834 admisisse unanimi consensu solemnitatatem votorum Trappensium.

Sequitur ergo omnia et sola quæ de votis simplicibus paupertatis, obedientiæ et castitatis diximus, applicanda esse monialibus quæ a perturbatione Gallicana apud nos professionem emiserunt etiam in ordinibus olim solemniter approbatis. Alia movebatur quæstio, videlicet, ad quid

tenerentur moniales ante perturbationem rerum solemniter professæ et e monasteriis expulsæ? Sed cum fere nullam nunc habere possit applicationem, eam prætermittimus.

Punctum tertium. — *De obligatione regularum et constitutionum regularium.*

Constitutiones et regulæ, sub quo nomine intelliguntur etiam statuta ipsis superaddita auctoritate legitima, obligant 1° sub mortali in essentialibus votorum, ut patet, et in gravibus præceptis, si quæ habeant a lege divina aut ecclesiastica mutuata vel superaddita, quod rarum est; 2° in multis obligant tantum sub veniali, nempe in communibus statutis et regulis, supposito quod hæc præcipiant, quia objectum non est grave, aut non rigorosa est intentio obligandi; 3° sæpe ne per se quidem obligant sub veniali, quia non habentur ut præcepta, sed ut mera consilia, quod ex verbis expressis, ex circumstantiis et ex communi interpretatione in ordine recepta cognoscitur. Hinc trangressio regulæ sub peccato obligantis est peccatum grave vel leve, juxta materiam, contra votum obedientiæ et ideo contra virtutem religionis; v. g., Carthusianus edens carnes et Franciscanus feria sexta non jejunans, peccant contra obedientiam et simul contra temperantiam. Transgressio vero regulæ non obligantis sub peccato, non est peccatum contra votum obedientiæ, siquidem nullum violatur præceptum. Merito tamen notant auctores, ut S. Th. 2 2, q. 186, art. 9, ad 1, *Sanchez*, *Layman*, *Vasquez*, *Suarez*, *Busenbaum*, S. Ligorius, etc., transgressionem hujusmodi regulæ raro omni peccato vacare, propter negligentiam, libidinem, contemptum, etc.

Sectio tertia. — De religionum origine et distinctione.

1° Status religiosus ab ipso Christo substantialiter fuit institutus, ut supra diximus: primitus tamen non fuerunt religiosi a mundo separati sicut nunc existunt, sed plures

Christiani utriusque sexus, in variis societatis christianæ ordinibus degentes, durius quoddam et asperius vitæ genus sequebantur, rerum divinarum meditationi instantes, dicti sunt ascetæ a voce græca ἄσκησις, idem significante ac *exercitatio*, quia in abstinentia, jejunio aliisque virtutis operibus sese exercebant. Si vota castitatis, obedientiæ et paupertatis, saltem in quodam gradu tunc recepto emittebant, reipsa Deo erant dicati et substantialiter religiosi.

2° Sæviente violenta Decii persecutione, in medio tertii sæculi, multi in montes ac in vicinas solitudines confugerunt, ut ibi ab ethnicorum vexationibus securi, liberius pietati et rerum divinarum contemplationi vacarent. Hoc vitæ genus quibusdam adeo fuit jucundum, ut, pace Ecclesiæ reddita, in mundum redire noluerint. Ex eorum numero fuerunt S. Paulus eremita (id est, habitans eremum) et S. Antonius solitarius, quorum prior fuit vitæ anachoretarum auctor, et posterior illius fuit illustrator, ut ait S. Hieron., Epist. ad Eustochium. Anachoreta venit a particula græca ανα et verbo χορεῶ, et significat hominem qui in solitudinem recessit. Homo sic vivens dictus est etiam monachus, a græco μοναχὸς, solitarius.

3° S. Pachomius, anno 348 defunctus, socios in solitudine sibi adjunxit, regulam scripsit ut omnes vitam communem agerent : varias ædificavit domos in Thebaide, prope Nilum in Ægypto, quæ vocatæ sunt monasteria, a μονος, solus, et στηριζω, *in loco sisto* ; vel cœnobia, a κοινος, *communis*, et βιος, *vita*, et in quibus vidit ante mortem suam usque ad septem millia monachorum ad summam perfectionem tendentium.

4° S. Basilius Magnus, versus annum 359, quæ a SS. Antonio, Hilarione, Pachomio et utroque Macario de instruendis monachis verbo tenus audierat, aut sibi tradita erant, scriptis mandavit, quædam reformavit, et confecit regulam quæ ab episcopis hujus sæculi approbata fuit, modo quo regulæ religiosorum utriusque sexus approbari debuerunt usque ad concil. Lateran. IV, et generatim per Orientis regiones fuit adoptata. Unde S. Basilius

habitus est ut monachorum Orientalium patriarcha : regulam ejus professi sunt, inter multos alios Sanctos, S. Ephrem, S. Chrysost., S. Greg. Nazianzenus, S. Joannes Damascenus, S. Hieronymus, Hesychius, Cassianus, etc. Nunc fere omnes monachi Græci et orientalis Ecclesiæ hanc adhuc profitentur regulam.

5° S. Aug. post suam conversionem, circa annum 388, se recepit rus, prope Carthaginem, cum quibusdam amicis, et ibi proprietate omnium bonorum, etiam domus in qua habitabant, abjecta vel in communi posita, vitam ducebant monasticam. Hæc institutio fuit origo, juxta multos, totius ordinis Eremitarum S. Aug. ad quem multæ pertinuerunt congregationes, quas Alexander IV in generali unione conjunxit per bullam *Licet Ecclesiæ*, anno 1256. Quando idem S. Doctor fuit episcopus, voluit ut omnes Ecclesiæ suæ clerici vitam regularem secum ducerent, et veri fuerunt religiosi sub regula quam eis imposuit, et inde ordo clericorum seu canonicorum regularium qui per varias Occidentis regiones in multas congregationes exstiterunt et etiam nunc existunt.

6° Circa annum quingentesimum, S. Benedictus eremita, postea duodecim monasteriorum institutor in monte Subiaco, deinde, anno 529, celebris monasterii in monte Cassino fundamenta jecit. Adeo perfecta est regula quam scripsit et monachis suis imposuit, ut in diversis sæculis multi doctores varios tractatus circa illam confecerint et ediderint. Tantus fuit numerus congregationum sub ea regula viventium, ut S. Benedictus vocatus fuerit pater monachorum Occidentalium, sicut B. Basilius monachorum Orientalium.

7° S. Franciscus Assisinas, in initio decimi tertii sæculi, pater fuit numerosæ religiosorum familiæ sub nomine generali Franciscanorum aut Fratrum Minorum, ad quos pertinent Observantes, Recollecti, Capucini, Conventuales, Reformati, Tertiarius ordo, etc. Anno 1210, suam scripsit regulam rigorosam, strictam et perfectam, quam Franciscani et alii a Deo fuisse revelatam asserunt.

8° S. Dominicus, circa idem tempus, Fratrum Prædicatorum institutor, regulam S. Aug. adoptavit.

9° Sub specialibus regulis adhuc prodierunt 1° Carthusiani a S. Brunone in valle Carthusiana fundati, et anno 1084 ab Alexandro II approbati; 2° Carmelitæ, quos plures volunt esse antiquissimos, vel etiam a propheta Elia in monte Carmelo institutos, ortum habuerunt in duodecimo sæculo, juxta multos alios; regulam eorum approbavit Honorius III, anno 1226; 3° Minimi, a S. Francisco de Paula instituti circa annum 1486, et a Sixto IV approbati; 4° Clerici regulares Societatis Jesu valde celebres, a S. Ignatio de Loyola instituti circa annum 1434, et approbati successive a Paulo III, Julio III, Gregorio XIV, etc., a Clemente XIV suppressi, anno 1773, et a Pio VII, anno 1814, restituti, etc.

Hinc regulares, generatim spectati, dividuntur 1° in monachos in claustro viventes, officium canonicum celebrantes, et laboribus sive manuum sive intellectus vacantes, ad quos referuntur Benedictini, Carthusiani, Camaldulenses, Cistercienses, etc.; 2° in mendicantes, qui officium celebrant, prædicant, confessiones audiunt, vivunt aut vivere debent, juxta suum institutum, ex eleemosynis : tales sunt Dominicani, Franciscani, Carmelitæ et Augustini a S. Pio V 1567, inter mendicantes numerati et in quarto ordine collocati; 3° in clericos regulares, qui publicum non celebrant officium, sed juventutis educationi, prædicationi, aliisque sacri ministerii functionibus toti incumbunt; quales sunt Theatini, a Cajetano de Tienna versus annum 1524 fundati, Jesuitæ, Somaschæ, Barnabitæ, Clerici Minores, Clerici infirmorum Ministri, Clerici piarum scholarum; Redemptoristæ, a S. Alphonso de Ligorio instituti, etc.

Ad eos referuntur 1° Canonici regulares, a S. Chrodegango, Metensi episcopo, anno 766, primum instituti, deinde sub diversis regulis valde numerosi, et postea in congregationem Sanctæ Genovefæ apud nos coadunati; 2° Præmonstratenses, a S. Norberto anno 1120 fundati in valle quæ dicebatur Patrum Monstratum, unde nomen eorum venit.

Finis uniuscujusque ordinis religiosi non ita est absolutus ut monachus, v. g., prædicare non valeat, orationi vel divino officio addictus studere et scribere non debeat, etc. Multæ enim admissæ sunt exceptiones, et unus finis alios non semper excludit.

10° Plures sunt insuper congregationes clericorum sæcularium, v. g., congregatio de Oratorio, a S. Philippo Nerio, anno 1550, Romæ instituta, et a Gregorio XIII per bullam *Copiosus* confirmata ; congregatio de Oratorio Jesu, a Petro *de Bérulle*, presbytero, deinde cardinali, in Gallia fundata et a Paulo V anno 1613 confirmata, nunc autem exstincta ; congregatio Oblatorum, a S. Carolo Borromæo circa annum 1580 instituta ; congregatio presbyterorum Missionariorum, a S. Vincentio a Paulo versus annum 1626 fundata et anno 1632 ab Urbano VIII approbata, etc.

11° Quamvis omnes religionum ordines in substantia votorum et in fine principali, scilicet in perfectione acquirenda, sibi conveniant, multum tamen discrepant in fine immediato et in mediis quibus singuli utuntur. Hinc alia religio est contemplativa, quæ in rerum divinarum contemplatione principaliter se exercet; alia activa, quæ ad opera misericordiæ et charitatis, ex primæva sua institutione destinatur ; alia est mixta, in qua contemplationis et vitæ activæ exercitia uniuntur, ut in Societate Jesu et in pluribus ordinibus.

12° Negari non potest, sin omnino necessarios, saltem valde utiles esse ordines religiosos, cum, teste experientia et cum laude declarantibus Romanis pontificibus, religiosi precibus, exemplis, doctrinis et laboribus innumera Ecclesiæ attulerint bona et ab ea multa averterint mala. Unde refert sancta Teresia Christum sibi dixisse : *Væ mundo ! si religiosi non essent !* Si cunctas utilitates ex ordinibus religiosis in Ecclesiam et societatem redundantes enarrare vellemus, infiniti essemus.

13° Summe fuit expediens quod variæ instituerentur religiones, ut homines propensionibus et aptitudine tam diversi statum sibi magis congruentem eligere possent : hæc igitur varietas ex sapienti providentia Dei contigit.

Qui diversarum religionum originem, progressum, lapsus, reformationes, etc., cognoscere voluerit, legat opus P. *Hélyot*, *Histoire des ordres monastiques, etc.*, cujus data est nova editio sub titulo: *Dictionnaire des ordres religieux*, 4 vol. in-4o, aut saltem breve compendium D. *Henrion, Histoire des ordres religieux*, etc.

Sectio quarta. — De conditionibus ad candidatorum admissionem requisitis.

In professione religiosa fit contractus inter recipiendum et communitatem eum recipientem : fieri potest ut ille contractus sit nullus, si nempe desit conditio essentialis; vel tantum illicitus, si omittatur conditio requisita, sed non essentialis. Itaque duplicis generis distinguuntur impedimenta ad professionem religiosam, sicut ad matrimonium, dirimentia scilicet et impedientia.

Impedimenta dirimentia.

Impedimenta dirimentia sunt defectus Baptismi, dependentia ab altero, differentia sexus, amentia, et defectus ætatis.

1° *Defectus Baptismi;* quia, cum religio sit pars Ecclesiæ, nullus ei valide incorporari potest, nisi jam sit membrum Ecclesiæ.

2° *Dependentia ab altero;* qui enim non est sui juris non potest se totaliter alteri tradere, et hujusmodi traditio essentialiter nulla est : professio religiosa tamen totalem supponit sui traditionem : ergo. Hinc 1° mancipium religionem sine consensu domini valide profiteri non potest; 2° nec conjux, matrimonio consummato, sine consensu compartis suæ, quæ, si sit juvenis, debet pariter religionem ingredi et profiteri, et si sit senex, in sæculo remanere potest, sed cum voto perpetuæ continentiæ; Decretal. l. 3, tit. 33, cap. 4, 8 et 13. Excipitur casus adulterii notorii vel saltem per sententiam declarati : tunc pars innocens religionem profiteri posset; item si una

pars veram religionem deserat, separatione auctoritate Ecclesiæ pronuntiata, altera contradicente et continentiam non vovente; Decretal. l. 4, tit. 19, cap. 4 et 6. 3° Nec episcopus sine consensu summi Pontificis, ut expresse declarat Innocentius III, in Decretal. lib. 4, tit. 31, cap. 18, § *Si vero* : « Quia, inquit Pontifex, sicut majus bo- » num minori bono præponitur, ita communis utilitas » speciali utilitati præfertur. » At Urbanus II in Decreti parte 2, causa 19, q. 2, can. *Relatus*, dicit de clerico in genere, ac proinde de quolibet sacerdote etiam parocho et archidiacono : « Si afflatus Spiritu sancto in aliquo » monasterio vel in regulari canonia salvare se voluerit... » etiam episcopo suo contradicente, est liber auctoritate » nostra. » Suum tamen officium deserere non potest inconsulto episcopo, ut recte notat *Billuart* et bonus ordo exigit.

Professus in aliqua religione in laxiorem transire non potest absque dispensatione summi Pontificis. Decretal., ibid. et concil. Trid., sess. 25, de Regul., cap. 19.

3° *Differentia sexus;* nam 1° cohabitatio virorum cum monialibus stricte prohibetur in Decreto, p. 2, causa 18, q. 5, can. 21 et 22. 2° Professio valida esse non potest, nisi fiat in religione approbata : atqui professio monialis apud monachos, aut vice versa, certe non fieret in religione in eo sensu approbata, nec ab Ecclesia nomine Dei acceptaretur : ergo. Vide S. Ligorium, l. 4, n. 74.

4° *Amentia;* professio enim est essentialiter actus libertatis, cujus amens est incapax. Qui amens esset circa quædam tantum, et non circa alia, vel lucida haberet intervalla, profiteri posset, sed illicite admitteretur, quia ad religionem non est aptus.

5° *Defectus ætatis;* sic enim habet conc. Trid., sess. 25, cap. 15, de Reg. : « In quacumque religione tam virorum » quam mulierum professio non fiat ante decimum sex- » tum annum expletum : nec qui minori tempore, quam » per annum, post susceptum habitum in probatione » steterit, ad professionem admittatur. Professio autem » antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem,

» ad alicujus regulæ, religionis vel ordinis observationem, » aut ad alios quoscumque effectus. »

An autem consensus parentum requiratur? Communiter dicunt auctores illum non esse requisitum ut professio sit jure canonico valida; sed ordinarie requiri nobis videtur jure naturali ut sit licita, nisi parentes, humiliter rogati, consensum puberibus absque legitima causa pertinaciter denegent. In hoc S. Ligorio aliisque ab eo citatis, l. 4, n. 68, non plene assentiendum putamus.

Nunc apud nos, minores profiteri non possunt, absque consensu parentum vel ascendentium, vel concilii familiæ, ante ætatem qua matrimonium sine eorum consensu inire queunt : hoc nulla lege exprimitur, sed ex dispositionibus Codicis ad matrimonium respicientibus eruitur. Professio tamen valida esset coram Deo et Ecclesia, sed ordinarie illicita, prout diximus de matrimonio; et talis admissio valde imprudens esset ex parte monasteriorum, nisi superiores certi essent nullam in futurum ex parte interesse habentium surrecturam esse reclamationem.

Impedimenta impedientia.

Valide quidem, sed illicite admitterentur :

1° Ii quorum ascendentes directi sunt in gravi necessitate, si manentes in sæculo eis sine gravi periculo salutis succurrere possint; naturale enim præceptum de honorandis parentibus, proposito, imo et voto ingrediendi religionem prævalet, quia votum legi naturali oppositum est nullum. Si autem filii manentes in sæculo parentibus succurrere non possent, aut si grave periculum salutis incurrerent, aut si parentes ab aliis conveniens auxilium recepturi essent, impedimentum religionis jam non existeret. Parentes illicite profiterentur si relinquerent liberos in gravi necessitate. Fratrum autem necessitas, nisi sit extrema, professioni absolute non obstat. S. Lig., l. 4, n. 69 et 70.

2° Excommunicatus etiam toleratus, quia licite cum aliis communicare non potest in divinis : peccat igitur,

et qui scienter eum recipiunt peccant etiam, peccato ejus cooperando.

3° Illegitimus, si pater ejus in ea religione professus adhuc vivat; et suscipiens excommunicatur, ex bulla Greg. XIV *Circumspecta* : non tamen irrita declaratur professio.

4° Ære alieno gravatus vel rationem habens reddendam, si spes affulgeat quod remanens in sæculo debitoribus satisfacere possit, ut in Tractatu *de Restitutione* ostendimus, nisi debitores consentiant. Professionem eorum irritaverat Sixtus V per bullam *Cum omnibus* : Clemens VII irritationem sustulit, manentibus tamen contra recipientes pœnis, scilicet privatione vocis activæ, officiorum et dignitatum, ac perpetua inhabilitate ad illa possidenda.

In ea tamen prohibitione non comprehenduntur moniales, ut ipse Sixtus V declaravit bulla *Ad Romanum*; nec debitores qui ignorant cui debeant, quia tunc cum restitutio impendenda sit in pias causas, satisfaciunt donando religioni quod donare possunt; nec ii quorum debita sunt levia respectu ad creditores; nec debitores ex liberali promissione, quia adest ratio sufficiens contractum resiliendi, et insuper non censentur ære alieno gravati.

In eodem ordine reputandus est qui virginem sub promissione matrimonii defloravit.

5° Infames sive ex delicto enormi notorio, furto, adulterio, homicidio, sive ex pœna ignominiosa a judicibus imposita, sive ex genere artis, ut sunt carnifices, scurræ, histriones, lenones, etc., nisi diuturna pœnitentia, vitæ sanctitate, singularibus meritis nota infamiæ in hominum mentibus fuerit deleta : ratio est, quia religio est status honorificus quem personæ commendabiles amplectuntur, et iis nimis grave esset habere pro sociis et confratribus vel consororibus personas infamia notatas.

Sixtus V professionem criminosorum notoriorum per bullam *Ad Romanum* irritavit : Clemens VIII irritationem sustulit per Const. *In suprema,* sed privationem vocis activæ et passivæ, officiorum et dignitatum reliquit.

6° Infirmitas talis ut prævideatur tanquam probabile quod persona, juxta regulam ordinis, ordinarie futura sit incapax vivere et communes obligationes implere, nisi aliunde sufficientem præbeat religioni vel monasterio compensationem.

SECTIO QUINTA. — De novitiatu.

1° Novitiatus est mutuum experimentum quo religio ex sua parte experitur an expediat novitium vel novitiam admittere; et novitius vel novitia, ex altera parte, an vota religionis in eo ordine vel monasterio prudenter emitteret. Cum hujusmodi experimentum in bonum totius religionis et Ecclesiæ fuerit per legem generalem institutum, novitius vel novitia et monasterium ex mutuo consensu ei nunc, sicut olim fiebat, renuntiare non possunt.

2° Probatio regulariter in habitu religioso facienda est, ut statuitur vel supponitur in Decretal., l. 3, tit. 31, cap. 9, 16 et 28; in Sexto, l. 3, tit. 14, cap. 1; et in Clem. l. 3, tit. 9, cap. 2, et communi omnium religionum praxi habetur. Ratio est, quia habitus religiosi gestatio est quædam austeritas quam experiri convenit, et aliunde aptitudo ad vitam regularem sub habitu religioso facilius dignoscitur. Concilium Trid., sess. 25, cap. 15, de Reg., supponit habitum esse de novitiatus essentia, et ita communiter docent auctores, inquit *Ferraris*, v° *Annus prob.*, n. 3 : attamen in Anglia, Hibernia et in aliis hæreticorum locis novitii in habitu sæculari probantur, teste *Billuart*. Id legitime fieri potest ex dispensatione summi Pontificis, vel ex consuetudine legitime præscripta.

3° Habitus novitiatus ordinarie est diversus, saltem sub aliquo respectu, ab habitu professionis, et juxta cæremonias pro unaquaque religione statutas, a prælato vel ab alio ex licentia ejus et consensu conventus imponitur : ita ut nec conventus sine prælato, nec prælatus seu superior sine conventu, ad religionem aliquem recipere possit, ut expresse habetur in Decretal. l. 3, tit. 10, cap. 4,

5 et 6. Attendi tamen debent constitutiones, regulæ et privilegia cujusque religionis pro receptione novitiorum : si quis a non habente auctoritatem in religione fuerit admissus, ejus admissio nulla est, et legitimus superior eum habitu spoliare ac e religione dimittere potest. *Ferraris,* v° *Novit.,* n. 7.

4° In jure canonico nulla determinatur ætas pro suscipiendo habitu religioso : *Billuart* prætendit quod, completo anno pubertatis, nihil obstet quominus novitiatus statim incipiatur; sed ex variis Cong. Episc. et Regul. decretis a *Ferraris*, verbo *Annus prob.*, n. 6 relatis, novitii vestiri, id est, habitum suscipere non possunt quin annum ætatis suæ decimum quintum attingant, seu decimum quartum compleverint. Possunt tamen hac ætate minores in monasteria recipi ibique morari; sed commoratio ista rationem probationis non habet.

5° Ex decreto S. Cong. Episc. et Reg., diei 25 jan. 1848, a Pio IX approbato, in quocumque ordine vel instituto religioso virorum, absque ulla exceptione, *nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus litteris, tum etiam Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci in quo postulans, post expletum decimum quintum annum ætatis suæ, ultra moratus fuerit...*

Quolibet anno, die prima januarii, in publica mensa, hoc decretum legatur sub pœna privationis officii ac vocis activæ et passivæ a superioribus ipso facto incurrenda.

Aliud est ejusdem diei decretum in quo sapientissimæ traduntur regulæ de lege servanda in probandis qui ad habitum religiosum admitti postulant, et in admittendis novitiis ad professionem. *Corresp. de Rome.*

6° Olim cum novitiatus ad substantiam religionis non pertineret, vel abbreviari, ex consensu partium, poterat, vel fieri extra monasterium, ut patet ex Decretal. l. 4, tit. 6, cap. 7, ubi mulier quædam declaratur religiosa, licet monasterium ingressa non fuisset. Nunc vero, ex tenore capitis conc. Trid. supra citati, novitiatus valide perfici non potest extra monasterium vel domum ordinis in quo facienda est professio; alioquin non esset vera

probatio tum pro religione, tum pro novitio vel novitia. In Italia et insulis adjacentibus fieri debet, ex Const. Clementis VIII et Innocentii X, ibi receptis, in monasterio a Sancta Sede designato.

7° Annus novitiatus ordinarie incipit a momento susceptionis habitus, et sub pœna nullitatis, debet esse integer, ita ut, anno bissextili, exspectandus sit lapsus diei qui additur; hoc expresse S. Cong. Concilii Trid. declaravit die 4 junii 1627 et 31 aug. 1633. Ubi specialis existit domus novitiatus, annus requisitus computatur a die ingressus in eam domum.

8° Debet esse continuus et sine ulla interruptione. Unde, testibus *Fagnani* et *Ferraris,* S. Cong. Concilii decrevit novitium qui a monasterio ut aliam religionem ingrederetur abierat, et duas tantum horas in alio conventu traxerat et statim facti pœnitens redierat, novum probationis annum incipere teneri. Annus vero probationis interrumpi non censetur, 1° si novitius animo fugiendi aliquantisper intra claustra latitasset, etiam habitu demisso: 2° si retento habitu, e monasterio secrete exiisset, etiam cum animo non revertendi, sed exterius non manifestato: item si, dimisso habitu, exiisset ut superiorem majorem adiret, vel ob aliam rationem, non vero cum intentione manifestata religionem deserendi; 4° si ex licentia superioris, cum habitu exeat causa peregrinandi, pia loca abeundi, parentes aut cognatos ægrotantes invisendi, mendicandi, propter sanitatem deambulandi, meliore aere fruendi, etc. Attamen definitum est novitiam quæ intra annum probationis remittitur domum curanda, reversam novitiatum reincipere debere, sed absque cæremoniis, ad vitandas expensas; 4° si, anno probationis completo, e monasterio cum licentia superioris exiisset propter infirmitatem, etiam post triennium ad professionem sine nova probatione admitti potest, ut patet ex decreto S. Cong. diei 27 feb. 1596; 5° imo si novitius vel novitia absque licentia superioris exiisset, anno probationis completo, ad professionem sine nova probatione admitti posset, ut eadem S. Cong, censuit die 12 feb. 1589;

6o si novitius vel novitia, anno probationis finito, habitu exspolietur, iterum admitti et profiteri potest sine altero novitiatu, non autem si habitum sponte deposuisset; 7o item si intra probationis annum a capitulo dimittatur, habitu spolietur, et, mutata sententia, iterum admittatur, annus probationis non interrumpitur, et ideo non incipiendus est de novo : secus, si novitius e domo jam exiisset, nisi agnosceretur illum ob injustam causam expulsum fuisse. Super his omnibus vide *Ferraris*, vo *Annus prob.*, no 14 et seq.

Infirmitas autem, quantumvis longa et gravis, novitiatum per se non interrumpit, sicque novitius vel novitia per totum annum probationis ægrotans, si ad religionem habilis judicetur, expleto anno, statim admitti potest.

9o Ex privilegio a S. Pio V per Constit. *Summi sacerdotis*, anni 1570, concesso monialibus S. Dominici, et per communicationem, aliis tam viris quam mulieribus, novitii in casu morbi judicio medici mortalis, professionem ante annum novitiatus completum emittere possunt, modo ætatem a concilio Trid. requisitam habeant; et id quidem, ut probabilius, ad consequendas indulgentias et percipiendas alias gratias regularibus concessas : si autem convalescant, novitiatum complere et novam professionem solemnem emittere debent. Ita *Billuart*, *Ferraris*, loco citato, no 40, et alii.

10o Legitima interveniente causa, tempus probationis prorogari potest usque ad sex menses, maxime si novitius vel novitia de præsenti esset inhabilis ad profitendum et adesset spes superventuræ habilitatis, ut S. Pius V declaravit pro patribus Dominicanis; et si, propter pertinacem infirmitatem vel aliam causam, ultra sex menses protrahenda esset professio, æstimat *Ferraris*, no 34, pro hac obtinenda facultate adeundam esse Sedem Apostolicam, et ita a S. Cong. Concilii decisum esse. Testatur vero Passerinus, referente *Billuart*, se vidisse contrarium ex juxta causa fieri, contenditque restrictionem S. Pii V ad sex menses non esse præceptivam, sed directivam. Unde concludit idem *Billuart* professionem ad arbitrium

viri prudentis, attentis circumstantiis, differri posse. Idem supponit Pellizarius, in tractatu de Monialibus, cap. 3, quæst. 7.

11° Qui religionem ficte ingrederetur et habitum susciperet sine animo profitendi, vel initio habuisset intentionem profitendi, et postea, mutato proposito, nihilominus habitum detulisset atque in omnibus se præbuisset externe tanquam novitium, anno elapso valide profiteri posset, quia jus positivum novitiatum præcipiens intentionem non præscripsit. Item qui vi aut metu habitum suscepisset et in novitiatu perseverasset, nihilominus valide profiteretur, si hoc tempore liber esset, quia nullibi jus irritat novitiatum sic peractum. Ita *Billuart.*

12° Si quis ab uno conventu in alium, vel ab una provincia in aliam transeat, sed ejusdem ordinis et sub eodem generali, ad novum probationis annum non astringitur; si vero in alium ordinem, sive strictiorem, sive laxiorem transeat, annum novitiatus perficere debet, perinde ac si religiosus non fuisset. Ita communis auctorum sententia et diversarum religionum praxis absolute tenenda : eadem quippe est ratio experimenti, sive ex parte suscipiendi, sive ex parte religionis illum suscepturæ.

13° Novitius vel novitia licite potest, generaliter loquendo, tempore novitiatus, absque superioris consensu, habitum deponere et in mundum reverti, nisi voto hanc ingrediendi religionem ligatus sit, aut voto ingrediendi religionem in genere, et sufficientia habeat signa vocationis in eo monasterio. Constitutiones et regulas stricte non tenetur observare, nec officium recitare, cum nullo adhuc constringatur vinculo. Rectus tamen ordo exigit ut in omnibus fideliter obediat tempore probationis, alioquin non deberet admitti. Cæterum, iisdem privilegiis et indulgentiis ac professi gaudent novitii, quia in favorabilibus reputantur religiosi. Ita *Ferraris*, v° *Novit.*, n. 20.

14° Quando, ut nunc generaliter, monasteria non sunt annuis reditibus sufficienter fundata, licet convenientes

a novitiis exigere dotes : quantitas dotis, sive nummariæ, sive pensionis annuæ, ab episcopo vel a superiore determinanda est. Vide quæ supra diximus, ubi de Simonia, p. 248.

Concil. Trid., sess. 25, cap. 16 de Regul., prohibet ne, excepto victu et vestitu, aliquid ex bonis novitii vel novitiæ quocumque prætextu, ante professionem, monasterio tribuatur, ne libertas ejus discedendi lædatur, et præcipit, sub pœna anathematis ferendæ sententiæ, *ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur quæ erant sua*, et etiam ex decisione S. Congreg. quæ erant parentum eorum. Si ergo, ex rationabili causa, dos cum licentia episcopi ante professionem fuisset acceptata, restituenda foret, deductis expensis, supposito quod non fieret professio, nisi proprietas ejus omnino libere concederetur.

15° Quæ huc usque in præsenti sectione diximus respiciunt tantum ad ordines olim solemniter approbatos, non vero ad congregationes in quibus simplicia emittuntur vota, licet valde expediat ut in his piis familiis non recedatur a principiis quæ Ecclesia pro ordinibus stricte regularibus statuit.

16° Quamvis nullus teneatur directe, sub peccato, sequi consilia evangelica, fieri tamen potest ut quis, vocationem religiosam negligendo, plus minusve peccet, juxta gradum periculi cui salutem suam exponit, divinæ vocationi non respondendo. Vide S. Ligorium, l. 4, 78.

Sectio sexta. — De professione religiosa.

1° Professio religiosa est *Promissio libere facta et legitime acceptata qua quis in debita ætate constitutus, post annum probationis expletum, se astringit certæ religioni ab Ecclesia approbatæ.* Hæc solemnis promissio non complectitur solos alicujus speciei actus, ut, v. g., in voto simplici castitatis, sed totalem sui ipsius traditionem importat, non per modum contractus reciproci utrinque obligantis, quo profitens se religioni daret sub conditione

quod a religione sustentaretur; hic modus enim simoniacus esset. In professione vero religiosa fit sui ipsius liberalis donatio ad propriam utilitatem, et monasterium donationem accipiens susceptum vel susceptam inter membra sua admittit ac sustentare tenetur; non in pretium votorum, sed propter familiæ vincula.

2° Patet, ex superius dictis, plura ad validam religionis professionem esse requisita, quæ hic non sunt repetenda. Quædam insuper requiruntur jure communi, scilicet: 1° ut professio, sicut et novitiatus, fiat in monasterio regulari, et non alibi: in Italia fieri debet, sicut novitiatus, in conventibus designatis, ut expresse statuit Urbanus VIII, die 31 januarii 1630; 2° ut professio sit libera, id est, cum plena advertentia, sine errore in substantialibus, absque metu gravi ab extrinseco injuste ad hunc finem incusso, ut patet ex variis juris canonici textibus, et ex conc. Trid., sess. 25, cap. 15, ubi inter causas reclamandi prima reponitur: *Si quis per vim vel metum inductus fuerit:* hæc plena libertas similiter existere debet in iis quorum requiritur consensus ad personæ admissionem. Unde defectus sufficientis libertatis in superiore, vel in religioso aut moniali vocem activam habente, professionem redderet nullam. 3° Nulla requiritur forma generalis ad validam religionis professionem; sed ubi aliqua in ordine vel in monasterio præscribitur, convenit ut servetur; *Ferraris*, v° *Profess. regul.*, n. 38. 4° Vota suscipienda sunt a prælato vel a superiore legitimo, juxta constitutiones et privilegia uniuscujusque ordinis, ut ex Decretal. l. 3, tit. 31, cap. 13 et 16, clare eruitur, aut ab alio a superiore legitime delegato, quia ex regula juris 68, *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.* 5° Consensus majoris partis capituli requiritur, nisi aliter statuant constitutiones approbatæ.

3° Professio fieri potest per procuratorem, sicut matrimonium, ut communiter docent auctores. Vide *Ferraris*, v° *Prof. regul.*, n. 51.

4° Quicumque nulliter professus est, ex quacumque

causa nullitas proveniat, contra professionem suam reclamare potest, modo servet dispositionem concilii Trident., sess. 35, cap. 19, de Regul. Tres potissimum requiruntur conditiones, videlicet : 1° ut habitum non deponat, nec e monasterio cum habitu sine licentia superioris discedat; nisi forte, superiore licentiam negante, ex justa causa vel sine habitu, a monasterio aufugeret et majorem superiorem vel Ordinarium loci causam nullitatis defensurus adiret; *Ferraris*, v° *Profess. regul.*, n. 70; 2° ut causam nullitatis ante egressum coram superiore et Ordinario loci conjunctim deducat et probet, aut si agatur de monialibus non exemptis, coram solo Ordinario; 3° ut id faciat intra quinquennium a die professionis incipiendum. Elapso autem quinquennio, solus Pontifex maximus de nullitate professionis judicare posset, et ipsi exponenda foret causa cur intra quinquennium non fuisset reclamatum.

5° Nulliter professus, et impedimento amplius non retentus, professionem ratificare potest expresse vel tacite : expresse coram superiore vel legitime delegato, si causa nullitatis fuerit nota; absque superiore, si causa fuerit occulta, et ex parte solius profitentis se teneat, v. g., quia ante ætatem aut ficte professus est. Tacite autem, si anno probationis expleto et debita ætate acquisita, actus ad solos professos attinentes exerceat, uti est habitum eis proprium patenter deferre, in capitulo suffragium dare, etc., modo sciat professionem suam fuisse nullam, et eam per hujusmodi actus fieri posse validam.

6° Quidquid nonnulli contradixerint, certum videtur professionem nullam nullum inducere effectum, ne quidem voti simplicis. Talis quippe est sensus verborum concilii Trid., sess. 22, cap. 15, de Regul. in fine; et revera qui religionem profiteri volebat, aliam obligationem sibi imponere non intendebat. Nec etiam interrumpit aut annullat novitiatum, sive ex toto sive ex parte factum.

SECTIO SEPTIMA. — De effectibus professionis religiosæ.

1° S. Th. 2 2, q. 189, art. 3, ad 3, et generaliter theologi cum illo, docent professionem religionis importare remissionem omnium peccatorum quoad pœnam, supposito tamen quod profitens sit in statu gratiæ; nam actus se totum divinis obsequiis mancipandi « excedit, inquit » S. Th., omne genus satisfactionis, etiam publicæ pœni» tentiæ. » Insuper Paulus V indulgentiam plenariam concessit, per bullam *Romanus pontifex*, diei 23 maii 1606, omnibus regularem professionem emittentibus. Plures contendunt hanc indulgentiam obtineri quoties professio renovatur etiam privatim, ut videre est apud *Ferraris*, v° *Prof. regul.*, n. 98. Negant *Sanchez* et alii plures.

2° Professio religiosa exstinguit omnia vota simplicia prius emissa, etiam votum strictiorem ingrediendi religionem, quamvis pro transgressione hujusmodi voti imponenda sit pœnitentia. Sic expresse habetur in Decretal. l. 3, tit. 53, cap. 4, et in Sexto, l. 3, tit. 14, cap. 5. Hæc annullatio votorum præcedentium locum habet etiam in præsenti statu monialium, quia moniales nostræ in favorabilibus veræ reputantur religiosæ. Non est dubium quin episcopus statuere possit ut professio in piis congregationibus ab ipso dependentibus emissa irritet vota simplicia auctoritati ejus subjecta, et hoc necessarium videtur, ne inter membra ejusdem congregationis existat discrepantia bono regimini noxia.

3° Aufert irregularitatem ex defectu natalium provenientem, ita ut spurii professi ad sacros Ordines promoveri possint sine dispensatione, non autem ad prælaturas aut dignitates ecclesiasticas.

4° Dirimit sponsalia et matrimonium ratum, sed non consummatum, ut in Decretal. l. 3, tit. 32, cap. 2, 7 et 14, statuitur, ac in conc. Trid., sess. 24, can. 6, definitur; et subsequens quovis modo attentatum vel consummatum reddit irritum.

5° Ex consuetudine jam a pluribus sæculis existente et

in religiosis ordinibus communi, professio religiosa inducit obligationem sub peccato mortali, pro religiosis et monialibus choro destinatis, divinum cantandi officium vel privatim recitandi, juxta proprias uniuscujusque ordinis constitutiones. Ita contra nonnullos probabilistas, omnes moraliter theologi, ut videre est præsertim apud S. Ligorium, l. 5, n. 141 et seq., qui et ipse hanc amplectitur et fortiter tuetur sententiam. Docet tamen ut sententiam communem, 1° prælatos etiam inferiores dispensare posse, ex justa causa, puta, studiorum et simili; cum suis subditis, in recitatione divini officii, sicut in aliis observantiis; 2° ubi constat in aliqua religione non esse consuetudinem divinum officium recitandi, talem in ea non dari obligationem; 3° religiosum aut monialem singulariter spectatam Horis in choro assistere non teneri sub mortali, modo chorus non tollatur, quo in casu præceptum commune singulos sub gravi urgeret; 4° communitatem a choro excusari, si non sint ad minus quatuor expediti, id est, non infirmi aut aliter legitime occupati; 5° probabiliter sufficere ad satisfaciendum choro, ut soli novitii intersint, quia in favorabilibus reputantur religiosi; 6° licere religiosis, ex justa causa, Horas in sacristia recitare; 7° omissa in choro supplere non teneri eos qui, dum alii cantant, parant aut transferunt libros, perquirunt psalmos, pulsant organa aut campanas, vel alia choro necessaria peragunt; quia totum efficiunt morale cum sociis, et suo modo ad officium concurrunt: probabilius tamen supplendum est quod a solis pulsatur organis, ut in Tractatu *de Ordine*, agendo de officio divino, diximus; 8° in communitatibus in quibus, præter officium diei, cantandum est officium B. Mariæ aut defunctorum, aut septem Psalmi pœnitentiales, hanc obligationem non afficere extra chorum privatim recitantes; sed id videtur esse pro communitatibus officium Romanum habentibus, vi Const. S. Pii V, non pro iis quæ aliud officium recitant, ut videre est apud *Billuart* et *Ferraris*, v° *Offic.*, art. 3, n. 104; 9° ad divini officii recitationem non teneri novitios, nec conversos; 10° sed graviter pec-

care superiores qui ex negligentia permittunt ut pars notabilis in choro omittatur, vel male celebretur.

6° Religiosus non tenetur esse actu perfectus, sed vi professionis ad perfectionem tendere tenetur per media suæ religonis, id est, sequendo suas regulas et non alias: si regulas contemneret, si ea tantum servare vellet quæ sub mortali obligant, et perfectionem acquirere non intenderet, mortaliter peccaret, secundum *Sanchez*, Pellizarium, *Busenbaum*, S. Ligorium, etc., quia, sic vivendo, se in statu fini professionis religiosæ opposito, et in periculo evidenti gravioribus delictis indulgendi constituit, se intolerabilem reddit et meretur expelli; aut si toleretur, plurimum nocet. Si ex remissione animi velit aliquam regulam non servare, erit saltem levis contemptus et peccatum veniale, juxta *Suarez* et alios.

7° Tempore S. Aug. quidam contendebant non licere monachis manibus operari etiam pro sustentanda vita, sed omnes orationi, meditationi, lectioni aliisque spiritualibus exercitiis vacare teneri, juxta hæc Christi verba, Matth. VI, 25 : *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis*, etc. Eos S. Aug. confutavit in libro de Opere monachorum, et concilium Carth. IV eosdem damnavit. Quidam magistri Parisienses, e contra, quorum præcipuus fuit Guillelmus de Sancto-Amore, in medio tredecimi sæculi, docuerunt religiosos manibus laborare teneri, ut mendicantes a studio sacræ doctrinæ, prædicatione et sacramentorum administratione removerent. S. Th. eos refellit in 2 2, q. 187, et in Opusculo 19; et Alexander IV librum Guillelmi anno 1256 damnavit.

Ut certum apud omnes habetur, 1° religiosos manibus licite operari, et ad id quandoque ex præcepto regulæ teneri, v. g., ex regulis S. Basilii, S. Macarii, S. Benedicti; 2° eos, secluso præcepto regulæ, non magis laborare teneri quam sæculares, quia aliunde habere possunt unde vivant, et otium aliter fugere; 3° eos docere, prædicare, sacramenta administrare, aliasque functiones sacras exercere vi status non prohiberi, modo ab habentibus sufficientem obtineant jurisdictionem quam per se non ha-

bent; 4° ipsis non secus ac sæcularibus licitum esse causa humilitatis, necessitatis vel utilitatis, mendicare, non vero causa divitias acquirendi vel otiose vivendi.

8° Ex Decretal. l. 3, tit. 31, cap. 18, regularis qui strictiorem religionem amplecti cupit, licentiam a superiore postulare debet, et, ea injuste denegata, libere potest sanctioris vitæ propositum adimplere : imo communiter docebatur eum qui, inconsulto superiore, ad strictius institutum transiisset, peccasse quidem, et tamen valide professum esse, quia votum semper mutari potest in melius. Ratione opposita, dispensationem summi Pontificis requirebant ad transitum in laxiorem vel æqualem religionem. Verum, ex praxi et stylo curiæ Romanæ, et ex expressa Constitutione Bened. XIII, diei 14 februarii 1726, regulares professi ad aliam religionem etiam strictiorem transire non possunt sine licentia Sedis Apostolicæ. Vide *Ferraris*, v° *Regul.*, art. 1, n. 61, et *Devoti*, t. I, p. 414.

Sectio octava. — De religiosorum privilegiis.

1° Episcopi, vi suæ institutionis, habent jurisdictionem completam, pontifici Romano subordinatam, in omnes personas suæ diœcesis. Primitus nullo exemptionis privilegio gaudebant regulares : omnes subjecti erant suis respectivis episcopis, qui eos corrigebant et reformabant. Deinde quædam eis concessa fuerunt privilegia, v. g., quod episcopi negotiis eorum temporalibus se non immiscerent, liberam prælati aut superioris electionem eis relinquerent, culpas in claustro admissas non nisi defectu abbatis punire possent, etc. Serius summi Pontifices, versus undecimum sæculum, virtute supremæ potestatis, quædam monasteria et integros ordines a jurisdictione episcopali declararunt exemptos.

2° Cum exemptiones sint juri communi derogationes reputantur odiosæ respectu episcoporum, et sensu rigoroso accipiuntur. Ita generatim canonistæ, non solum Galli, sed et Ultramontani, ut Fagnanus. Unde 1° exemp-

tio non admittitur ut vera, nisi authenticus et clarus exhibeatur titulus; 2o non extenditur ad personas aut causas non expressas, per conclusiones *a similitudine*, vel *a fortiori;* 3° in dubiis pronuntiatur pro episcopo.

Jurisdictio regularium exemptorum in suos subditos tam pro foro interno quam pro foro externo, venit ergo sive mediate, sive immediate, a summo Pontifice.

3° Quantumvis lata sit exemptio regularium, extra eorum claustra non extenditur, et idcirco episcopi pœnis ecclesiasticis afficere possunt illos qui extra monasterium delinquunt, ut statuit Innocentius IV in concilio Lugd. II, et concil. Trid., sess. 7, de Reform. c. 14, confirmavit, et divagantes ad redeundum in monasterium per censuras ecclesiasticas cogere, ut ait Innocentius III, in Decretal. l. 1, tit. 31, cap. 7.

4° Religiosi exempti 1° servare tenentur statuta episcopi cultum externum relative ad omnes diœcesis fideles ordinantia, ut campanarum usum, festorum celebrationem, jubilæi stationes, preces extraordinarias pro necessitate publica, et gratiarum actiones; 2° servare debent jejunia pro necessitate publica præscripta; non ita certum videtur pro aliis jejuniis ab episcopo jussis; 3° nullam publicare possunt indulgentiam ab episcopo non approbatam; 4° ex concil. Trid., sess. 4, decreto de Editione et Usu sacrorum librorum, libros de rebus sacris tractantes publicos facere non debent sine licentia episcopi; 5° episcopi omnino subjacent quoad doctrinam quam prædicant vel docent; concil. Trid., sess. 5, c. 2 de Reform.; 6° nec sanctissimum Sacramentum exponere, nec benedictionem cum illo dare, nec processiones extra monasterii septa, nec fundare novum monasterium, nec novam ecclesiam vel capellam ædificare possunt sine consensu episcopi; 7° in propriis ecclesiis prædicare non possunt quin benedictionem ab episcopo diœcesano petierint, et, eo renitente, prædicare nequeunt; in aliis ecclesiis, quæ suorum ordinum non sunt, nullo modo prædicare possunt sine licentia episcopi; 8° confessiones sæcularium etiam sacerdotum aut religiosorum etiam sui ordinis audire non pos-

sunt, nisi ab episcopis, per examen, si illis videatur necessarium, aut alias judicentur idonei et approbationem obtinuerint. Hæc statuta fuerunt a Gregorio XV, anno 1622, bulla *Inscrutabili*, et a Clemente X, anno 1670, bulla *Superna magni*.

5° Ut regularium exemptio cum juribus episcoporum melius conciliaretur, S. synodus Trid. plures statuit casus in quibus episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, pro suo libitu agere possent, v. g., monasteria visitare. In Galliis autem episcopi æstimabant se, non tanquam Sedis Apostolicæ delegatos, sed jure proprio posse monasteria etiam exempta visitare, reformationes præscribere circa disciplinam regularem, circa officium chori, etc. Vide celebre decretum cleri Gallicani anno 1635; *Mémoires du Clergé*, t. VI, p. 122, et Edictum regium, t. VII, p. 54.

6° Communis est opinio apud regulares, plurimorum pontificum Romanorum Constitutionibus fundata, plenissimam inter eos dari privilegiorum communicationem, vi cujus gratia uni ordini concessa, non solum ad singula monasteria utriusque sexus ejusdem familiæ, sed ad alios quoscumque regulares extendatur. Plures hac de re reperiuntur Constitutiones pontificiæ apud *Ferrâris*, v° *Privil.*, n. 25 et seq.

Hinc 1° abbatissa et superiorissa dispensare possunt in jejuniis, in officio, etc., juxta privilegia sui ordinis prælatis concessa, non quidem quasi ex propria auctoritate; quia non fruuntur jurisdictione ecclesiastica, aiunt communiter auctores, sed quasi exercentes nudum ministerium vice prælatorum. Hanc omissionem ipsis facto electionis et confirmationis deputari affirmat S. Lig., l. 4, n. 61. Superiorissæ monasteriorum nostrorum ad ordines olim solemniter approbatos pertinentium eodem gaudent privilegio, cum in favorabilibus veræ sint religiosæ.

Hinc 2° concessiones Clementis VII et Innocentii IV, quoad officium, de quibus infra, ubi de obligationibus monialium agetur, ad omnes moniales fuerunt extensæ.

Hinc 3° omnes regulares professi gaudent indulgentiis cuicumque ordini religioso concessis, ut in bulla Pauli V *Romanus Pontifex,* § 8, statuitur et communiter docetur. Vide S. Ligorium, l. 4, n. 60 et seq.

7° Qui a jurisdictione episcoporum eximuntur, *a fortiori* exempti sunt a jurisdictione parochiali. Monasteria vero auctoritati episcoporum subjecta, nihilominus a jurisdictione parochi communiter sunt exempta, si specialem capellam habeant.

Famulæ monialium sicut et famuli laici religiosorum a jurisdictione parochiali non eximuntur, nisi intra monasterii septa maneant et perpetui sint eorum commensales, ut dicit Clemens X, bulla *Superna magni*. In his maxime attendendum est ad statuta episcopi, sicut et in exemptionibus ab ipso quibusdam domibus concessis, quod quidem raro expedit.

8° Religiosi et moniales gaudent etiam privilegio canonis, ut in Tractatu *de Censuris* ostendimus.

Quæ huc usque diximus sunt quidem de jure communi: sed gravis movetur quæstio, an scilicet et quales nunc agnoscendæ sint exemptiones in Galliis.

1° Lex 13 *germinal an X,* vulgo *Organica,* dicit, art. 10: *Tout privilége portant exemption ou attribution de la juridiction épiscopale est aboli*. Verum lex illa nullam per se habet vim ad tollenda privilegia mere spiritualia.

2° Ex decreto card. *Caprara* 1 junii 1803 et ex praxi generali, omnes feminarum congregationes nunc apud nos prorsus auctoritati episcoporum subjiciuntur. Ideo Carmelitanis monialibus diœcesis Cameracensis, patribus Carmelitis in Belgio subjici volentibus episcopus Cameracensis anno 1834 fortiter eis obstitit.

3° « Quamvis monasteria Trappensium a jurisdictione » episcoporum exempta sint, ea tamen, ob peculiares ra» tiones, et donec aliter statuatur, jurisdictioni eorum» dem episcoporum subsint, qui procedant tanquam Apo» stolicæ Sedis delegati. » Sunt verba decreti a summo Pontifice Gregorio XVI die 3 oct. 1834 approbati. De cæexemptio religiosorum quoad spiritualia permanere tero, videtur.

Sectio nona. — De ejectione professi et obligationibus ejecti, ac fugitivi et apostatæ.

1° In nulla societate bene ordinata admittendum est principium ordinis subversivum : at contingere potest ut in ordinibus religiosis et in monasteriis reperiantur membra putrida, bono regimini valde noxia : necesse est ergo ut resecari et expelli possint, quando aliter bonum commune servari non potest. Unde hæc facultas in variis juris canonici capitibus expresse continetur, et S. Cong. Concilii eam describit ac diversis regulis subjicit, in decreto jussu Urbani VIII die 25 septembris 1624 edito et in altero jussu Innocentii X die 24 julii 1694 dato. Duo hæc decreta reperiuntur in extenso apud *Ferraris*, v° *Ejicere*, in initio.

2° Ex quibus decretis colligitur quinque requiri conditiones ut regularis professus expelli possit, scilicet : 1° relapsus in grave crimen ejusdem vel alterius speciei, ut fornicationis, ebrietatis, percussionis, furti, violationis paupertatis, apostasiæ, etc. Ante declarationem Urbani VIII factam, grave delictum semel admissum ad ejectionem sufficiebat ; nunc exigitur relapsus, excepta Societate Jesu, in qua ejectio post primam culpam adhuc, ex speciali privilegio, fieri potest; 2° ut delinquens fuerit admonitus, et pœnæ iteratæ ad ipsum corrigendum addictus ; 3° ut processus juxta proprias ordinis constitutiones fuerit instructus ; 4° expellendi incarceratio cum pœnitentia et jejunio, per annum ex decreto Urbani VIII, et per sex menses ex decreto jussu Innocentii X dato : sed hæc clausula nunc stricte impleri non potest in Gallia ; nam, ex lege 13 decembris 1798, art. 81, quicumque legalem potestatem hoc faciendi non habens, alterum detinuerit aut ad detentionem ejus concurrerit, detentionis arbitrariæ reus erit, et ex Cod. pœn. art. 341 et seq., ad triremes damnabitur ad tempus vel in perpetuum, secundum circumstantias. Hæc igitur probatio nunc admitti non potest. 5° Incorrigibilitas ; volunt enim canonistæ

ut, expleto carceris tempore, non statim ejiciatur delinquens, nisi signis aut factis se ostendat pervicacem et incorrigibilem.

3° *Sanchez*, *Busenbaum*, *Collet*, S. Ligorius, etc., putant moniales nunquam ejiciendas esse, sed potius carceri perpetuo mancipandas. Verum apud nos non magis nunc eas quam viros in carcere retinere liceret : alia igitur non restat via bono monasterii providendi, nisi moniales omnino perniciosas et incorrigibiles ejiciendo, quando cuncta incassum adhibita sunt media quæ zelus religionis et longanimis charitas suggerere possunt. Auctoritas civilis in Gallia nullas nunc agnoscit moniales quæ non subjiciantur Ordinario, cujus est, ex decreto 18 februarii 1809, art. 17 et 18, de omnibus pœnis disciplinæ cognoscere. Unde si episcopus, auditis capituli vocalibus, monialem incorrigibilem ejiciendam esse pronuntiaverit, nihil ex parte civilis potestatis erit timendum. Plura jam vidimus hujusmodi exempla.

4° Ex decreto Cong. jussu Innocentii X edito, § 3, expulsus habet recursum ad Sanctam Sedem et ad S. Cong. Concilii; tempus ad appellandum concessum est decem dierum, a die intimatæ sententiæ numerandorum, ut docet *Ferraris*, n. 33 et 34, pluribus juris capitibus innixus. Interea reus in carcere deberet persistere. Nunc autem, apud nos, si religioni sit noxius, expelli posse nobis videtur.

5° Sententia expulsionis statim significanda est a superiore Ordinario loci in quo situm est monasterium, et expulsus se illi præsentare tenetur : si clericus sit, inhabilis est ad quodlibet sacrorum Ordinum exercitium, ut expresse habetur in decreto sub Urbano VIII edito, § 6; nec ab Ordinario habilis reddi potest, quia vi expulsionis factus est infamis.

6° Juste ejectus alimenta prætendere non potest a religione cujus erat membrum, quia si paterna providentia privetur, hoc sibi imputare debet. Sic *Ferraris*, n. 45, plures alios citans; et ita statuit Bened. XIII, die 14 junii 1728, pro religiosis societatis Jesu qui ante solemnem

professionem ejicerentur, etiamsi titulo religiosæ paupertatis ad sacros Ordines fuissent promoti.

7° Injuste vero ejectus et qui contra sententiam expulsionis appellavit, pendente lite, jus habet obtinendi a monasterio alimenta, imo et expensas pro lite necessarias, ut pluribus auctoritatibus probat *Ferraris*, n. 48.

8° Si quis dotem monasterio tradidisset, eam juste vel injuste ejectus repetere posset deductis expensis pro ipso factis; et persuasum habemus quod tribunalia civilia damnarent monasterium ad hujusmodi restitutionem. Si quid autem moniali solutum ob functiones personales, vel illarum occasione datum fuerit, censetur intuitu religionis acquisitum et a monasterio retineri potest.

De obligationibus ejectorum, fugitivorum et apostatarum.

1° Religiosus professus a superioribus absolute dimissus, dicitur *ejectus*; qui libere exiit ad longum tempus, nesciente aut non consentiente superiore, cum animo tamen revertendi, est *fugitivus;* sine animo revertendi, est *apostata.*

2° Ejecti, fugitivi et apostatæ stantes in sæculo ad vota religionis essentialia tenentur, ut communiter docent auctores; regulares enim in episcopatum assumpti ad vota et ad regulam instituti tenentur, in iis quæ cum sua dignitate non sunt incompatibilia, ut communiter docetur : ergo *a fortiori* ejecti et fugitivi, qui, sua culpa, a tali obligatione immunes fieri non potuerunt. Omnimodam igitur castitatem servare debent : sed obligatio paupertatis et obedientiæ suspenditur, quoad exercitium, circa ea quæ suo statui sunt necessaria; v. g., rerum temporalium administrationem habent, civiliter se obligare, de acquisitis ad finem sibi procurandi alimenta disponere, domicilium mutare aliaque in claustris prohibita, sed in sæculo necessaria, agere possunt, quia de facto non habent superiorem a quo dirigantur. Non possent vero de acquisitis aliter quam pro necessariis disponere, sine legitimi superioris licentia; quia eorum dominium non pro se, sed

pro monasterio acquisierunt; qui revera manent religiosi, se emendare et ad propria monasteria redire tenentur. Si ergo in sæculo decederent, eorum hereditas ad respectiva monasteria, secundum jus canonicum, pertineret, non vero juxta hodiernum jus civile nostrum. Expensas autem ab ipsis in sæculo factas etiam pro vitæ necessariis, religio solvere non teneretur, nec in casu quo eos de novo susciperet, nisi forte haberent peculium ex quo solutio fieri posset.

2° Tenentur similiter ad alia vota quæ in aliquibus religionibus votis essentialibus adduntur, et ad cæteras regularium observationes quæ cum statu suo facile conciliari possunt; non autem ad eas quæ difficiliores essent. Ita *Ferraris* et multi apud ipsum, contra S. Ligorium et plures ab eo citatos, qui volunt ejectos ab hujusmodi observantiis, ut jejuniis, vigiliis, ciborum delectu et similibus liberos esse, quia earum observatio statum regularem comitatur.

3° Ejectus, fugitivus vel apostata se corrigere tenetur et petere ut iterum admittatur, quia, sicut habens votum ingrediendi religionem curare debet, quantum potest, ut admittatur, ita *a fortiori* et qui religionem jam professus est; alioquin ex malitia sua reportaret commodum, nempe libertatem manendi in sæculo. Monasterium respuere non potest regularem etiam juste ejectum qui se ostendit emendatum et petit regressum, ut expresse habetur in Decretal. l. 3, tit. 31, cap. ultimo, et in Decreto S. Cong. Concil. sub Urbano VIII edito. Si autem ejectus, fugitivus vel apostata regressum sincere petens, obtinere non possit, tuto manere potest in sæculo, nisi religionem laxiorem inire malit : ad id non tenetur, quia eam non vovit, et jam per se non stat quominus suam observet, si semel, bis aut ter petierit ut reciperetur et fuerit repulsus.

Si autem manens in sæculo, Ordinibus etiam minoribus sit constitutus, in habitu clericali incedere tenetur, ut declaravit S. Cong. die 1 aprilis 1628 : Pius VI, per indultum diei 19 martii 1792, omnibus Galliarum ar-

chiepiscopis, episcopis et diœcesium administratoribus concessit facultatem, v. g., dandi regularibus cujuscumque ordinis vel instituti, qui extra conventum vivere et regularem habitum dimittere coacti sunt, induendi vestes sæculares, ecclesiastico tamen viro convenientes, ac permanendi in eo habitu sub obedientia Ordinarii, dum jurisdictione superioris regularis in se uti non poterant.

Religiosi conversi, aut in Ordinibus saltem minoribus non constituti et ejecti, vestes laicales deferre possunt, ut tenent *Suarez*, *Ferraris* et alii plures.

4° Prælati ordinum fugitivos et apostatas requirere tenentur, si absque gravi ordinis detrimento possint, quia jure divino et naturali saluti eorum invigilare debent : non tamen eos recipere tenentur, nisi videantur correcti; quia sicut incorrigibilis expelli potest, ita et fugitivus non correctus potest non recipi. Ita *Layman*, *Sanchez*, *Busenbaum*, S. Ligorius, etc.

5° Ejectus autem, vel fugitivus aut apostata ad religionem rediens, non tenetur de novo novitiatum obire et professionem emittere, ut ostendit *Ferraris*, verbo *Ejicere*, n. 36, addens non esse statim ad gradus et præcedentias restituendum, sed prius probandum.

6° Ubi plura monasteria faciunt unum corpus sub eodem capite, qui vovit, de uno ad aliud transferri potest etiam invitus; secus vero, si singula suos habeant superiores sub episcopo vel Papa, quia obedientiam non vovit nisi in tali conventu determinato.

Notandum fugitivos ob solam fugam jure nullas incurrere pœnas, apostatas vero ipso facto excommunicatos esse juxta communem sententiam. In nostra autem diœcesi, excommunicatio est certa et episcopo reservata. Regulares, habitum sine rationabili causa dimittentes, graviter peccant et excommunicationem ipso facto incurrunt. In Sexto, l. 3, tit. 24, cap. 2.

Sectio decima. — Specialia de monialibus.

Priusquam essent moniales proprie dictæ, multæ erant virgines ac viduæ Deo consecratæ etiam in primis Ecclesiæ sæculis, quas sæpe commemorant S. Cyprianus, Tertullianus, Sozomenus, Socrates, etc. Deinde quo tempore cœperunt monachi, fuerunt pariter monialium cœnobia: soror S. Antonii, soror S. Pachomii fuerunt virgines et aliarum puellarum magistræ. S. Greg. Naz. refert, Orat. 20, n. 89, S. Basilium cœnobia virginum instituisse. Theodoretus refert, Historia relig., cap. 30, innumeras suo tempore exstitisse virgines, quarum aliæ vitam solitariam ducebant, et aliæ vitam communem in cœnobiis; ita ut ducentæ et quinquaginta in uno monasterio, et plures, degerint. In Occidente multa similiter et valde numerosa erant virginum cœnobia.

Quæ de regularibus in genere diximus monialibus etiam applicari debent, in quantum mulieres illorum sunt capaces; sed quædam de monialibus specialiter dicenda sunt, nempe 1° de earum monasteriis, dote, numero et suppressione; 2° de earum clausura; 3° de accessu ad earum monasteria et locutione cum illis; 4° de earum confessariis; 5° de earum superioribus; 6° de illarum obligationibus; 7° de puellis apud eas educandis; 8° de statu monialium nunc in Gallia.

Punctum primum. — *De fundatione monasteriorum in genere, et specialiter de monasteriis virginum eorumque dote, numero ac suppressione.*

1° Ad legitime fundandum monasterium regulare, sive virorum, sive mulierum, requiruntur 1° beneplacitum Apostolicum, ex Sexto, l. 3, tit. 17, cap. unico, et l. 5, tit. 6, c. unico; 2° licentia episcopi in cujus diœcesi novum erigendum est monasterium, ex concilio Trid., sess. 25, c. 3 de Regul. Quidam inde voluerunt concludere beneplacitum Apostolicum, post citatum concilii Trid. de-

cretum, amplius necessarium non esse ; sed Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 9, cap. 1, n. 9, ostendit sanctam synodum Trid. nihil auctoritati S. Sedis detraxisse, ac consequenter communem esse opinionem non licere regularibus, tam intra quam « extra Italiam, nova monas» teria, aut conventus, sive collegia fundare, sola episcopi » localis auctoritate, sed Apostolicæ Sedis licentiam præ» terea necessariam esse; » 3° consensus parochi, ut expresse docet *Ferraris*, verbo *Conventus*, art. 1, 36 et 41; 4° consensus regularium qui sunt intra quatuor milliaria, si agatur de Mendicantibus; 5° reditus annuus aut eleemosynæ consuetæ sufficientes sustentationi saltem duodecim religiosorum, ut Greg. XV definivit per Const. *Cum alias*, 17 aug. 1612, et S. Cong. Concil. per decretum jussu Urbani VIII die 21 junii 1625 editum. Episcopi est judicare an novus conventus habiturus sit unde duodecim religiosi congruenter vivere possint, illudque summo Pontifici testari; et similiter, an religiosis jam in eodem loco existentibus futurus sit noxius; *Ferraris*, v° *Conventus*, art. 2, n. 22 et 27. Monasteria exemptorum vel exemptarum in quibus non existunt saltem duodecim fratres aut monachi, Ordinarii loci visitationi, correctioni et omnimodæ jurisdictioni subjiciuntur, ex tenore bullar. Gregorii XV et Urbani VIII apud *Ferraris* relatarum.

2° Eadem servanda sunt pro instituendis novis puellarum monasteriis, ut expresse docet *Ferraris*, v° *Conventus*, art. 1, n. 31, ac pro erigendis novis religiosorum conventibus, cum ea differentia quod monialium domus construendæ sint intra urbes vel oppida frequentia, aut saltem in loco ubi sint in tuta custodia : hoc infertur ex concilio Trid., sess. 25, cap. 5 de Regul., præcipienti episcopis aliisque superioribus curare ut sanctimonialium monasteria extra mœnia urbis vel oppidi constituta, in urbes vel oppida transferantur, si ita videatur expedire. Nihil vero obstat quominus monasteria virorum in desertis locis, in montibus et silvis collocentur.

3° In monasteriis sub hoc regimine statutis, ut nunc communiter statuuntur, numerus monialium non deter-

minatur : in incipienda fundatione paucæ sufficiunt; postea numerus sine termino excrescere potest : et quoniam non est periculum ne novus conventus conventibus jam existentibus graviter noceat, nulla est ratio consensum aliorum regularium expetendi; et de facto non expetitur, sed tantum consensus episcopi, qui parochum de commodo et incommodo interrogat, si expedire judicet.

Nunc autem in Gallia beneplacitum Apostolicum non requiritur ad novorum monasteriorum erectionem aut translationem, ut moniales lucrari possint omnes indulgentias suis institutionibus respectivis concessas. Sola episcoporum auctoritas ad nova hæc monasteria regulariter constituenda sufficit. Sic tradit responsio S. Pœnitentiariæ diei 2 augusti 1838 ad nos directa, et nova responsio ejusdem S. Pœnitentiariæ, diei 3 februarii 1841 magis explicita et data in forma authentica, *idque ex indulto SS. Pii VII a sanctissimo domino Papa Gregorio XVI iterum confirmato.*

4° Multa a diversis summis Pontificibus statuta fuerunt circa monasteriorum regularium unionem, suppressionem, exemptionem, episcopis subjectionem, quæ in præsentibus circumstantiis nullius fere sunt applicationis apud nos. Ea igitur brevitatis causa omittimus.

Punctum secundum. — *De monialium clausura cum appendice de clausura religiosorum.*

Clausura regularis in genere duo importat, scilicet prohibitionem egrediendi e monasterio et prohibitionem ne extranei in illud ingrediantur, nisi in certis circumstantiis et cum nonnullis conditionibus, quæ non sunt eædem pro viris et mulieribus, nec pro omnibus ordinibus.

1° Certum est clausuram respectu monialium, et *a fortiori* respectu religiosorum, ad essentiam religionis non pertinere, et usque ad Bonifacium VIII fuisse tantum consilii, valde quidem commendatam, non vero absolute

præscriptam, ut aperte tradunt *Suarez*, t. IV, et Pellizarius, in-fol. t. II.

2° At Bonifacius VIII, relatus in Sexto, l. 1, tit. 16, cap. unico; concil. Trid., sess. 25, cap. 5 de Regul.; S. Pius V, Const. *Circa pastoralis officii*, et altera Const. *Decori et honestati*, et Greg. XIII, Const. *Deo sacris*, strictam præscripserunt clausuram pro omnibus monialibus professis cujuscumque regulæ, ordinis et nominis, etiam Tertiariis in congregatione viventibus, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. Unde, quamvis clausura expresse non contineatur in regula cujuscumque monialis, continetur virtualiter in emissione trium votorum, ita ut omnis professa in religione approbata excommunicationem majorem incurrat, si temere limites monasterii transgrediatur : eamdem pœnam incurrerent omnes personæ, sive laicæ, sive ecclesiasticæ, quæ monialem quomodocumque adjuvant ad violandam clausuram, ei aperiendo, eam comitando, receptando, etc., et superiores licentiam ei concedentes, dignitatibus, officiis et administrationibus privantur, ut statuit S. Pius V, in Const. *Decori et honestati*.

Non est dubium quin summus Pontifex a clausura dispensare possit moniales solemniter professas.

Leo XII, die 22 decembris 1826, religiosas Sanctissimi Cordis Jesu approbavit, quamvis ex suo instituto strictis clausuræ legibus non subjiciantur.

3° Eam pœnam tamen non incurrunt qui monialem injuste egressam comitantur vel recipiunt, ad providendum ejus honori, castitati, vel urbanitatis, consanguinitatis, amicitiæ, etc., gratia, quia hæc non sunt cooperatio ad clausuræ violationem.

4° Clausuram violant moniales et excommunicationem incurrunt in casibus sequentibus : 1° quæ ambobus pedibus terit ostium clausuræ, uno vel altero palmo, ut communius docent auctores, contra nonnullos; 2° quæ ascendit super tectum domus, ex decisione Cong. Episc. diei 16 septemb. 1609 : si tectum correspondeat spatio extra clausuram sito, nullum est dubium; si vero correspon-

deat spatio intra clausuram jacenti, plures contendunt censuram non incurri. Observat *Ferraris*, v° *Moniales*, art. 3, n. 11, resolutionem S. Cong. esse sine ulla distinctione; 3° quæ se dimitti facit per fenestram correspondentem viæ sæcularibus patenti, etsi totaliter non descendat, sed maneat suspensa : ita Pelliz., t. II, et *Ferraris*, ibid., n. 12; 4° quæ ascendit arborem in monasterio positam et procedit ad ramum supra spatium extra clausuram situm prominentem : ita iidem et ibid. ex Const. Greg. XIII *Deo sacris;* 5° quæ egreditur e janua clausuræ ad aliam ulteriorem claudendam, qua pateat aditus sæcularibus venientibus ad rotam, ad crates, seu ad loca colloquiis destinata, vulgo *parloirs;* ad domos contiguas a feminis servitricibus monasterii (*tourières*) habitatas, ad partem exteriorem suæ ecclesiæ, etc. Sic Greg. XIII in Const. *Deo sacris*.

Quæ per fenestras extra monasterium prospiciunt vel se prospiciendas objiciunt, contra finem clausuræ peccant; censuram tamen non incurrunt, quia limites clausuræ reipsa non transgrediuntur, item nec quæ manum vel caput per fenestrellam cratis protendunt, propter eamdem rationem.

5° Decretum concilii Trid. et Constitutiones summorum Pontificum circa monialium clausuram procul dubio recepta sunt in Gallia, ut fidem faciunt *Mémoires du Clergé*, t. IV, p. 1697; Coll. Andeg., t. XII. Incurritur ergo excommunicatio in casibus memoratis, sed reservatio ejus non recepta est, aut consuetudine fuit abrogata; nam episcopi ab ea absolvere solent, non solum quando est occulta, quod dictis Constitutionibus probabilius non est contrarium, sed etiam ubi est publica, quod eisdem Constitutionibus evidenter adversatur.

6° Ingressus intra septa monialium, absque justa causa et legitima facultate, prohibitus est a Bonifacio VIII omnibus personis utriusque sexus sine censura; a concili Trid., decreto citato, sub pœna excommunicationis, sed non reservata; a S. Pio V et a Greg. XIII, Const. *Ubi gratiæ*, sub pœna excommunicationis summo Pontifici reser-

vatæ, intra Italiam et extra Urbem. Hæc igitur reservatio non existit in Gallia, etiam si ingressus fuisset ad malum finem aut prætextu licentiarum. Vide *Ferraris*, v° *Monialis*, art. 3, n. 47 et 52.

7° Sub dicta prohibitione comprehenduntur 1° pueri et infantes utriusque sexus, ut sæpe sæpius declaravit Cong. Episc. et Regul., signanter die 22 martii 1580; 2° omnes active influentes in talem ingressum, ut sunt invitantes, consulentes, hortantes, approbantes, monstrantes iter, auferentes impedimentum, januam aperientes, etc.; 3° prælati, episcopi, ipsimet cardinales respectu monasteriorum jurisdictioni suæ non subjectorum, ut infertur ex decreto concilii Trid. et Constitutionibus supra citatis.

8° *Sanchez*, *Suarez* et alii plures docebant imperatores et imperatrices, reges et reginas, eorum filios ac filias, fundatrices et insignes benefactrices clausuram monialium cum decenti comitatu ingredi posse, quia hujusmodi personæ, propter excellentiam et dignitatem, in prohibitione non continentur, nisi expresse nominentur: negabant alii plures, et Bened. XIV, Constit. *Salutare*, diei 3 januarii 1742, indulta et privilegia respectu quarumcumque personarum etiam mentione speciali dignarum revocavit. Nulla nunc igitur persona claustra monialium ingredi potest sine legitima licentia : soli excipiuntur locorum Ordinarii et superiores quibus monasteria subjiciuntur, « in tamen necessariis et servatis aliis de jure » servandis, et non aliter omnino. » Sunt verba Const. Bened. XIV, § 3.

9° Licentiam ingrediendi clausuram monialium justa de causa concedere potest episcopus, propria auctoritate, pro monasteriis sibi subjectis, et tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, pro monasteriis exemptis, ex conc. Trid., sess. 25, cap. 5 de Regul., et communi doctorum sententia. Idem potest vicarius generalis, si ad hoc habeat mandatum, juxta plures; non sufficit vero facultas generalis, ut S. Congr. concil. a *Suarez*, t. IV, relata declaravit. Sed alii probabilius dicunt apud S. Ligorium, l. 7, n. 224,

hoc speciale mandatum non esse requisitum, quia sub nomine Ordinarii vicarius generalis, qui facit unum cum episcopo, intelligitur. *A fortiori* idem potest vicarius capitularis, sede vacante.

10° Pro ingressu in monasteria regularibus subjecta, stando in jure concilii Trid., sufficere videtur licentia superioris regularis, et sic olim respondit S. Congr. Concil.; sed eadem Congreg. posterius magis clausuræ observationi consulere volens, falcultate a summo Pontifice sibi tradita utens, decrevit die 13 nov. 1610, 21 maii 1630 et tandem 17 maii 1704, quod deinceps licentia superioris regularis non sufficeret, nisi accederet et licentia episcopi. Sic longe et expresse habet Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 9, cap. 15, n. 7, qui affirmat Urbanum VIII approbasse quod definitum fuerat, et addidisse hujusmodi facultates ab episcopo solo concedendas esse.

11° *Sanchez, Suarez* et alii plures contendunt hanc licentiam dandam esse in scriptis sub pœna nullitatis etiam pro foro interno, quia concilium Trid. totis verbis dixit : « Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat... » sine episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta » sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. » Alii, ut Lessius et *Viva,* negant, dicentes scripturam requiri tantum pro foro externo, non autem ad valorem concessionis. Prior sententia videtur probabilior, ut pote textui decreti concilii Trident. conformis. Imo S. Congreg. Concil. exhibetur apud S. Ligorium, l. 5, n. 124, v° *Hic,* ut declarans *talem licentiam oportere esse expressam.* Vide etiam, l. 7, n. 223.

12° Episcopus aut ab eo deputatus generalem concedere potest et debet licentiam ad tempus duraturam, v. g., ad sex menses, ad annum, introducendi in monasterium medicos et chirurgicos ordinarios, factores, syndicos, fabros, hortulanos, molitores, bajulos aliosque operarios ad servitium monialium necessarios, et superiorissa curare debet ut hæc licentia tempore opportuno renovetur. Nulla determinatur forma scripti : sufficit ut personæ introducendæ per suas qualitates in charta desi-

gnentur cum motivis ingressus, et episcopus vel superior inscribit : *Valeat ad...* deinde : *Renovatur pro...*, etc., et chirographum apponit. Quidam arbitrantur non requiri ut personæ aliter designentur superiori quam per earum professionem; sed S. Ligorius declarat, l. 7, n. 223, se huic opinioni acquiescere non posse, et censere necessarium esse ut superior cognoscat personarum qualitates, videlicet, an ingressuri sint viri probi, maturæ ætatis, etc. Advertit prælatum committere posse abbatissæ, vel confessario, vel alteri viro prudenti generalem facultatem concedendi licentiam introducendi in monasterium personas convenientes et ad talia et talia operum genera necessarias. Hujusmodi generales licentiæ concedi solent superiorissis in nostra diœcesi, ad minus singulis annis renovandæ.

Attamen Pellizarius, t. II, dicit licentiam pro medico renovandam esse singulis trimestribus, ex decisione S. Congr. Regularium, diei 27 martii 1588; postea tolerat eam pro medico et operariis in quolibet semestri renovari, et alteram ejusdem S. Congr. allegat responsionem. Nostra autem praxis in eo præcipue fundatur quod singulis annis tantum monasteria visitare soleamus.

13° Quælibet causa ad validitatem hujus licentiæ non sufficit, sed requiritur necessitas ex parte ipsius monasterii petita; dicit enim concil. Trid. : « Dare autem tantum » episcopus vel superior licentiam debet in casibus ne» cessariis : » in solam igitur monasterii utilitatem permittitur ingressus, non vero in gratiam exterorum, nisi jus naturale aut divinum aliud suadeat. Non tamen stricta hic intelligitur necessitas, sed moralis, cum videlicet quævis rationabilis causa intervenit, ut aiunt *Sanchez*, *Barbosa*, S. Ligorius et alii, qui dicunt minorem requiri causam pro ingressu feminæ quam viri, consanguineæ quam extraneæ, pro ingressu diurno quam nocturno, etc. Sed talis licentia concedi non potest ad assistendum cæremoniis religiosis, ad visitandas moniales infirmas, et multo minus ad videnda loca interiora. Clerus ad sepul-

turas monialium clausuram ingreditur; id statuitur generaliter in earum cæremonialibus libris.

In necessitatibus quæ nullam patiuntur moram, ut in casu incendii, violentiæ et similium, nulla requiritur licentia ad ingrediendum, neque ad egrediendum, quia lex humana non obligat cum tanto incommodo.

14° Qui habent licentiam ingrediendi pro uno servitio præstando, eo peracto, ingredi iterum non possunt ad aliud faciendum; ad eum vero locum tantum ubi agere debent ire possunt, et non excusarentur si curiositatis causa per monasterium divagarent, atque mortaliter peccarent, juxta S. Ligorium, si, finito negotio, diu commorarentur intra clausuram; secus, si brevis sit mora, et in utroque casu non incurritur excommunicatio, saltem probabilius, quia legitima existit licentia ingrediendi, et violatio, ut pote odiosa, in sensu stricto intelligenda est. Imo qui parum immoratur, etiam a veniali excusari potest, quia hoc præceptum, ut morale, morali modo est accipiendum, et sic usu receptum est. Ita plures apud S. Ligorium, l. 7, n. 228, qui cum *Diana* æstimat quadrantem esse moram brevem.

15° Medicus ex justa causa cum debita licentia monasterium intrans, duabus monialibus associari debet, inquit S. Ligorius, n. 226, et intrare solus, nisi infirmitas sit valde gravis; quo in casu alios, ex consensu abbatissæ vel superiorissæ, si prælatus consuli nequeat, secum ducere potest. Medicus vero extraordinarius ad nutum monialium introduci non potest.

16° Moniales clausuram violantes et qui eas in tali violatione adjuvant, excommunicationem in decreto concilii Trid. et in Const. summorum Pontificum latam, signanter in Const. S. Pii V *Decori*, diei 24 jan. 1570, incurrunt, ut generaliter docent auctores; quædam tamen justæ exprimuntur causæ egrediendi in Const. S. Pii V, nempe *causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ;* sed requiritur ut episcopo loci manifestatæ fuerint, si per tempus liceat, etiamsi monasterium esset exemptum, et ab eo expresse in scriptis approbatæ. Hæc igitur licentia a

superiore regulari concedi non potest, nec ob infirmitatem quantumvis gravem, quæ periculum contagionis non inducit; talis quippe casus in bulla non continetur, et insuper, eo admisso, lex clausuræ magnum subiret detrimentum, quia tales morbi frequenter occurrunt.

Si autem periculum graviter urgeret et nullam pateretur moram, ut in magno incendio, in inundatione, in ruina domus, non exspectanda foret Ordinarii licentia ad exeundum, *ut patet*, quia lex ecclesiastica in tali circumstantia non obligat.

Periculo autem transacto, aut curatione morbi contagiosi finita, monialis egressa statim redire tenetur, quia, cessante causa dispensationis, cessat ipsa dispensatio. Ita *Sanchez*, *Bonacina*, S. Ligorius, etc. Dicunt tamen vocem *statim* moraliter intelligendam esse et a mortali excusant monialem quæ moram per unum aut duos protraheret dies.

17° *Suarez*, Pellizarius, *Ferraris* et alii dicunt monialem e monasterio in aliud fundandum aut jam existens transferri non posse cum solo Ordinarii consensu, sed requiri insuper licentiam Sedis Apostolicæ, etsi translatio fiat ad monasterium ejusdem ordinis. Bened. XIV, Const. *Pastor bonus*, diei 13 april. 1744, § 36, tribuit majori Pœnitentiario facultatem concedendi monialibus tantum ultra montes existentibus transitum ab uno monasterio in aliud, legitima concurrente causa, « committendo tamen facultatem hujusmodi transitus admittendi et exsequendi arbitrio Ordinarii, cum clausis opportunis pro casuum varietate. » Hæc quidem intelligenda nobis videntur de monialibus exemptis; nam translationes aliarum monialium quotidie fiunt cum litteris obedientiæ episcopi cui subjiciuntur, et in opere gallico, *les Mémoires du Clergé*, t. VI, p. 635, 638 et 639, hoc supponitur ut consuetum.

18° Duplex communiter distinguitur clausura, una quæ dici potest necessaria, jure universali apud regulares recepta, cui certa ita subjacent loca ut ab ipsis superioribus clausuræ subtrahi nequeant, qualia sunt dormitoria, re-

fectoria, etc. Alia vero clausura est arbitraria, quæ non eodem modo apud omnes observatur et variari potest secundum episcoporum aut prælatorum generalium prudentiam. Hæc clausura vel stricta est si nempe non admittat extraneos, vel minus stricta si eos admittat, licet pro regularibus clausura reputetur : sic in monasteriis Hospitalium, præter claustrum regulare, quoddam determinatur spatium sæcularibus non interdictum, per quod moniales pro servitio hospitii circumire possunt : si limites ejus transgrederentur, excommunicationem incurrerent; item et sæculares, si ex hoc spatio in loca regularia penetrarent.

19° Nullibi invenimus statutum quid præcise requiratur ut loca sint stricte regularia : certum est clausuram debere esse talem ut nec sæculares nec moniales eam sine scalis aliisve instrumentis transgredi possint. Unde non sufficeret fossa, rivulus, sepes, etc. Communiter erigitur murus quindecim pedibus supra solum elevatus, cum portis conventualibus bene clausis sera cujus clavis apud abbatissam vel superiorissam deponitur : nullæ debent esse fenestræ juxta sæcularia loca, aut ita sint dispositæ ut per illas transire possibile non sit.

20° In fundatione monasterii assignantur loca quæ reputantur regularia, eo sensu quod moniales inde exire nequeant, licet sæcularibus non prohibeantur donec stricta existat clausura. Melius tamen esset ea palis, sepe vel saltem fossa circumcludere, donec murus exstruatur, quam relinquere patentia. Episcopi est vel superioris ab eo delegati hæc omnia determinare.

De clausura religiosorum.

1° Religiosi in claustro seu in conventu viventes ad quamdam tenentur clausuram, ut ex variis juris capitibus constat, et præsertim ex Constitutionibus S. Pii V *Regularium personarum*, diei 24 octobris 1556, et Gregorii XIII *Ubi gratiæ*, diei 18 junii 1575; sed eadem non est pro iis clausura ac pro monialibus, ut omnes fatentur.

Hinc 1° ingressus virorum in claustra religiosorum nulla lege prohibetur; 2° idem locus potest esse simul intra clausuram pro religiosis, et extra pro mulieribus, ut ecclesia, chorus, sacristia, locutorium, in quibus mulieres reperiri queunt cum religiosis; 3° egressus e monasterio prohibetur quidem reliogiosis, potius usu et consuetudine aut virtute obedientiæ, quam jure expresso; sed, ex licentia superioris monasterii pro arbitrio ejus concedenda, egrediuntur, munia ecclesiastica exercent, itinera faciunt, etc.

2° Attamen egressus sine licentia est de natura sua peccatum mortale, propter grave obedientiæ vinculum : fit autem veniale ex levitate materiæ, si nempe sit in die et ad breve tempus.

3° Ex Constitutionibus S. Pii V et Greg. XIII citatis, ingressus mulierum intra religiosorum claustra, exceptis imperatricibus, reginis et aliis quibusdam, prohibebatur sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, in Galliis probabiliter non receptæ, et religiosi eas introducentes, vel intrare permittentes, officiis privati, ad alia obtinenda inhabiles, et a divinis ipso facto suspensi declarabantur. Bened. XIV, per Const. *Regularis disciplinæ*, diei 2 januarii 1742, omnes prædecessorum suorum Constitutiones sub eisdem censuris et pœnis confirmavit, quæcumque privilegia revocavit, superioribus, prælatis et quibuscumque personis ecclesiasticis, etiam S. R. E. cardinalibus, interdixit facultate concedendi quibusvis feminis licentiam septa religiosorum ingrediendi, sub quolibet prætextu. Solas excipit nobiles feminas quarum majores, aut pro tempore existentes de familia, monasterii fuissent fundatores aut insignes benefactores, ac consanguineas et affines domini temporalis in cujus territorio situm est monasterium, modo litteras habeant Apostolicas, easque in forma authentica antistiti ordinario exhibeant; idque non vagandi, otiandi, comedendi, cœnandi, per ambulacra, cubicula, cœnacula aliaque loca et officinas discurrendi causa, sed ecclesias accedendi et pietatis officia exercendi gratia fiat.

4° Multi inter quos *Suarez*, Pellizarius et *Billuart* contendunt puellas usum rationis nondum habentes, id est septennio minores, sub prohibitione non comprehendi, quia præcepti sunt incapaces et ad peccatum excitare non valent. Sed alii non minus docti contrariam sententiam tuentur, dicentes Constitutiones supradictas nullas excipere mulieres et pœnas decretas non cadere quidem in puellas usu rationis carentes, sed in religiosos eas introducentes.

5° Nomine conventus non intelligitur domus privata, in qua unus vel alter habitat religiosus; neque domus in qua resident religiosi dum monasterium ædificatur, nisi muro vel sepe esset circumclusa, et conventus judicaretur constitutus; neque hospitia, prioratus aliaque loca in quibus divinum officium communiter non celebratur.

6° Sola violatio clausuræ necessariæ vel etiam arbitrariæ, strictæ, uti superius explicata fuit, sub censuris aliisque pœnis prohibetur. Unde non comprehenditur sub ea denominatione clausura minus stricta, ad quam pertinere communiter censentur domus et officina exteriores, hortus, pomaria et deambulacra a conventu per murum separata et ad quæ patet aditus aliter quam per claustrum. Ita *Billuart*, t. XIII, plures citans summos Pontifices.

Cæterum, ut diximus, episcopi aut superioris generalis est omne dubium tollere, determinando quæ loca ad clausuram strictam vel minus strictam pertineant.

Punctum tertium. — *De accessione ad monasterium monialium et locutione cum illis.*

1° Accessus ad monasteria monialium, sine rationabili causa, stricte omnibus prohibetur, clericis sub pœna suspensionis, et laicis sub pœna excommunicationis, Decretal. l. 3, tit. 1, cap. 8; Sexto, lib. 3, tit. 36, cap. unico, *Periculoso.* Caput *Periculoso* est ipsamet Bonifacii VIII Constitutio quam concil. Trid., sess. 25, cap. 3 de Reg., renovat, et in qua expresse habetur, ut nulli inhonestæ

vel honestæ personæ ingressus vel accessus ad easdem (moniales) pateat, nisi rationabilis et manifesta existat causa, et obtenta fuerit specialis licentia ab eo ad quem pertinuerit eam concedere. Unde *Suarez*, Pellizarius, *Ferraris*, S. Ligorius aliique auctores inferunt accedentes ad moniales, sine rationabili causa et debita licentia, ad colloquendum cum illis, cum una ex illis, mortaliter peccare. Quia tamen in capite Decretalium citato dicitur : *Si quis monasteria sanctimonialium frequentare præsumpserit*, concludunt eos qui, seclusis gravi contemptu et notabili scandalo, semel aut iterum ad moniales accederent sine rationabili causa et debita licentia, venialiter tantum peccaturos, quia non est frequentatio.

2° Patres et matres, fratres et sorores monialium non comprehenduntur in prohibitione, ut constat ex pluribus SS. Congregationum Concil. et Episc. decretis : cum suis ergo filiabus et sororibus semel tantum in hebdomada, sine licentia, colloqui possunt, diebus non prohibitis, id est, extra Adventum, Quadragesimam et dies dominicas. Sic expresse habet S. Congr. Episc. et Reg. diei 20 septemb. 1593. Excipitur tamen casus in quo constitutionibus monasterii vel ex speciali decreto episcopi, prohiberentur ipsi parentes et consanguinei seu affines in secundo gradu, et tunc, nisi aliud obstaret, deberent obtinere licentiam, ad annum, loquendi semel in mense cum monialibus sibi in primo et secundo gradu conjunctis, ex decisione S. Congr. Episc. et Reg. diei 10 feb. 1599.

3° Nunquam regulares moniales aut alias feminas intra clausuram degentes alloqui possunt sine licentia episcopi, et episcopus eis concedere non potest licentiam, nisi mulieres ipsis in primo vel in secundo gradu sint conjunctæ, et ea conditione ut quater tantum in anno, die et hora determinatis, cum illis loquantur, extra Adventum, Quadragesimam, feriam sextam, sabbatum et dies festos : quæ licentia scripto danda est et subscribenda a superiore regulari pro monialibus sub regularium regimine existentibus, nec non registrari et consignari a confessario, qui cum auscultatricibus assistere debet. Ita

expresse S. Congr. Episc. et Reg. in decreto diei 19 nov. 1623, jussu Urbani VIII edito, et reformativo alterius decreti auctoritate Sixti V editi et licentiam ejusdem S. Congregationis exigentis.

Hinc auctores supra citati multos resolvunt casus in quibus regulares cum monialibus colloquentes excommunicationem aliasque pœnas incurrunt.

4° Bened. XIV, Const. *Gravissimo*, diei 31 octobris 1749, Constitutiones prædecessorum suorum et decreta SS. Congregationum renovans ac confirmans, stricte prohibuit omnibus etiam episcopis, in aliena diœcesi existentibus, monasteria adire et moniales alloqui sine licentia Ordinarii, cui monialium custodia jure ordinario committitur, si monasteria sint exempta. Hæc Constitutio ad archiepiscopos et episcopos Status ecclesiastici tantum dirigitur.

5° Tota disciplina circa aditum ad moniales et collocutionem cum illis non videtur recepta in Gallia, vel contrario usu fuit modificata; nullibi enim, quantum judicare possumus, servantur regulæ quarum breve tantum exposuimus compendium, et in plerisque monialium nostrarum constitutionibus a Sede Apostolica approbatis, v. g., in constitutionibus monialium Sanctæ Ursulæ, a Paulo V; monialium Visitationis B. Mariæ, ab Urbano VIII; Hospitalium Misericordiæ Jesu, ab Alexandro VII; Benedictinarum Adorationis perpetuæ, a Clemente XI approbatis, ea statuuntur quæ ad locutionem cum extraneis respiciunt, et nulla fit mentio licentiæ ab Ordinario nec a quocumque obtinendæ, nisi a superiorissa monasterii. Nisi ergo diœcesanus episcopus aliquid specialiter statuat circa hoc punctum, consuetudini apud nos universaliter receptæ tuta conscientia stare possumus.

6° Curandum est ut locutoria recte sint disposita, crates ex ferreis aut saltem ex ligneis regulis fortibus super se in forma crucis applicatis, tam parvas exhibentes aperturas ut nec manus transmitti vel porrigi possit. Velum semper interponi debet, ut moniales audiri et audire possint, non vero videri; nisi aliter in propriis constitu-

tionibus ordinis permissum fuerit. Ordinarie permittitur in Gallia ut velum deducatur quando colloquentes sunt consanguinei proximi, aut personæ quibus reverentia debetur.

Punctum quartum. — *De confessariis monialium ordinariis et extraordinariis.*

1° Nullus, quantumvis doctus et sanctus, moniales in claustro viventes et solemniter professas audire et valide absolvere potest, nisi ad id idoneus ab episcopo judicatus fuerit et specialem obtinuerit approbationem, ut probavimus in Tractatu *de Pœnitentia*. Ne excipiuntur quidem regulares, respectu monialium sibi subditarum : eligi et deputari possunt a suis respectivis superioribus ; sed Gregorius XV, Const. *Inscrutabili,* expresse statuit eos, sicut sæculares, ab episcopo diœcesano judicandos esse idoneos, et approbationem obtinere teneri. Unde, ex Constitutionibus Gregorii XV et Clementis X, et ex variis S. Cong. Concilii decisionibus apud *Ferraris,* v° *Moniales,* art. 3, n. 7, relatis, constat 1° confessiones monialium regularibus subditarum auditas ab eis sine approbatione episcopi esse nullas ; 2° superiores regularium etiam generales eadem indigere approbatione sub pœna nullitatis ; 3° regulares ab episcopo generaliter approbatos ad audiendas sæcularium confessiones, non ideo moniales valide absolvere posse, etiam tempore Jubilæi ; 4° approbatos pro monialibus unius monasterii, non censeri approbatos pro monialibus alterius monasterii ; 5° semel approbatos non censeri approbatos pro semper, et ideo si munus ipsis commissum sit ad tempus vel revocatum fuerit, nova indigere approbatione ut iterum moniales audiant.

2° Episcopus potest, ex justa causa, admonere superiorem regularium, v. g., abbatem Portus-Salutis in nostra diœcesi, ut confessarios ad audiendas confessiones monialium sibi subditarum deputatos amoveat, aliosque eligat ; et si non faciat, potest ipse eos amovere quoties et quando opus esse judicaverit, ut dicit Greg. XV, in bulla *Inscru-*

tabili; nec causam sic agendi superiori regularium significare tenetur ut decrevit S. Cong. Concil. in responsione ad duodecimum ex dubiis circa Const. *Inscrutabili* resolutis, approbante ipso Gregorio XV, et Urbano VIII qui has responsiones typis mandari jussit, anno 1623.

3° Ex pluribus S. Cong. Episc. et Regul. decretis, confessarius monialium eligi non potest ab ipsis monialibus, sed ab episcopo pro monasteriis sibi subjectis, et, pro monasteriis exemptis, a superiore regularium quibus subjiciuntur. In specialibus quorumdam ordinum constitutionibus, moniales habent facultatem eligendi confessarium ordinarium monasterii; sed electus indiget approbatione episcopi, qui eam pro arbitrio denegare potest, et rationem denegationis manifestare non tenetur.

4° Notat *Ferraris,* plurima S. Cong. Episc. et Reg. decreta referens, v° *Moniales*, art. 5, n. 19 et seq., confessarios monialium vicarios generales esse non posse, neque parochos, et electos approbari non posse nisi pro triennio, quo elapso, si confessiones monialium in eodem monasterio audirent absque licentia S. Cong. Episc., ab audiendis confessionibus essent suspensi : dispensatio S. Cong. ad novum triennium tantum valere potest; iterum petenda esset ad tertium, et sic deinceps. Sed hujusmodi restrictiones apud nos non existunt : episcopi solent approbare, pro audiendis monialium confessionibus, regulares aut sæculares sacerdotes, liberos aut curam animarum jam habentes, prout expedire sibi videtur, et approbatio valet usque dum verbis aut facto revocetur.

5° S. Cong. Episc. et Reg. statuit, die 2 maii 1617 et 7 junii 1620, confessarios monialium in ætate supra quadraginta annos esse debere; et in epistola encyclica diei 16 martii 1703, de mandato Clementis XI, ad omnes Ordinarios Italiæ et insularum adjacentium directa, dicitur confessarios monialium debere esse ætate provectos, prudentes, zelantes et vita exemplari conspicuos. In Gallia autem episcopi determinatam non requirunt ætatem, bene vero doctrinam, pietatem, vitæ sanctitatem, prudentiam, gravitatem, etc.

6° Confessarius monialium nulla indiget licentia ut septa claustri ingrediatur pro necessitatibus sui officii, nempe ad audiendas confessiones ægrotantium et administranda Eucharistiæ et Extremæ Unctionis sacramenta; non vero ingredi posset ad audiendam confessionem infirmæ quando ad confessionarium accedere potest, neque sub prætextu comitandi medicos, chirurgos, operarios, etc., nec ad conspergendum cellas monialium aqua benedicta quolibet anni tempore, nec ad Missam in capella interiori celebrandam, nec ad colligendam formulam consecratam si adesset monialis communicanda quæ genuflexa eam reverenter sumere posset, etc.

7° S. Cong. Episc. et Reg. decrevit, die 26 martii 1590, 25 decemb. 1602 et 29 januarii 1627, confessarium ex quacumque necessitate septa monialium intrantem, semper cotta, seu superpelliceo et stola indutum esse debere, et non aliter ipsi licitum esse intrare.

8° Eadem sacra Cong. pluries definiit eum propter necessitatem intratum, per alia monasterii loca divagari non posse, ne occasione quidem visitandi infirmas quibus administratio sacramentorum non est necessaria. Probabilius tamen excommunicationem non incurreret, quia licite ingressus esset, sed illicite facultate ingrediendi uteretur.

9° Stricte eadem Cong. prohibuit ne confessarius clausuram monialium ingrederetur ad sepeliendas moniales defunctas vel pro celebrandis earum exsequiis, atque declaravit, die 20 augusti 1596, eum secus agentem excommunicationem violatæ clausuræ incursurum : vult ergo ut exsequiarum ritus ad cratem chori impleantur, et moniales postea cadavera in tumulos deponant. Verum mos apud nos viget et in plerisque monialium nostrarum Constitutionibus aut Ritualibus conscribitur, ut parochus, vel confessarius, cum aliis quibusdam viris ecclesiasticis ingrediatur, et consuetas exsequiarum cæremonias super tumulum faciat. Mos iste licite servatur, sed cavendum ne plures quam permissum est ingrediantur personæ et per alia loca divagentur.

10° Statuit insuper dicta S. Cong. 1° ut, dum confessarius audit confessionem monialis infirmæ, janua cellæ maneat aperta et ambæ comitatrices juxta eam morentur, ita ut confessarius et infirma commode ab eis videri possint; 2° ut, aliqua moniali in extremis laborante, confessarius de nocte intrare possit; ut, deficiente confessario proprio, alius quilibet sacerdos prope monasterium existens vel casu pertransiens, etsi pro monialibus non approbatus, statim, sine expressa licentia, clausuram ingredi possit et beneficium absolutionis ac Extremæ-Unctionis tali moribundæ conferat (hæc decisio, quæ certa est, per argumentum eruitur, sed in decretis S. Cong. non est expressa); 4° ut confessarius non ingrediatur sine socio qui ei assistat, et sit ætatis ultra quinquaginta annos et vitæ exemplaris. Apud nos ingreditur sine socio ad audiendam confessionem; ad conferenda Eucharistiæ et Extremæ-Unctionis sacramenta, intrat cum socio seu respondente ætatis infra quinquaginta annos, modo exemplaris sit vitæ.

11° Insuper juxta varias ejusdem S. Cong. decisiones, habitatio confessarii debet esse vicina monasterii, ab eo tamen disjuncta, non solum per parietes, sed per tecta : sic etiam præscribit Alexander VII, in Const. *Felici,* diei 10 octobris 1664, loquens de regularibus qui eliguntur pro confessariis monialium sui ordinis nimis distantium ut in conventu cum suis fratribus manere possint. Item S. Cong. Concil. definiit, die 10 sept. 1722, quod monialium confessarii habitare non debeant in atriis monasteriorum muro circumvallatis, contiguis monasteriis et habentibus portam quæ clauditur. Sæpe tamen episcopi permittunt ut confessarii habeant mansionem monasterio contiguam, modo nulla existat via ad moniales perveniendi aut cum illis loquendi,

12° Ex declaratione S. Cong. Concil. diei 29 nov. 1605, sedes confessionalis ad excipiendas monialium confessiones collocari non debet in sacristia, nec in alio loco occulto, sed in ipsa exteriori ecclesia; quod apud nos servari non solet. Insuper stricte prohibetur ne confessionale conver-

tatur in locutorium; et generatim caveat confessarius a colloquiis cum monialibus, absque necessitate eas non adeat in locutoriis, et in superflua verba aut scripta nunquam effluat.

13° Annua retributio sustentationi ejus sufficiens constituatur, et episcopus sub aliquibus pœnis, non tamen censurarum, prohibeat ne aliquid, præter hanc retributionem, communiter vel privatim ei tribuatur, aut ipse aliquid a monialibus sponte oblatum accipiat. Ita *Ferraris*, v° *Moniales*, art. 5, n. 70, plura S. Cong. Episc. et Regul. decreta referens. Verum supponit confessarium esse regularem.

14° Eadem S. Cong. pluries declaravit quod monialium confessarii, supponens etiam eos esse regulares, nullo modo possint comedere, refici aut cibum sumere in earum monasteriis vel in locis ubi sunt crates vel rotæ in monasterium respondentes, vel in locis adeo vicinis ut a monialibus possint videri vel audiri, neque ante portam clausuræ; sed tantum in ædibus vicinis refectionem diurnam sumant diebus generalium confessionum. Hæc pariter apud nos stricte non servantur, saltem ubi confessarii sunt sæculares.

De confessario extraordinario.

« 1° Præter ordinarium confessorem, alius extraordi-
» narius ab episcopo et ab aliis superioribus bis aut ter
» anno offeratur, qui omnium confessiones audire de-
» beat. » Sunt verba concilii Trid., sess. 25, cap. 10 de Regul. Vide quæ diximus in Tractatu *de Pœnitentia.*

2° Non tantum monialibus proprie dictis et in claustro viventibus, sed aliis quibuscumque mulieribus vel puellis, sive regularibus, sive sæcularibus, in communitate degentibus, offerendi sunt confessarii extraordinarii, ut fuse ostendit Bened. XIV in Const. *Pastoralis curæ,* diei 5 aug. 1748.

3° Concilium Trid. non vetat plures offerre confessarios extraordinarios, aut pluribus quam duabus vel tri-

bus vicibus; nec tempus anni determinat. Consuetudo sat universaliter recepta est ut plures sint confessarii extraordinarii in singulis monasteriis, et in unoquoque trimestri circa Quatuor Tempora offerantur.

4° Nullum est præceptum quo moniales peccata sua confessario extraordinario sacramentaliter confiteri teneantur : sed, ex concilii Trid. decreto, ex Const. Bened. XIV modo citata et ex communi doctorum sensu, omnes coram illo se sistere tenentur, ut quæ ministerio ejus indigent, eum adire non vereantur. Bened. XIV, in Const. citata, vult ut non solum moniales, sed novitiæ et sæculares quæ educationis causa aliove titulo in eodem monasterio commorantur, ad confessarium extraordinarium accedant, sive ad sacramentalem confessionem apud ipsum agendam, si placuerit, sive ad salutaria monita ab eo accipienda : item in piis aliarum mulierum et puellarum, sive claustralium, sive non claustralium, cœtibus; et testatur se olim, in sua civitate et diœcesi Bononiensi, hanc instituisse regulam et *uberem spiritualium utilitatum messem inde evidenter collegisse.*

5° Moniales, justa allegata causa, recusare possunt confessarium ordinarium, et alium petere; quia assimilantur populo qui, ex justa causa, parochum recusare potest, ut ex Sexto, l. 2, tit. 6, cap. 4, evidenter eruitur, et docent auctores : sed confessarium extraordinarium sine causa recusare possent, inquit *Ferraris*, v° *Moniales*, art. 5, n. 35, quia talis confessarius in earum gratiam fuit inductus, et unusquisque, sine causa, juri suo renuntiare potest. At difficile est ut omnes spontanee juri suo sic renuntient, ac consequenter episcopus eis proponere debet confessarios fiducia illarum dignos, et exigere ut omnes singulis vicibus uni vel alteri se præsentent.

6° Romæ præcipitur confessariis ordinariis, sub pœna privationis vocis activæ et passivæ, si regulares sint, et privationis officii si sint sæculares, ut, tempore deputationis confessariorum extraordinarium, ad monasteria non accedant : quod ubique fieri expedit, ut omnes unum e confessariis extraordinariis adire determinentur.

7° S. Cong. Episc. et Regul. decrevit, die 27 maii 1603 et 27 aprilis 1627, confessarium extraordinarium nunquam dandum esse pro moniali particulari neque in perpetuum neque ad tempus. Potest tamen episcopus, ex aliqua rationabili causa, concedere extraordinarium moniali particulari, puta, in articulo mortis; nam, in tali periculo, saluti animarum omnibus mediis succurrendum est : imo, si aliqua monialis, extra hunc casum, confessarium ab ordinario diversum sibi pro aliquo tempore postulet, non ipsi denegandus est, inquit *Ferraris*, art. 5, n. 82; et si regularis superior annuere noluerit, episcopus petitioni ejus satisfacere poterit, sive per regularem alterius ordinis sive per sæcularem. Item si superior regularis, saltem semel in anno, confessarium extraordinarium, vel alterius ordinis, vel sæcularem, monialibus sibi subjectis non offerat, electio in eo casu ad episcopum devolvitur : episcopus potest similiter dare monialibus exemptis, in sua diœcesi existentibus, confessarium sæcularem aut regularem alterius ordinis, si nulla ratione adduci possint ad confitenda peccata sua regularibus sui ordinis, vel si proprius prælatus confessarium eis injuste deneget, aut extraordinarium eis efferre negligat. Ita *Ferraris*, art. 5, n. 3, plures S. Cong. Episc. et Regul. decisiones referens.

8° Maxime expedit ut confessarii, tam ordinarii quam extraordinarii sive sæculares sive regulares, expleto suo ministerio, ad moniales non accedant ob motivum directionis conscientiæ aut spiritualis conferentiæ, neque ullam habeant correspondentiam etiam per litteras cum aliqua moniali ibi inclusa, cum novitia educanda aut alia quacumque muliere ibi degente. Hoc expresse prohibitum fuit Romæ pro omnibus monasteriis urbis, per edictum diei 12 decembris 1708.

9° Confessarius extraordinarius ejusdem ætatis, gravitatis et qualitatis esse debet ac confessarius ordinarius; nullum habet privilegium ad moniales accedendi, eas alloquendi, septa earum ingrediendi; earumdem constitutiones et regulas cognoscere debet, sicut confessarius or-

dinarius, et prudenter invigilare ne agendi rationem confessarii ordinarii condemnare, reprehendere aut reformare videatur, nisi forte gravissima ratio id suaderet.

Punctum quintum. — *De monialium superioribus.*

1° Ubi sunt regulares et moniales ejusdem ordinis, superior regularium est etiam superior monialium, easque spiritualiter regit; confessarios ordinarios et extraordinarios inter fratres suos eligit, sed approbationem ab episcopo petit; monasteria per seipsum visitat, non per alium, etiamsi legitime sit impeditus; quo in casu visitatio in aliud tempus remittitur. Votorum, clausuræ, constitutionum et regularum observationi tenetur invigilare.

2° Prælati regulares, extra necessitatem, monasteria monialium sibi subditarum ingredientes, majori subjacent excommunicationi et omnibus officiis ac dignitatibus privantur, ex Const. Gregorii XIII *Dubiis,* diei 23 decembris 1581.

3° Claustra igitur monialium ordinarie ingredi non possunt, nisi ex causa visitationis, quæ semel tantum in anno fieri potest, cum debita quidem diligentia, sed tamen celeriter et unica die, inter ortum et occasum solis, absolvatur. Si quis prælatus regularis pluries in anno septa monialium etiam exemptarum sibi subditarum ingredi debeat, ob clausuram aliamve gravem causam, id non faciat nisi in præsentia episcopi diœcesani vel alterius personæ ecclesiasticæ sæcularis, boni exempli, ab episcopo deputatæ. Ita Alexander VII, Const. *Felici*, diei 10 octobris 1664, ubi statuit, § 1, quod in anno in quo unus ex superioribus ordinis monasterium visitavit, alter illud visitare non possit.

4° Si visitator fuerit generalis ordinis, duos secum introducere poterit socios sui ordinis; si fuerit alius a generali, unum tantum sui ordinis introducere poterit. Nec ipse visitator nec socii ejus ullam refectionem sumere possunt intra clausuram; et superior qui supradictis

contra fecerit, ipso facto erit excommunicatus, omnibus officiis privatus, ad nova obtinenda inhabilis, etc. Hæc habentur expresse in bulla *Felici* citata.

5° Prælatus regularis moniales suo regimini subjectas audire in confessione non potest sine approbatione episcopi, et pro ingressu in monasterium, vel egressu monialium, ob legitimam causam, licentia ipsius sine consensu episcopi non sufficit, ut supra diximus, ubi de clausura, n. 9 et 16. Visitatio personalis monialium ad cratem fieri debet, sine ulla clausuræ violatione, et per ipsum prælatum duntaxat, nunquam vero per alium, in Const. *Felici* totis verbis exprimitur.

6° Episcopus clausuram et monasteria monialium exemptarum visitare potest, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, etiam inconsultis et irrequisitis superioribus earum regularibus, virtute concil. Trid., sess. 25, cap. 5 de Reg., et sic expresse definiit S. Cong. Concil. die 26 maii 1640. Eadem S. Cong. plura resolvens dubia statuit, die 10 januarii 1686, 1° episcopum clausuram monialium regularibus subjectarum visitaturum eis præfinire non teneri diem et horam visitationis; 2° non habere jus visitandi sanctissimum Sacramentum, oleum infirmorum, confessionalia, loca sepulturæ, etc., nisi in his quæ observantiam clausuræ concernunt; 3° eum casibus necessariis tantum monasterium ingredi posse, et a paucis iisque senioribus ac religiosis personis comitatum; 4° moniales in choro interiori convocare et ad eas sermonem habere posse.

7° Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 5, cap. 12, n. 4, citans Constitutionem Greg. XIV, docet et affirmat episcopum una cum prælatis regularibus interesse et præsidere posse electioni abbatissæ quæ monasterio regularibus subjecto præficienda est, ac consequenter regulares teneri denuntiare episcopo futuram abbatissæ electionem; et si episcopus dixerit se per se vel per alium electioni præsidere velle, eos teneri adventum ejus usque ad tempus præfinitum exspectare.

8° Episcopi et ipsi cardinales clausuram monialium

etiam sibi subditarum ingredi non possunt, nisi in casibus necessariis, et comitati a paucis iisque senioribus ac religiosis personis : qui contra fecerint, incurrunt prima vice interdictum ab ingressu ecclesiæ; pro secundo, suspensionem a pontificali munere; pro tertia et deinceps, excommunicationem majorem ipso facto. Ita Greg. XIII in citata Const. *Dubiis.*

9° Ex prædictis verbis, *ac religiosis personis*, et decisione S. Cong. Episc. et Reg. diei 22 maii 1615, concludunt auctores episcopum tempore visitationis secum ducere non posse laicos ut comites et socios, quia sui aut alicujus monialis sunt amici et monasterium videre cupiunt. Eos tamen introducere posset quorum consilio vel auxilio indigeret ad monasterii utilitatem, v. g., architectum, cæmentarium, etc. Vide *Ferraris,* v° *Episcopus,* art. 6, n. 100 et seq.

10° Fagnanus, *Ferraris* et alii contendunt ac variis textibus probant episcopum, moniales visitando, plus quam octo personas qualitates requisitas habentes secum intra clausuram ducere non posse, et secus prædictas censuras incurrere. Absolutio tamen ab istis censuris non reservatur Papæ.

11° Episcopi est puellas ad habitum receptas, novitias ante professionem explorare per se vel per deputatum, et voluntatem earum diligenter exquirere, « an unaquæque » coacta, an seducta sit, an sciat quid agat; et si voluntas » ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritque condi- » tiones requisitas juxta monasterii illius et ordinis regu- » lam, nec non monasterium fuerit idoneum, libere ei » profiteri liceat. » Sunt verba concil. Trid., sess. 25, cap. 17 de Regul. Vide *Ferraris*, v° *Moniales*, art, 1, n. 66, 92 et seq. Hanc explorationem facere debet episcopus etiam in monasteriis regularibus subjectis, ut S. Cong. Concil. sæpius declaravit; sed monitus, eam ultra quindecim dies differre non potest, alioquin regulares ad admissionem professionis procedere possent, ut habetur in Const. S. Pii V, incipienti *Etsi Mendicantium*, § 6, in qua etiam stricte inhibetur ne, hac occasione, episcopus aut

ejus vicarius septa monialium ingrediatur, sed ante cratem ferream stet, et alias interrogationes quam eas a concilio Trident. jussas ne faciat; et expresse statuitur a S. Pontifice puellas vel novitias ad alias interrogationes respondere non teneri.

Defectus explorationis admissionem ad habitum et professionem non annullat, ut docent *Barbosa*, Fagnanus, *Ferraris* aliique plures, et S. Cong. Concil. declaravit, die 21 sept. et 22 nov. 1593.

12° In monasteriis non exemptis abbatissa vel superiorissa, seu monasterio præfecta, ut ait concil. Trid., tenetur, ante mensem, certiorem facere episcopum professionis a novitia emittendæ, alioquin arbitrio episcopi posset suspendi. Idem concil. ibid.

13° Cum episcopi sæpe non possint per seipsos moniales suæ diœcesis spiritualiter regere, singulis monasteriis aliquem præficiunt sub titulo superioris vel patris spiritualis, qui eadm potest ac episcopus cujus est deputatus, et alterum subdelegare potest pro actibus particularibus, v. g., pro examine postulantium et novitiarum, pro impositione habitus et susceptione votorum, etc. Annuam tamen visitationem per alium dictus superior facere non potest nec computa monasterii examinare, sed tantum per seipsum. Item, si non sit vicarius generalis, confessarios ordinarios aut extraordinarios approbare non potest, nisi episcopus hanc specialem expresse ei concesserit facultatem : sed potest ipse, pro libitu, monialium confessiones audire, si sponte ac proprio motu id ab illo petierint; nam, ex Constitutione Clementis VIII *Sanctissimus Dominus noster*, diei 26 martii 1593, § 2, non licet superioribus regularium confessiones subditorum aliter audire, exceptis casibus sibi reservatis. Videatur Curs. compl., t. XVIII, col. 1223.

Idem sacerdos potest esse superior plurium monasteriorum.

14° Præcipua illius obligatio est invigilandi ut disciplina monastica accurate servetur, pax, pietas et fervor semper accrescant; ut non admittantur puellæ aut novitiæ

quæ requisitas non haberent qualitates; ut ordinarius confessarius et extraordinarii ad hoc ministerii genus idonei præficiantur, et munere suo recte fungantur, ut res temporales monasterii debita sollicitudine et prudenti modo curentur, et futura ejus existentia, quantum fieri potest, assecuretur, etc. Necesse est ergo ut constitutiones et regulas apprime noscat, cunctas moniales ante visitationem separatim audiat ad cratem et, si opus fuerit, mandata scripto tradat tum ad nascentes reformandos abusus, tum ad eos præcavendos, etc.

Punctum sextum. — *De monialium obligationibus.*

1° Pro iis quæ ad vota religionis essentialia et clausuram attinent, relegantur quæ supra diximus.

2° Pro officio pariter videantur quæ dicta sunt ubi de effectibus professionis religiosæ. Notandum est tantum conversas, si ipsis, ut communiter, propria regula quædam preces imponantur, ad illas teneri sicut ad alia regulæ præcepta, id est, ad summum sub veniali.

3° Si reperiantur moniales choristæ quæ, propter imperitiam in legendo, chorum sequi non possint, suæ obligationi satisfaciunt dicendo officium laicarum seu sororum conversarum, donec, judicio prælati, confessarii vel abbatissæ sat expedite legere didicerint. Sic Clemens VII concessit Clarissis, et Innocentius IV monialibus sub cura Fratrum minorum degentibus, et, per communicationem, cunctis monialibus, ut videre est apud Pellizarium, t. II, et *Ferraris*, art. 6, n. 4. Eo gaudent privilegio quoties, ex rationabili causa, Horas canonicas recitare non possunt, v. g., ob agitationem ex scrupulis, ob capitis defatigationem, ob extraordinarium laborem vel nimiam occupationem. Sic, ex bulla Innocentii IV, inferunt doctores.

Similiter Clemens VII concessit omnibus regularibus infirmis, vel eis qui infirmis curandis incumbunt, privilegium satisfaciendi, dicendo septem aut sex psalmos, a superiore assignandos, cum septem *Pater* et duobus *Cre-*

do; cunctæ moniales, per communicationem, eodem privilegio uti possunt.

Unde si culpabiliter omittant officium laicale sibi pro officio chori legitime assignatum, graviter non peccant, quia tunc se habent ut laicæ, et laicæ ad talem recitationem non tenentur sub mortali.

4° Moniales, recitando *Confiteor,* nihil mutare possunt, neque dicere debent, *tibi, mater, vobis, sorores,* sed ut in Breviario *tibi, pater* et *vobis, fratres,* ut decrevit S. Congr. Rituum, die 18 aug. 1629. Attamen S. Cong. Rit. respondit, die 19 nov. 1667, moniales Visitationis nomen S. Francisci in *Confiteor,* exprimere posse. Item, die 22 julii 1848, annuit Clarissis pro nomine S. Claræ, etc.

5° Moniales, ex Clement. l. 3, tit. 14, cap. 1, § *Sane,* et ex concil. Trid., sess. 25, cap. 10 de Reg., debent, saltem semel singulis mensibus, confessionem peccatorum facere et sacrosanctam Eucharistiam suscipere.

6° An teneantur ad hanc menstruam confessionem et communionem sub peccato mortali, an vero sub veniali, non sibi consentiunt doctores : plures affirmant; alii vero negant, ut videre est apud *Ferraris,* v° *Moniales,* art. 6, n. 10. Pars tutior ideo est eligenda. Imo satagendum est ut propriæ uniuscujusque ordinis serventur constitutiones in quibus præcipitur confessio saltem pro singulis hebdomadis, et communio omnibus diebus dominicis ac festis de præcepto, aliisque diebus non paucis.

7° Moniales in speciali puritate mentis existentes, et ferventiori spiritu pollentes, a superioribus vel confessariis etiam ad communionem quotidianam admitti possunt, ut fert decretum S. Cong. Concil. diei 22 feb. 1679, ab Innocentio XI approbatum. Semper tamen excipienda est feria sexta in Parasceve.

8° In sodalitatibus S. Rosarii, Chordæ, Cincturæ et in aliis hujusmodi se adscribi facere nequeunt, ut S. Cong. Episc. et Reg. definiit, die 27 octob. 1593.

9° Eadem S. Cong. statuit, die 21 maii 1615, moniales nunquam debere associatas esse in lecto, sed, ex aliis decretis, separatas habendas esse cellas, ratione ætatis a

professione incipiendæ distribuendas, nisi in aliquo monasterio adsit consuetudo immemorabilis quod cellæ vacantes assignentur ad arbitrium abbatissæ seu superiorissæ et discretarum. Nulli conceditur facultas de cellis suis post obitum disponendi, etc. *Ferraris,* v° *Moniales,* art. 6, n. 47 et seq.

Quædam tamen sunt monasteria in quibus moniales commune habent dormitorium.

Punctum septimum. — *De puellis apud moniales educandis et aliis mulieribus apud eas recipiendis.*

1° S. Episc. et Reg. Cong. pluries, et in primis die 31 aug. 1575, declaravit nullo concilii decreto prohiberi quominus puellæ in monasteriis monialium educentur, et quotidiana praxis hoc licitum esse demonstrat : sed eadem S. Cong. plures apponit conditiones, videlicet, 1° quod monasterium hujusmodi puellas ad educationem recipere consueverit, licet forte hic et nunc nullam habeat; 2° ut puellæ sic receptæ habitent in loco a dormitorio monialium ac novitiarum, nec non a loco in quo ipsæ moniales manualibus exercitiis vacare solent separato; 3° ut puellæ non recipiantur, nisi de expressa sacræ Cong. Episc. et Reg. licentia; quæ conditio in Gallia non admittitur; 4° de consensu monialium per suffragia secreta; hæc etiam conditio non ita apud nos admittitur; 5° ut quælibet puella suum habeat lectum separatum; 6° ut sit sola et non habeat ancillam; 7° ut puellæ educandæ induantur vestitu virginali, modestiæ et pudicitiæ convenienti; 8° ut septimum annum expleverint et majores viginti quinque annis non sint, quod apud nos non servatur; 9° ut ad clausuram, sicut moniales, teneantur, et egressæ ad monasterium redire nequeant nisi religiosam vitam amplecti velint. Hæc omnia judicio episcopi vel superioris ab episcopo deputati in Gallia submittuntur.

2° Puellæ intra monasterium degentes, si matrimonium contrahere velint, non prohibeantur; sed extra clausuram sponsalia ineant, in eam amplius non redi-

turæ sine licentia speciali. S. Cong. Episc. et Reg., die 15 feb. 1585.

3° Mulieres nuptæ in monasterium recipi non debent, etiam cum licentia episcopi, juxta multos doctores, sed requiritur S. Cong. dispensatio. Hæc pariter dispositio non recipitur in Gallia.

4° Ancillæ sæculares de licentia superiorum introduci possunt in monasteria, causa inserviendi monialibus, si desint conversæ aut sint infirmæ, modo sint honestæ vitæ, in servitium omnium monialium, et pro libitu suo non egrediantur e monasterio, ut communiter docetur.

Punctum octavum. — *De statu monialium nunc in Gallia.*

Permulta olim erant in Gallia monasteria feminarum regularia, in quibus emittebantur vota solemnia. Omnia, tempore magnæ perturbationis sub fine decimi octavi sæculi exortæ, dissoluta fuerunt.

Rebus religiosis in ordine restitutis in initio decimi noni sæculi, quædam cœperunt instaurari puellarum monasteria, alia juxta constitutiones a Sancta Sede jam approbatas, et alia sub omni respectu nova. Plures etiam aut instauratæ aut creatæ sunt piæ feminarum familiæ, dictæ *Congregationes*, inter quas aliæ a Sede Apostolica sunt approbatæ, aliæ vero a solis respectivis episcopis.

In hac operis nostri parte specialiter agimus de monialibus, non vero de aliis religiosis puellis.

1° Jam monuimus supra, p. 356, nunc in Gallia non requiri beneplacitum apostolicum ad monasteriorum monialium erectionem aut translationem, ut moniales lucrari possint indulgentias propriis suis institutis concessas.

Idem dicendum est de communicatione privilegiorum, quia, ex regula juris XV, *favores ampliari convenit.*

2° Quoniam vero ex prima parte ejusdem regulæ, *odia restringi convenit*, sequitur vota nunc in religione, olim approbata, emissa non reputanda esse solemnia; nam juxta solemnis professionis naturam et Ecclesiæ disciplinam, votum unum non potest esse solemne sine alio.

Porro votum paupertatis non potest esse perfectum, cum moniales professæ, sive velint, sive nolint, retinent ad minus facultatem hæreditates percipiendi. Ergo nec votum castitatis est solemne. Unde vota monialium, in præsentibus rerum adjunctis, non constituunt impedimentum matrimonii dirimens, donec summo Pontifici placuerit statuere, vel ut professio religiosa, non obstante defectu citato, reputanda sit solemnis, vel ut professio non solemnis futura sit impedimentum dirimens.

3° Cum ex variis S. Pœnitentiariæ responsis, moniales nunc habendæ sint in Galliis tantum ut pii cœtus feminarum, sequitur earum monasteria canonicis legibus circa clausuram et pœnis decretis stricte non subjici. Ordinarii locorum eas leges et pœnas sua auctoritate renovare possunt et nobis expedire videtur ut id faciant. Eo sensu respondit S. Pœnitentiaria, die 23 januarii 1821, ad Nannetensem canonicum.

Saltem lex clausuræ in his monasteriis in quibus vi constitutionum existere debet, abjici non potest sine culpa ex genere suo mortali, quia sic videtur communiter apprehendi : superiores et præsertim episcopi sic obligare velle censentur in hac observantia, quæ ut summe necessaria semper habita fuit.

Cunctas clausuræ leges stricte servari volumus in nostra diœcesi et ad id invigilamus.

4° Dubiis sequentibus a nobis expositis : 1° « An votum » ingrediendi religionem Sedi Apostolicæ adhuc sit re- » servatum ; 2° an Ordinarius super votis a monialibus » emissis, data ratione sufficienti, dispensare possit, voto » perpetuæ castitatis remanente ; 3° an de votis virorum » idem dicendum sit ac de votis monialium, » Sacra Pœnitentiaria respondit, die 2 januarii 1836 : 1° « Votum » mulieris cujus intentio respexerit ad monasteria prout » nunc in Gallia existunt, non esse reservatum, quia » scilicet monasteria eadem a Sede Apostolica, attentis » peculiaribus circumstantiis, non tanquam ordines vere » et proprie religiosi, sed uti piissimarum familiæ femi- » narum æstimantur ; 2° ex Sanctitatis suæ declaratione,

» rebus sic stantibus, posse dispensare; 3° decreta per » Sacram Pœnitentiariam alias edita spectare solummodo » ad moniales. »

Possunt igitur episcopi ordinaria sua potestate, ex sufficientibus causis, dispensare, non solum puellas ad congregationes a Sede Apostolica minime approbatas pertinentes, sed quascumque moniales sibi subjectas, voto perpetuæ castitatis reservato. Sed cautissime uti debent ea facultate, ne imprudenter aperiant januam abusibus non facile postea reprimendis. Ad præcavenda mala quæ nobis videntur timenda, de potestate nostra non dubitando, ad Sanctam Sedem tamen pluries recurrimus pro obtinendis nonnullis dispensationibus; alias quandoque, sed rarissime, propria auctoritate concessimus.

Nunquam vero dispensamus viros apud Benedictinos vel Trappenses aut in Societate Jesu professos.

Quod dictum est de lege clausuræ, dicendum est pariter de lege circa divinum officium. Moniales, vi suæ professionis, nunc ad divinum non obligantur officium; sed episcopi possunt et debent eas ad munus istud, juxta proprias constitutiones, explendum obligare, et talis est expressa voluntas nostra respectu monialium nobis subjectarum.

CAPUT TERTIUM.

DE TERTIO DECALOGI PRÆCEPTO.

Hoc præceptum in Exod. xx, 8 et seq. exprimitur his verbis : *Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis et facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini est,* etc.

Dicemus 1° de natura et obligatione hujus præcepti; 2° de iis quæ prohibentur; 3° de iis quæ præcipiuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NATURA ET OBLIGATIONE TERTII PRÆCEPTI.

1° Sabbatum, juxta vim nominis, significat requiem vel cessationem, et sic ultima dies hebdomadæ vocata est, quia Deus compleverat *die septimo opus suum quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat*, Gen. II, 2. Sumitur etiam, in stylo hebræo, pro ipsa hebdomada, et eo sensu dicitur prima sabbati, una sabbati, pro prima die hebdomadis, seu post sabbatum.

2° Hoc præceptum est simul naturale et positivum : est naturale, quatenus natura præcipit ut aliquod tempus cultui divino impendatur, et sub hoc respectu inter præcepta Decalogi ponitur : quatenus vero aliquod tempus speciale ad vacandum divinis, et in honorem requiei Dei ab opere creationis determinat, est cæremoniale, et hæc circumstantia, accedente lege Evangelica, fuit abrogata. *Ita communissime theologi.*

3° Observatio igitur diei dominicæ, quæ nova Lege sabbato fuit substituta, quoad determinationem temporis et operum, sive prohibitorum, sive præceptorum, est tantum de jure ecclesiastico. Nam, vel est de jure ecclesiastico tantum, vel de jure naturali, vel de jure divino positivo : atqui duo posteriora dici nequeunt. 1° *Non est de jure naturali;* quamvis enim ratio dictet Deum esse orandum et aliquod tempus cultui ejus esse devovendum, non præcipit tanquam essentiale quod sit integra dies, hæc potius quam illa, una e septem potius quam e decem, etc. 2° *Non de jure divino positivo.* Videmus quidem dominicam tempore Apostolorum jam loco sabbati exstitisse : *Fui in spiritu in die dominica*, Apoc. I, 10; *Una autem sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem*, Act. XX, 7. Una sabbati est prima dies post sabbatum, seu dies dominica, ut expresse tradit S. Aug. Epist. 37, n. 28 : « una enim sabbati tunc appellabatur

» qui nunc dominicus appellatur. » At nullibi dicitur nec indicatur hanc substitutionem factam fuisse a Christo seu jure divino positivo ; imo S. Th. 2 2, q. 122, art. 4, ad 4, ait : « Observantia diei dominicæ succedit observantiæ » sabbati, non ex vi legis, sed ex institutione Ecclesiæ; » Catechismus Conc. Trid., 3ª parte, cap. 4, § 4, dicit : « Placuit autem Ecclesiæ Dei, ut diei sabbati cultus et » celebritas in dominicam transferretur diem. » Insuper Ecclesia ab observatione diei dominicæ sæpe dispensat, tum ex parte, tum ex toto : persuasum habet illius observationem, quoad circumstantias temporis et operum, esse tantum juris ecclesiastici. Ita longe communius, et probabilius theologi contra plures, inter quos Coll. Andeg., qui in hoc, sicut in aliis punctis, non satis est præcisus et accuratus.

4° Illud præceptum obligat per se sub peccato mortali, ut constat ex communi sensu doctorum et fidelium, et ex condemnatione sequentis propositionis ab Innocentio XI, n. 51, anno 1679 : « Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit con- » temptus. »

5° Obligat omnes et solos fideles rationis compotes : obligare quippe non potest infideles, cum non sint de Ecclesia, nec ratione carentes, etsi ætate jam essent provecti, quia obedientiæ sunt incapaces ; sed cunctos fideles rationis compotes per se obligat, quia est universalis et ad omnes extenditur. Ad illam igitur tenentur pueri etiam septennio minores, si usum rationis habeant, dum non tenentur majores, sed idiotæ.

6° Sedulo advertendum est præceptum a fine præcepti distinguendum esse ; solum præceptum imponit obligationem, et finis extrinsecus præcepti non cadit sub præcepto : v. g., finis abstinentiæ et jejunii est maceratio carnis; attamen qui, ex sua constitutione physica, magis delectatur alimentis jejunii quam carnibus, nihilominus præcepto satisfacit. Item finis cessationis ab operibus servilibus est ut, rebus divinis vacantes, diem dominicam sanctificemus : verum hic finis non cadit sub

præcepto; quod plures non considerantes, in sententias nimis rigidas abierunt, ut ex infra dicendis patebit.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE IIS QUÆ DIEBUS DOMINICIS PROHIBENTUR CHRISTIANIS.

Deus omne prohibuerat opus Judæis die sabbati, ut videre est in Exod. xx, 10, et adeo rigorosum erat hujusmodi præceptum, ut ipse jusserit hominem qui inventus fuerat in solitudine ligna colligens die sabbati, obrui lapidibus ab omni populo extra castra, Num. xv, 32 et seq. In eo die cibum parare non licebat, Exod. xvi, 23, nec ignem accendere, ibid. xxxv, 3. Talis rigor apud Christianos sub lege gratiæ non existit, et tamen quædam stricte prohibentur. Dicemus 1° de operibus prohibitis; 2° de aliis operibus, præter servilia, prohibitis; 3° de causis ob quas opera servilia facere liceat.

§ I. — De operibus servilibus diebus dominicis prohibitis.

1° *Notandum* triplex genus operum distingui ab auctoribus, scilicet, servilia, liberalia et communia: servilia sic dicuntur quia a servis fieri solent, et ea sunt quæ per corpus exercentur et ad utilitatem corporis immediate ordinantur, ut fodere, suere, artes cæmentarias, lignarias, sartorias, pistorias, etc., exercere. Opera liberalia, sic dicta quia a personis liberis exerceri solent, ea sunt quæ ab anima præcipue procedunt et ad animam excolendam spectant, ut legere, studere, docere. Opera communia ea sunt quæ a servis et liberis promiscue fiunt, ut iter facere, venari : si a corpore et in utilitatem corporis præcipue exerceantur, ut piscatio cum magno apparatu, reputantur servilia; secus, sunt liberalia.

2° Opera liberalia, prout ea definivimus, nulla lege prohibentur diebus dominicis, et ubique, etiam a timoratis, exercentur. Unde 1° licet loqui, disputare, docere,

cuivis scientiæ studere, erudire, concionari, advocatos aut medicos consulere, cantare, organa aliave instrumenta musicalia pulsare, quia hæc sunt liberalia et non servilia, etiamsi fiant ob lucrum inde percipiendum, ut S. Th., 2 2, q. 122, art. 4, ad 3, et communiter tenent auctores contra paucos; ratio est, quia intentio operantis non mutat naturam operis. 2° Licet scribere, quia in ea actione præcipue agit animus: major est difficultas pro transcriptione; *Sanchez*, Sylvius, *Billuart* et alii plures volunt illam esse opus servile, nisi fiat memoriæ adjuvandæ causa, ad dicendum, retinendum, docendum, etc., quia in illa facienda corpus magis quam animus exercetur, cum multi ea etiam transcribant quæ non intelligunt. Alii tamen communissime negant, quia transcriptio, sicut scriptio, ad instruendam mentem ordinatur. 3° Licet delineationes artificum, v. g., architectorum, pictorum, sculptorum, acupictorum, fabrorum, lignariorum, etc., in charta exarare, quia in hoc agendo plus mens quam corpus exercetur. Valde autem scinduntur theologi circa picturam: plures, ut Sylvius, *Layman*, *Busenbaum*, fatentur terere colores et tingere potius quam pingere, v. g., colorare asseres, dealbare parietes, esse opus servile; sed volunt picturam proprie dictam esse artem liberalem, ac proinde diebus dominicis non prohibitam. Hæc opinio nobis videtur probabilior, quamvis opposita sit communiŏr; saltem libenter concludimus cum S. Ligorio, l. 3, n. 281, non esse dimittendos sine absolutione qui illam sequuntur ut probabilem. Sculptura vero communiter inter artes mechanicas numératur, et ut opus servile habetur. 4° Quidam, ut *Layman* et *Busenbaum*, putant collocare characteres in typographiis, non esse opus servile: hoc videtur saltem dubium; sed imprimere est, juxta omnes, opus servile. 5° Facere distillationem ad experientiam et peritiam, et non ex officio, ut pharmacopola, non est opus servile. 6° Venari, aucupari, militare, gladiari, piscari, recreationis causa, non reputantur opera servilia, quia non tantum a servis, sed potius a dominis fieri solent: alii tamen ea servilia

esse judicant, et nihilominus diebus dominicis fieri permittunt, propter consuetudinem, ad otium aliaque pejora vitanda : quidam excusant etiam puellas acupingentes ad vitandum otium. Non vero excusarentur venatio et piscatio cum magno apparatu et labore; tunc enim sunt potius opera servorum quam dominorum.

3° Opera servilia proprie dicta prohibentur diebus dominicis sub peccato ex genere suo mortali, ut constat 1° ex consuetudine in omnibus ecclesiis recepta et antiquissima; 2° ex testimoniis sanctorum Patrum : S. Aug., Epist. 55 ad Januarium, cap. 9 et seq., de sabbato Judæorum æternæ requiei figura longe disserens, dicit, cap. 13, diem dominicum non Judæis, sed Christianis resurrectione Domini declaratum esse, et ex illo habere cœpisse festivitatem suam; evidenter supponit præceptum ab operibus servilibus abstinendi apud Christianos sicut apud Judæos exstitisse, sed die dominica loco sabbati. S. Leo, l. 11, Epist. 3 : « Dominica enim die a labore terreno cessandum est, atque omnino orationibus » insistendum; » 3° ex conciliis : concil. Matisconensi II, anno 585 celebrato, can. 1; concil. Parisiensi VI, anno 829 habito, cap. 50, etc.

Hinc 1° opera ruralia, ut arare, serere, metere, vineas colere, fodere, putare, arbores cædere, etc., diebus dominicis prohibentur; 2° item opera artium mechanicarum, v. g., cæmentariæ, ferrariæ, lignariæ, sartoriæ, sutoriæ, textoriæ, etc. 3° Similiter opera minutiora quæ facere solent moniales, ut scapularia, rosaria, chordulas, flores, imagines cereas vel sericas aut chartaceas, etc., quia hæc non reputantur, in usu communi, ad artes liberales pertinere. Nec refert quod gratis exerceantur; sicut enim artes liberales non prohibentur quia fiunt lucratoriæ, nec opera servilia fiunt licita quia gratis exercentur aut ex motivo pietatis aguntur; alioquin ecclesias ædificare, calices, altaria, ornamenta sacerdotalia diebus dominicis conficere liceret, quod tamen ab omnibus rejicitur.

§ II. — De aliis operibus præter servilia prohibitis.

Præter opera servilia prohibentur diebus dominicis ex Decretal. l. 2, tit. 9, cap. 1 et 5, mercatus, placitum, judicium ad mortem vel ad aliam pœnam, et juramentum judiciale.

1° *Mercatus;* quo nomine intelliguntur nundinæ, gallice *foires*, et mercatus, *marchés*. Nundinæ sunt de majoribus rebus, raro fiunt in eodem loco, et homines de longinquo huc convenire solent; mercatus vero fiunt de rebus minoribus ad quotidianos usus destinatis, singulis hebdomadis aut circiter, diebus determinatis, in eodem loco fiunt, et homines de vicino ibi conveniunt.

Non est dubium quin nundinæ et mercatus omnesque negotiationes ex professo per se prohibeantur diebus dominicis et festivis : patet ex capitibus juris supra citatis, ex auctoritatibus a Bened. XIV, Const. *Ab eo tempore,* diei 5 nov. 1745, § 18, citatis, et ex consensu omnium doctorum. At, ex consuetudine vel ex necessitate excusantur. Sic 1° nundinæ ob consuetudinem generaliter receptam tolerantur, nec inquietari debent in eis vendentes aut ementes. Ita Bened. XIV, loco citato, *Ferraris*, S. Ligorius, etc. Sic 2° tolerantur pariter mercatus singulis diebus dominicis in quibusdam locis usitati, v. g., *les marchés de fruits, de légumes, de beurre, de lait et autres denrées.* Sic 3° licite, ex usu recepto, venduntur et emuntur, in publicis officinis, esculenta, poculenta, calceamenta, candelæ, panna ad vestes conficiendas, et alia hujusmodi : rustici enim non tenentur in civitatem vel in vicum aliis diebus ex consulto ad hæc emenda venire : ergo mercatores ea vendere possunt, nec tenentur interrogare emptores an sufficientes habeant rationes talia diebus dominicis emendi, quia hujusmodi interrogatio esset nimis gravis, odiosa et multos emere volentes repelleret. Suas tamen officinas tenere debent occlusas, saltem ex magna parte, ut ostendant se diem dominicam vel festivam ab aliis diebus distinguere. Sic 4° toleratur

ut parvi mercatores, vulgo *petits merciers,* ex uno loco in alium merces suas deferant, publice ostendant (*étalent*) et vendant, tum ob propriam utilitatem, tum ob populi convenientiam, modo Missæ assistant et tempore divinorum officiorum non vendant. Sic 5° licite venduntur et emuntur domus, equi, boves aliæque merces, sive absentes, sive præsentes, sive in parva, sive in magna quantitate, etiamsi in hoc multum impendatur tempus, dummodo hæc fiant inter privatos ; quia talis est usus etiam timoratorum, et quia Ecclesia solam prohibere voluit venditionem in publicis officinis vel in nundinis, ratione scandali. Ita S. Ligor., l. 3, n. 286, et plures apud ipsum. Sic 6° etiam nunc tolerantur publicæ venditiones sub hasta diebus dominicis inter divina officia, v. g., *un lot de bois, une maison, une entreprise de bâtiments,* etc. Sæpe aliis diebus pauciores essent concurrentes, et tunc adest ratio sufficiens diem dominicam eligendi, aut saltem qui ad hujusmodi venditiones ex officio concurrere debent, ut notarii, caupones et qui graves habent rationes emendi, ab iis cum notabili suo detrimento abstinere non tenentur. Parochi ergo et confessarii hujusmodi actus nondum usitatos impediant si possint, sed usitatos prudenter tolerent. Idem dicendum est de nundinis et mercatibus.

2° *Placitum ;* quo nomine intelliguntur judiciales processus, ut partes interrogare, testes et advocatos audire et sententiam ferre. Olim hujusmodi actus die dominica vel festiva exercitati declarabantur nulli jure civili sicut jure canonico. Lex diei 18 *germinal an* x (8 *avril* 1802) statuit, art. 57 : *Le repos des fonctionaires publics sera fixé au dimanche.* Unde tribunalia vacant diebus dominicis et festivis de præcepto, et actus in his diebus facti rescindibiles essent. Verum judex pacis omnibus diebus judicare potest, etiam diebus dominicis et festivis, mane vel post meridiem, *Code de procédure civile, art.* 8 ; item et Curia dicta *d'assises,* quando causæ examen et contentiones ad dominicam vel ad festum conducunt, quia hæc semel incœpta interrumpi non possunt. *Code d'instruction criminelle, art.* 353.

Sub his quæ in præsenti numero diximus sufficienter intelligitur quidquid dici potest de aliis sententiis judicialibus et de juramento judiciali.

3° In lege diei 18 nov. 1814 sic statutum erat, art. 3 : « Dans les villes dont la population est au-dessous de » cinq mille âmes, ainsi que dans les bourgs et les villa- » ges, il est défendu aux cabaretiers, marchands de vins, » débitants de boissons, traiteurs, limonadiers, maîtres » de paume et de billard, de tenir leurs maisons ouvertes » et d'y donner à boire et à jouer lesdits jours pendant » les offices. » Non solum hæc lex lege contraria non fuit abrogata, sed suprema curia, die 23 junii 1838; Minister ab Interiori, 20 augusti 1838; Minister Cultuum, 18 maii 1842, in conventu legatorum (*dans la Chambre des Députés*); de novo suprema curia, die 6 decembris 1852, etc., existentiam obligationemque ejus agnoverunt.

Prudens confessarius satagere debet ut hujusmodi abusus tollat, aut quantum poterit minuat; sed absolutionem denegare non potest ob prædictæ legis violationem, neque ob prohibitionem Ecclesiæ, quia nulla citatur lex ecclesiastica universalis hæc prohibens. Si specialia hac de re existant statuta in diœcesibus, et nondum abrogata, servanda sunt. Secus ex variis circumstantiis agendum est, habita ratione scandali, damni incurrendi, difficultatis a tali venditione abstinendi, etc. Sæpe uxores, filii aut filiæfamilias admitti possunt, non vero dominus domus.

Idem, proportione servata, dicendum est de spectaculis, saltationibus, choreis diebus dominicis habitis, quæ nulla lege generali prohibentur, et tamen sanctificationi dierum sanctorum multum adversantur : tempore divinorum officiorum tolerari non possunt, maxime in locis publicis ob scandalum inde proveniens.

De itinere.

Itinerari pedibus, equo, curru aut navi diebus dominicis et festivis illicitum esse quidam docuerunt, ut Ca-

jetanus, Sylvius et alii; sed communiter nunc tenetur hoc esse licitum, tum quia non est opus servile, tum quia sic prævaluit usus etiam apud timoratos. Unde licet currum et equos parare, quamvis in eo aliquod sit opus servile.

Item servile non est opus ducere jumenta, quia est iter agere : ea vero ducere onusta, aut currus vel navigium cum mercibus, opus est servile et prohibitum, juxta *Suarez*, *Busenbaum* et alios plures. Excipitur tamen si ante dominicam vel festum itinera sint incœpta et absque notabili detrimento interrumpi non possint. In eo casu æstimat S. Ligorius, l. 3, n. 276, saltem hodie probabilius videri non solum iter incœptum continuare, sed et inchoare licitum esse, ob grave evitandum damnum, vel ob publicam utilitatem, vel ob generalem consuetudinem, quæ consulenda est.

Eadem ratione, quamvis iter ex officio agere, ut faciunt cursores, opus servile videatur, ex consuetudine tamen et ob publicam utilitatem excusatur. Sic *Billuart*.

De peccato die dominica commisso.

Non pauci volunt peccatum die dominica vel festiva admissum specialem induere malitiam, quia divino cultui in hac die præcepto opponitur; alii vero communius negant, quia peccatum opponitur quidem fini præcepti, non autem ipsi præcepto : at cum finis non cadat sub præcepto, sequitur peccatum specialem non contrahere malitiam ex circumstantia hujus diei. Unde si S. Th. dicat, 2 2, q. 122, art. 4, ad 3 : « Magis contra hoc præceptum » agit qui peccat in die festivo quam qui aliud corporale » opus facit, » id intelligendum est de fine præcepti opus servile prohibentis.

§ III. — De causis ob quas opera servilia facere liceat.

Causæ de operibus servilibus communiter excusantes sunt dispensatio, consuetudo, pietas, charitas, necessitas, utilitas, et rei parvitas.

1° *Dispensatio ;* cessatio enim a servilibus operibus ex jure positivo humano tantum in nova Lege præcipitur, ut supra diximus : porro de essentia est Legis positivæ humanæ ut per legitimam dispensationem vinculum ejus solvi possit.

Ab illo autem præcepto dispensare possunt : 1° summus Pontifex in omnibus festivitatibus et diebus dominicis pro tota Ecclesia, ut supremus legislator et pastor ; 2° episcopus et vicarii capitulares, sede vacante, pro diœcesi, et ob rationes sufficientes ; secus, graviter peccarent, et nulla esset dispensatio, si de festis communibus ageretur : valide vero esset dispensatio sine causa, licet illicita, in festis particularibus loci, si quæ adhuc existerent ; 3° prælati regulares, respectu subditorum et suorum domesticorum ; 4° parochus, respectu parochianorum, sed ad tempus pro aliquo casu particulari et ob graves rationes. Si diuturna obtinenda sit dispensatio, recurrendum est ad episcopum. *Sanchez* et alii plures apud S. Ligorium, l. 3, n. 288, dicunt vicarium generalem in eo præcepto dispensare non posse, nisi ex speciali mandato : verum in Gallia dispensare solent, ex generali sua commissione, eodem modo ac episcopi, nomine ejus et sub illius dependentia ; 5° si casus urgeat et superior ecclesiasticus adiri non possit, dispensatio præsumi potest. Ita *Suarez,* S. Ligorius et alii plures.

2° *Consuetudo ;* consuetudo enim habet vim leges positivas introducendi, interpretandi, mutandi et abolendi, ut constat ex dictis in Tractatu *de Legibus.* Unde celebris *Gerson,* a P. Alexandro relatus, ait : « De operibus servilibus non exercendis diebus dominicis et festivis plus » et frequenter determinat consuetudo loci et personarum a prælatis tolerata, quam alia lex scripta. » Hinc

ex consuetudine excusantur 1° quædam nundinæ in diebus dominicis et festivis haberi solitæ, et mercaturæ, ut supra diximus; 2° præparationes deliciarum etiam non necessariarum, ut cupediarum, placentarum, et similium ciborum artificiosorum; 3° minorum animalium, ut pullorum, columbarum occisiones, non vero majorum, v. g., boum, ovium, vitulorum, nisi aliqua urgeat necessitas; 4° quæ ad nitorem domus pertinent, ut cameras verrere, cubilia sternere, utensilia lavare, etc.; 5° quæ ad decentem personæ compositionem spectant, ut barbam sibi tondere, vestes purgare, aliquid leve suere, eas corpori aptare, etc.; 6° quæ ad iter faciendum necessaria sunt, ut currum et equos præparare, etc.

3° *Pietas*. Hic agitur de pietate erga Deum, cujus ratione excusantur opera ad servitium Dei proxime pertinentia, ut cruces, imagines, reliquias in supplicationibus publicis gestare, campanas pulsare, organis insufflare, thuribulum agitare, altaria sertis, candelabris, vestimentis et similibus ornare, etc.; hæc enim ad finem præcepti de sanctificatione diei dominicæ pertinent: ergo prohiberi non possunt, etiamsi aliquod inde percipiatur lucrum, ob molestiam sustinendam, sicut in veteri Lege sacerdotes arcam circumferentes aut victimas die sabbati immolantes non peccabant. Ea vero quæ ad servitium Dei remote tantum pertinent et servilia sunt, ut lapides ad construendam ecclesiam cædere aut vehere, ornamenta facere aut reficere, linteamina lavare, serta pro altaribus componere, ecclesiam lavare, etc., prohibentur et peccata mortalia esse possunt.

Quidam apud S. Ligorium, l. 3, n. 293, docent quod ob solam pietatem liceat diebus dominicis et festivis, saltem non solemnioribus, laborare, v. g., vestes pro pauperibus facere, agros ecclesiæ colere, lapides et ligna ad ejus constructionem vehere, etc., et nituntur cap. 5, tit. 9, l. 2 Decretal., in quo dicitur judicialia prohiberi festis solemnibus nisi necessitas urgeat, *vel pietas suadeat;* verum alii communius et probabilius hanc opinionem rejiciunt, quia præceptum colendi Deum et a

servilibus abstinendi altioris est ordinis quam opera pietatis.

4° *Charitas*, scilicet erga proximum, si nempe pauperibus et infirmis pro tunc egentibus subveniendum sit etiam per quædam opera servilia : eo motivo rusticis vendere et ab eis emere licet diebus dominicis et festivis, ut jam notavimus, quod nunc etiam fit propter consuetudinem.

5° *Necessitas*, sive propria, sive aliena, sive corporis, sive animæ; quia apud omnes receptum est legem humanam cum tanto detrimento non obligare. Unde sufficienter excusantur 1° qui, propter præteritam vel imminentem pluviam, fenum vel segetes vertunt, ligant, asportant, congregant; qui, urgente mandato vel necessitate, pontes, vias publicas aut alia similia conficiunt aut reficiunt; *a fortiori* qui in incendio succurrunt, inundantibus aquis aggeres opponunt, qui militant, propugnacula construunt, mœnia reparant, etc.; 2° famuli a dominis ad laborandum coacti, modo id non fiat in contemptum præcepti, et timeant eorum indignationem aut aliud grave incommodum, v. g., ne dimittantur et alium dominum non facile inveniant : si tamen ad hanc præcepti violationem frequenter cogendi essent, talem dominum, quamprimum moraliter possent, id est, sine gravi detrimento, deserere tenerentur : quod autem dicitur de famulis, *a fortiori* dicendum est de filiisfamilias et uxoribus a patribus et maritis ad laborandum coactis, et facultatem abstinendi aut domum deserendi non habentibus; 3° iidem famuli aut famulæ vestes suas diebus dominicis reficientes, si id aliis diebus facere non possint : suadendum est illis ut se locando tempus ad hæc facienda obtineant, ut in nonnullis regionibus fieri solet; at si hanc facultatem obtinere nequeant, ut sæpe contingit, inquietari non debent, quia diebus dominicis talia ex sola necessitate agunt; 4° pauperes, qui aliter se suosque sustentare non possunt, modo privatim et sine scandalo laborent, præsertim quando multi occurrunt dies festi, nisi dicatur eos potius mendicare teneri, *quod stultum est*, inquit Caje-

tanus. Sic generaliter theologi. Eadem ratione permittitur pauperibus diebus dominicis spicas derelictas colligere (*de glaner*), post vel ante assistentiam Missæ; 5° ii quorum opera semel incœpta interrumpi non possunt absque gravi damno, ut coquentes lateres, calcem, vitrum, liquefacientes ferrum, et alii similes; 6° medici, chirurgi, pharmacopolæ necessaria ægrotis parantes; 7° pistores, qui ex usu nunc recepto panem recentem seu hujus diei habere tenentur, alioquin officina eorum desereretur: caveant tamen ne conficiant die dominica aut festiva panem quem die præcedenti conficere possunt absque notabili detrimento; 8° molitores, qui aqua aut vento existenti uti possunt, partim ob necessitatem, partim ob consuetudinem receptam, partim quia labor humanus est parvus: grana autem accersere aut farinam reportare non debent sine aliqua necessitate labori proportionata; 9° sartores, qui conficiunt vestes funebres aut nuptiales tali die necessarias, et eas terminare nequeunt, neque per se neque per alios, nisi die festo laborent; non vero excusantur qui sæpius post mediam noctem in die dominica aut festiva diu laborant ut vestes promissas reddant, nisi rationabiliter timeant graves rixas, blasphemias aut alia similia, vel ne ab iis pro quibus laborant cum notabili sui damno deserantur; at in tali necessitate se non constituant nimiam quantitatem laboris accipiendo, vel minorem operariorum numerum habendo; 10° qui ferrant equos in via vel etiam a rusticanis sibi adductos; ipsi rusticani qui eos alia die adducere non possent sine notabili detrimento; qui currus casu fractos reficiunt; qui vomeres recudunt aut recudere faciunt, quia secus die sequenti arare non possent; qui falces percutiunt, etc.; 11° barbitonsores, qui rusticanos, opifices aliosque continuis laboribus per hebdomadam occupatos radunt, capillos eorum cædunt et componunt, vel etiam, ex usu nunc communi, alios, ob solam decentiam, radunt et comunt. Bened. XIV, cum erat Bononiensis archiep., Instit. 43 statuit quid diebus festis facere possent vel non possent, horas eis assignavit pro arte sua exercenda. 12° Proba-

biliter excusantur qui, bonis fortunæ non copiose instructi, laborant, vendunt, vel emunt propter occursum lucri gravis momenti et extraordinarii, quia pro iis tale lucrum non facere idem est ac grave damnum pati; et eo sensu Alexander III permisit : *ut diebus dominicis et aliis festis, præterquam in majoribus anni solemnitatibus, si halecia terræ se inclinaverint, eorum captioni, ingruente necessitate, intendere liceret.* Decretal. lib. 2, tit. 9, cap. 3. Sic agere solent piscatores respectu aliorum piscium qui certo tempore ad littora maris accedunt, aut fluvios excurrunt. Ita *Billuart*, S. Ligorius, n. 301, et alii multi.

6° *Utilitas*, præsertim publica, si nempe de communi lætitia aut splendore agatur, v. g., de celebranda victoria, de præparando festo, pro receptione principis, pro nativitate filii ejus, vel de alia exsultatione publica atque legitima.

7° *Parvitas materiæ;* omnes quippe fatentur hoc præceptum levitatem materiæ admittere, ac consequenter transgressionem ejus, ex genere suo mortalem, defectu materiæ fieri posse venialem. Communis sententia tenet laborare, sine causa excusante, per duas horas, sive continuas, sive separatas, peccatum esse mortale, maxime si labor sit valde servilis, ut cædere lapides, fodere terram. Ita *Layman, Suarez, Busenbaum*, S. Ligorius, contra paucos sustinentes unam horam ad constituendum peccatum mortale sufficere, et alios nimis laxos qui ponunt pro materia gravi tertiam diei partem. Plurimi tres admittunt horas, si aliqua concurrat causa excusans, licet per se non sufficiens, aut si labor leviter sit servilis et a servitio Dei parum distrahens, ut acupingere, minutiora opuscula facere, aptare, texere, etc. Si autem labor adeo sit levis ut pro nihilo reputari debeat, v. g., unum vel alterum punctum suere, unum fructum colligere, nullum est peccatum.

Quærunt theologi an dominus mandans sex vel decem famulis ut per horam die dominica laborent mortaliter peccet : quidam affirmant, quia opus fit grave respectu

ipsius; alii communius negant, quia singuli operantes venialiter tantum peccant : dominus autem ideo peccat quia eos inducit ad peccandum : ergo venialiter tantum peccat, nisi grave præbeat scandalum. Fatendum est tamen eum sic agendo præceptum Ecclesiæ ob meras cavillationes elusurum; multos enim inducendo operarios ad laborandum per horam singulis diebus dominicis et festivis, leviter tantum peccaret ut ingentia perficeret opera, quod sensui communi repugnare videtur. Unde libenter diceremus cum *Billuart : Doctioris judicium exspecto.*

Communiter docetur eum qui inter famulos habet infideles et amentes contra Ecclesiæ præceptum non agere eos operibus servilibus adhibendo diebus dominicis et festivis, quia hi præceptis Ecclesiæ non tenentur. Caveat tamen ne scandalum præbeat, ut, puta, si tales eligeret famulos ut eos ad laborandum diebus dominicis adhiberet.

ARTICULUS TERTIUS.

DE IIS QUÆ DIEBUS DOMINICIS ET FESTIVIS PRÆCIPIANTUR.

Quæ diebus dominicis et festivis præcipiuntur fidelibus, vel ab eis præstanda sunt, ad duo genera reducuntur, videlicet ad auditionem Missæ et ad cætera pietatis opera : de quibus in duplici agemus paragrapho.

§ I. — De auditione Missæ diebus dominicis et festivis.

Dicemus 1° de præcepto in genere audiendi Missam his diebus; 2° de modo eam audiendi; 3° de Missa parochiali, et 4° de causis ab audienda Missa excusantibus.

SECTIO PRIMA. — De præcepto in genere audiendi Missam diebus dominicis et festivis.

1° Dari hujusmodi præceptum, id est, omnes fideles usum rationis habentes, non legitime impeditos, cujus-

cumque sint status et conditionis, Missam integram singulis diebus dominicis et festivis sub peccato mortali audire teneri, constat 1° ex concilio Agathensi, anno 506 celebrato, can. 47, ubi legitur : « Missas die dominico » a sæcularibus totas audiri speciali ordinatione præci- » pimus; ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi » populus non præsumat : qui si fecerint, ab episcopo » publice confundantur; » 2° ex concilio Aureliani anno 511 habito, in quo idem omnino statuitur, can. 26; 3° ex Decreto, 3ª p., dist. 1, can. 63, ubi propria concilii Agath. verba referuntur et aliis seq. can.; 4° ex usu generaliter recepto, et ex fidelium persuasione ac pastorum doctrina, tum privata, tum publica; 5° ex damnatione seq. propositionis ab Innocentio XI, anno 1679, et a clero Gallicano, anno 1700 : « Satisfacit præcepto de audiendo » Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a di- » versis celebrantibus audit. »

Multi olim docebant, saltem ut probabile, satisfieri præcepto de audienda Missa si audirentur duæ medietates, etiam inverso ordine, v. g., a consecratione usque ad finem, deinde a principio usque ad consecrationem, etiam cum aliquo temporis intervallo, nimirum unius horæ, ut videre est apud S. Ligorium, l. 3, n. 311 : hæc vero sententia, quæ rationi præcepti, sensui communi fidelium et condemnationi propositionis superius citatæ simul adversari certe videtur, admitti non potest.

2° Quæ omissio peccatum mortale constituat, non sibi consentiunt doctores : plures dicunt grave non esse peccatum omittere ab initio usque ad epistolam exclusive; alii dicunt usque ad epistolam inclusive; alii usque ad evangelium inclusive, modo deinde audiatur usque ad ultimum evangelium, et adhuc concedunt *Credo*, qui non est pars regularis, voluntque eum graviter non peccare qui venit ante offertorium, ex quo Missa olim incipiebat. S. Ligorius, l. 3, n. 310, declarat secundam sententiam sibi probabiliorem videri, eam scilicet quæ tenet omissionem usque ad epistolam inclusive esse gravem : major

et sanior pars theologorum huic sententiæ adhærere nobis videtur.

3° Qui a principio usque ad communionem audivit et cætera omittit, graviter non peccat, ut fert sententia communis, neque si omnia ante epistolam et simul omnia post sumptionem omittat, ut aiunt *Suarez* et alii plures, volentes tamen peccatum esse mortale si omissio ipsam complecteretur epistolam. Solum omittere offertorium non reputatur grave : item abesse tempore quo cantatur *Credo* aut *Præfatio*, aut dum concionatur, vel cantus musicalis perficitur, etsi longe protrahatur; quia hæc ad essentiam Missæ non pertinent. Omittere vero consecrationem et communionem vel alterutram, ex communiori sententia, aut partem canonis a consecratione usque ad *Pater* exclusive, aut diversas partes non essentiales, quæ grave constituunt objectum, peccatum est mortale.

4° Qui ante consecrationem advenit et aliam Missam audire non potest, reliquum hujus Missæ audire tenetur, iuxta omnes, quia essentia sacrificii adhuc restat. At si post consecrationem tantum adveniret, *Collet, Billuart* et alii volunt eum teneri adhuc partem remanentem audire, obligationem audiendi Missam obligationi divinum recitandi officium comparantes : alii vero, inter quos S. Ligorius, negant, quia ubi essentia Missæ deficit, cessat obligatio eam audiendi, dum, e contra, cum officium sit oratio, semper dividi potest. Pius fidelis partem tutiorem semper eliget in eo casu.

5° Qui partem etiam minus essentialem, sed notabilem omisit, aliam audire debet Missam, si possit, quia Missam integram audire tenetur. Hanc sententiam ut probabiliorem tradit S. Ligorius, post Salmanticenses.

6° Qui tres audire teneretur Missas, unam ex lege ecclesiastica, alteram ex voto et tertiam ex præcepto confessarii, certe non satisfaceret tres simul a tribus sacerdotibus celebratas audiendo, quia intentio voventis aut confessarii præsumi non potest fuisse ut Missæ sic audirentur. At si auditio Missæ fuisset injuncta aut voto promissa pro tali die festo, sine addito, unicam Missam

audire sufficeret, quia nihil vetat quominus opus ab Ecclesia jam præceptum voveatur aut in pœnitentiam injungatur.

7° Nulla existit obligatio proprie dicta audiendi Missam aliis diebus præter dominicas et festa de præcepto. *Ita omnes.* In die Nativitatis Domini, quamvis tres celebrentur Missæ, unica tamen audienda est de præcepto, ut fert unanimis sententia.

SECTIO SECUNDA. — De modo audiendi Missam ut satisfiat præcepto.

Præter integritatem de qua diximus, tres requiruntur conditiones, videlicet præsentia moralis, præsentia religiosa et attentio conveniens.

1° *Præsentia moralis;* præcipitur enim assistentia Missæ, auditio Missæ : requiritur ergo ut hæc verba, sensu naturali accepta, sint vera : porro non reputarentur vera, nisi adesset præsentia moralis, ita ut omnibus circumstantiis perpensis, merito dici possit : Hi audiunt Missam vel assistunt Missæ. Unde 1° qui tempore Missæ dormit in ecclesia, pingit, scribit, docet, confabulatur, labori corporali incumbit, vel ebrius est, Missæ non assistit, quia ibi præsens est tantum physice et non moraliter; 2° nec qui longe stat, etsi templum, altare, turbam videat, quia in usu communi dici non potest audire et moraliter adesse. Quanta autem ad hoc requiratur distantia non constat : card. *de Lugo* a S. Ligorio citatus, l. 3, n. 312, dicit distantiam triginta passuum non obstare : alii id non admittunt, et S. Ligorius nihil pronuntiat. Sat inclinamur ad judicandum hominem in tali distantia positum, actionem Missæ per motus assistentium vel per alia signa distinguentem, valide assistere; qui enim eum tunc viderent, interrogati quid faciat, responderent : Audit Missam, assistit Missæ. Extra casum legitimi impedimenti, hic modus tamen eligi non posset, ut pote graviter impugnatus. 3° Qui stat prope ecclesiam, sed extra, in loco ubi nihil videt, nec distinguit, valide

non potest assistere : imo id verum est etiamsi stet in ecclesia, si magna sit et Missa celebretur in capella distantissima, vel ita clausa ut ipse nihil distinguere possit. 4° Contra vero Missæ valide assistit qui, etsi sacerdotem non videat nec audiat, partes Missæ distinguit per sonitum campanulæ, per cantum chori, per motus assistentium quibus moraliter jungitur, licet sistat extra ecclesiam, in qua turba contineri non potest : item qui est post altare, post columnam, post parietem, modo Missæ assistere intendat et partes ejus distinguat : reputatur enim moraliter præsens : item qui est positus in camera, vel in domo vicina, unde per hortum vel fenestram altare aut assistentes videat, vel saltem partes Missæ distinguat, et si parva existat distantia inter locum in quo est et ecclesiam. Communius tamen docetur eum moraliter adesse non censeri, si platea aut via publica intercedat. Vide *Ferraris*, v° *Missæ sacrif.*, art. 117, n. 18. 5° Qui per breve tempus absunt ad pulsandam campanam, ad quærendum vinum aut aquam, ad excitandum thuribulum, etc., moraliter adesse censetur, tum quia hæc ad actionem sacrificii pertinent, tum quia modicæ hujusmodi absentiæ pro nihilo reputantur, nisi per consecrationem aut communionem locum haberent. 6° Surdi et cæci Missam audire tenentur, quia eo ipso quod pie sint in loco ubi, sensibus sibi restitutis, videre et audire possent, moraliter judicantur esse præsentes.

2° *Præsentia religiosa ;* præcipitur enim actus religionis : necessaria est ergo intentio Deum honorandi. *Ita omnes.* Non tamen requiritur intentio satisfaciendi præcepto, quia, ex dictis in Tractatu *de Legibus,* intentio satisfaciendi ordinarie non cadit sub præcepto. Unde qui iret ad ecclesiam et Missæ assisteret absque motu cordis ad Deum, ex solo timore, ex mera hypocrisi, vel ei adesset velut comœdiæ, non satisfaceret.

3° *Attentio conveniens.* Certum est aliquam necessariam esse attentionem, quia secus auditio Missæ non esset actus humanus. Attentio actualis optima esset, sed non exigitur, ut omnes concedunt : attentio habitualis aut

interpretativa sufficere non potest, quia non redderet actum humanum, ut pote illum minime dirigens. Requiritur ergo et sufficit attentio virtualis, quæ videlicet fuit actualis et in serie actionum moraliter perseverare censetur, puta, si fidelis adeat ecclesiam cum proposito audiendi Missam, et ibi involuntarie distractus, quid agatur non advertat. Plurimi olim negarunt ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam requiri attentionem internam, hoc principio innixi quod Ecclesia actus mere internos præcipere nequeat. Verum alii communius et longe probabilius eam necessariam esse contendunt, et rationem adversariorum esse nullam : etenim apud omnes constat Ecclesiam præcipere posse actus internos quatenus ad actus externos essentialiter pertinent, v. g., contritionem cordis in confessione sacramentali : id est, præcipiendo confessionem, eo ipso præcipit contritionem ; ita et præcipiendo auditionem Missæ, attentionem internam necessario exigit.

Attentio autem ista potest esse triplex, nempe : 1ª ad verba et actiones sacerdotis, cum generali proposito actum religionis exercendi, etiamsi sensus eorum non intelligatur ; 2ª ad sensum et mysteria per verba et actiones sacerdotis significata, et 3ª ad Deum laudandum et orandum per preces, meditationes aliosve actus. Hæc ultima est bona : convenit tamen, inquit *Billuart*, ut sic orantes sint attenti ad principaliores Missæ partes, nimirum consecrationem et communionem. Secunda est melior, ut patet : prima stricte sufficit, quia nullibi præcipitur ut audiens Missam aliquas preces fundere aut meditationes facere teneatur ; sufficit quod ex pia intentione assistat sacerdoti nomine omnium præsentium ac totius Ecclesiæ celebranti et oranti. Unde 1° satisfaciunt rusticani qui coronam precatoriam vertunt tempore Missæ, et qui nec librum nec coronam habent, nec aliquas preces determinatas recitant, sed tantum sacrificio assistunt, modo per integram Missam moraliter præsentes adsint, saltem ex generali intentione Deum per hanc actionem honorandi. Caute quidem erudiendi et ad religiosiorem assistentiam

hortandi sunt, sed expedit ut nimis præcipitanter tanquam rei peccati mortalis non habeantur. Item qui in Missa solemni de cæremoniis ejus passim occupantur, ut sacristæ, cantores, musici, organici, tympanistæ, quia eorum actus ad Dei cultum referuntur, et necessario non impediunt piam attentionem ad ea quæ in altari geruntur. Item eulogiarum distributores et eleemosynarum collectores satisfacere possunt, modo ad Missam simul attendant : quod si prævideant se hanc attentionem præstare non posse, Missam privatam prius aut posterius audire debent, si commode possint. 2° Non satisfaciunt, e contra, qui per notabilem Missæ partem confabulantur, imagines considerant, apparatus templi lustrant, inscriptiones aliave profane legunt, scientias meditantur, libros etiam pios præ manibus habent ab discendum et non ad orandum, vel aliter exterius aut interius voluntarie distrahuntur. Distractiones autem censentur involuntariæ quando quis non advertit se de iis objectis cogitare, vel esse tempus Missæ. Nec pariter satisfaceret qui tempore Missæ prolixe sacramentaliter confiteretur, aut confessiones audiret, quia etsi actum religionis exerceret, ad Missam non attenderet, nec eam audire censeretur; secus, si breviter et quasi per transennam confessionem absolveret, aut si Horas canonicas recitaret, quia attentio ad Missam requisita non necessario impediretur, quamvis pii clerici id tempore Missæ facere non soleant, nisi adsit causa excusans.

Sectio tertia. — De Missa parochiali.

1° Constat ex variis testimoniis primorum sanctorum Patrum, ut S. Ignatii martyris, S. Justini, Tertulliani, etc., fideles consuevisse diebus dominicis in eumdem locum convenire, ubi episcopus præerat, sacrum faciebat, divinam Eucharistiam administrabat, conciones habebat, etc. Concilium Eliberitanum, anno 305 habitum, can. 21, statuit : «Si quis in civitate positus, tres domi» nicas ad ecclesiam non accesserit, pauco tempore

» abstineat, ut correptus esse videatur. » Concil. Sardicense, anno 347 celebratum, idem renovavit ac præscripsit, canon. 14 et 15, et hæc dispositio fuit admissa tum apud Latinos, tum apud Græcos. Nam in concilio Trullano, anni 692, habetur, can. 80 : «Si quis... in ci-» vitate agens tribus diebus dominicis in tribus septima-» nis una non conveniat, si sit quidem clericus, depona-» tur; si vero sit laicus, segregetur. »

2° Ex his canonibus universaliter receptis, pleraque Ritualia nostra, statuta synodalia, concilia provincialia tradunt ut præceptum assistentiam Missæ parochiali. Hinc in Rituali Cenomanensi, sicut in aliis multis, denuntiatur pœna excommunicationis ferendæ sententiæ in eos qui, absque legitima causa, per tres consequentes dies dominicas a Missa parochiali abessent.

3° Religiosi Mendicantes prædicare cœperunt in decimo quinto sæculo, primo in Germania, deinde in aliis regionibus, fideles præcepto audiendi Missam satisfacere Missis regularium assistendo, et ad Missam parochialem non teneri : magna inde exorta est dissensio inter regulares, præsertim Mendicantes ex una parte, et parochos ac episcopos ex altera parte. Sixtus IV, ex ordine Fratrum Minorum assumptus, per Constitutionem anni 1478, prohibuit ne Fratres Mendicantes prædicarent «parochianos » non teneri audire Missam in eorum parochiis diebus » festivis et dominicis, cum jure cautum sit, *inquit*, illis » diebus parochianos teneri audire Missam in eorum pa-» rochiali ecclesia. »

4° Concil. Trid., sess. 24, cap. 4 de Reform., sic se habet : «Moneat episcopus populum diligenter teneri unum-» quemque parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri » potest, ad audiendum verbum Dei. » Quamvis concilium de auditione Missæ non loquatur, S. Carolus Borromæus in concil. Mediol. VI, multa concilia provincialia et statuta synodalia ac Ritualia illius decretum de Missa sicut de concione intellexerunt; ideoque in Brevibus quæ Romæ conceduntur pro Missis in privato oratorio celebrandis, exigitur 1° ut unica celebretur Missa; 2° ut excipiantur

dies Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Domini, et alii solemniores; 3° ut in præsentia tantum oratorium privatum habentis, natorum, familiæ et hospitum suorum nobilium celebrari possit; 4° ut id fiat sine quorumcumque jurium parochialium præjudicio.

5° At Bened. XIV, de Synodo diœces. l. 11, cap. 14, n. 7 et seq., notat 1° jure communi et antiquissimo, concilio Sardicensi anteriori, cautum esse ut singuli fideles diebus festis Missæ parochiali adsint, idque pluribus conciliorum et summorum Pontificum decretis sancitum fuisse; 2° his sanctionibus derogatum esse contraria consuetudine et posterioribus summorum Pontificum Constitutionibus, nempe Leonis X, anno 1517, S. Pii V, anno 1567, et Clementis VIII, anno 1592; 3° nunc licere Missam diebus dominicis et festivis audire, non solum in ecclesiis regularium, pro quibus data sunt summorum Pontificum privilegia, sed in qualibet alia ecclesia, modo non sit capella seu oratorium privatum, « quia contraria » consuetudine in toto orbe christiano acceptata deroga» tum est præcepto audiendi Missam parochialem : » deinde multos citat theologos pro ea sententia stantes; 4° episcopum pœnis adigere non posse subditos ad Missam parochialem neque ad concionem in parochia auscultandam, sed tantum exhortari debere; et ideo constitutiones episcopi Midensis ac de re latas et præceptivas, ex Sacræ Congreg. Conc. Trid. sententia reformatas fuisse.

Hinc sequitur 1° generalem nunc non existere legem ecclesiasticam fideles ad audiendam Missam parochialem stricte obligantem; 2° eos tamen hortandos esse ad frequentandam propriam ecclesiam, tum ad assistendum Missæ parochiali, quæ pro cunctis parochianis celebrari debet, ac proinde valde convenit ut omnes, quantum fieri potest, ei adsint, tum ad concionem ibi auscultandam, et alia fidei, morum et disciplinæ rudimenta suscipienda; 3° eos qui, ob aliquam causam, licet non gravem, in alia ecclesia, sive viciniori, sive commodiori, absque proprii parochi contemptu, communiter intersunt, non ideo habendos esse ut reos peccati mortalis; et si aliqua sit ratio,

nullum esse peccatum, præsertim si assistant in altera parochia, ubi eadem videant et audiant quæ videre et audire possent in propria parochia.

Cæterum quilibet episcopus omnem anxietatem tollere potest, declarando se nolle suos diœcesanos ad Missam parochialem sub gravi obligari, ut a multo tempore jam declararunt Cenomanenses episcopi et sic in statutis nostris synodi anni 1851 habetur : *Volumus cum illo* (Bened. XIV) *ut piis adhortationibus tantummodo inducantur fideles ad audiendam Missam, quantum fieri poterit, in sua parochiali ecclesia*, etc.

Sectio quarta. — De causis ab audienda Missa excusantibus.

Ab obligatione audiendi Missam diebus dominicis et festivis excusat :

1° Dispensatio legitime concessa, quia de natura est legis positivæ ut vinculum ejus per legitimam dispensationem tolli possit.

2° Impotentia physica, quia repugnat aliquem teneri ad impossibile. Hinc excusantur incarcerati, lecto decumbentes, navigantes in mari, inter infideles vel hæreticos ubi Missa non celebratur degentes, etc. Qui autem prævidens se non habiturum Missam, ad hæreticos vel infideles iret absque sufficienti causa, transgressor præcepti de audienda Missa reputaretur : secus, si legitimam haberet huc eundi ibique manendi causam, v. g., ad procurandum bonum publicum, ad exercendam mercaturam sustentationi suæ familiæ necessariam, etc.

3° Impotentia moralis, id est notabilis difficultas, quia apud omnes receptum est legem Ecclesiæ non obligare cum tanto incommodo. Hinc excusantur 1° infirmi, etsi non decumbentes, qui timent non leve incommodum, vel notabilem moram ad convalescendum, aut capitis gravamen, aut virium lassitudinem : in dubio an infirmitas sit sufficiens, standum est judicio medici, aut superioris, aut parochi, aut alterius gravis personæ; et etiam, ait S. Ligorius, l. 3, n. 325, suo judicio acquiescere potest

infirmus, si ita prudenter judicet. Si autem, petito consilio, dubium adhuc perseveret, multi volunt præceptum obligare, quia in dubio pars tutior est eligenda : alii vero multi dicunt illud non obligare, quia tunc adest periculum gravis damni et judicandum est matrem Ecclesiam in tali casu non obligare; quod S. Ligorius æstimat valde probabile; 2° excommunicati et interdicti, quia Missæ assistere non possunt licite, quin prius fuerint absoluti : at si absolutionem facile obtinere possint, et omittant eam petere, ab auditione Missæ coram Deo non excusantur juxta *Bonacina, Collet,* Continuat. *Tournely,* t. IV; nam inquit S. Ligorius, n. 325, « quisquis tenetur cum » levi incommodo tollere impedimenta ut gravi præcepto » satisfaciat. » 3° Multi et communius dicunt eum qui habet privilegium oratorii privati, et alibi Missam audire nequit, sacerdotem propriis expensis conducere non teneri ut Missam audiat, quia privilegium est favor et non onus, et talis conductio est notabile incommodum. Verum si Missa facile haberi possit gratis aut fere gratis, probabilius est dari obligationem eam audiendi, quia, licet nemo teneatur uti privilegio, tenetur tamen satisfacere præcepto dum potest sine notabili incommodo.

4° Quodcumque rationabile motivum quo quis bona fide judicat se ad Missam tali die audiendam non teneri. Ita *Suarez*, *Layman*, *Bonacina*, *Busenbaum*, S. Ligorius, etc. Ubi enim viri prudentes sic communiter judicant se recte excusari, durius esset eos de peccato mortali accusare. Hinc sufficienter excusantur 1° custodientes domos vel greges : si tamen plures sint custodes, et unica celebretur Missa, alternatim eam debent audire; et si duæ dicantur, alterutri assistere debent successive. Vir exigere non potest ut uxor domi semper remaneat, quia est domina et non ancilla : debet ergo et ipse domum vice sua custodire; quod præstare potest ut ancilla Missam audiat. 2° Matres et nutrices quæ neminem habent cui relinquant parvulos, nec eos ducere possunt ad ecclesiam sine notabili assistentium perturbatione. 3° Famuli et *a fortiori* uxores et filiifamilias, si ministerium suum

omittere non possint sine notabili detrimento domini, aut si contra jussum ejus, licet injustum, ire non possint absque gravi incommodo, puta, si indignationem ejus incurrerent, si famulatum amitterent, nec alium de facili invenirent. 4° Milites qui, in miserrimis temporibus nostris, divinis officiis assistere non possunt quin commilitonum irrisiones, exprobrationes, aliaque ludibria adversum se provocent, ab audienda Missa excusantur.

5° Si notabilis sit difficultas eundi ad ecclesiam ob distantiam, maxime si via sit difficilis, cœlum pluvium : et habenda est etiam ratio personarum, loci, temporis et consuetudinis; spatium enim unius milliarii (*un tiers de lieue*) potest esse nimis molestum respectu nobilis puellæ, et pro nihilo reputatur a forti rusticana; iter unius leucæ non est grave pro plerisque, dum tempus est serenum et via sicca; est vero incommodum, si gradiendum sit in nocte, in nive, in aqua, in cœno, sub pluvia aut frigore, etc. Hæc igitur pensanda et ex æquo et bono judicanda sunt; sæpe rationes non absolute sufficiunt, et tamen personas ex bona fide agentes, si non a toto, saltem a tanto, id est, a mortali peccato excusant. Viator, si aliunde commodam amitteret occasionem itineris, v. g., socios, cum viam ignoret, aut si pericula timeat, si graviores subire deberet expensas. Occasio lucri extraordinarii et transitorii, ut multi affirmant apud S. Ligorium, n. 332, et quidem merito; alioquin dicendum foret legem Ecclesiæ cum magno obligare posse incommodo, et plures ex præcedentibus decisionibus rejiciendæ essent. Eo principio innixi, plurimos excusamus operarios qui certo anni tempore eunt Parisios, Belgium, vel in alias regiones, et acceptant laborem apud dominos qui permittere nolunt eos Missam audire, si aliunde lucrum inde proveniens ipsis vel familiæ sit necessarium aut saltem maximi momenti, et faciant quod in se est moraliter ut Missam audiant et diebus festivis non laborent. Non vero permittimus, ob lucrum faciendum, eligere conditionem in qua Missa fere nunquam audiri posset, etsi hoc lucrum ad sustentationem familiæ gravis esset momenti; quia aliud est Missam

quandoque vel per aliquod temporis spatium omittere, et aliud eam fere nunquam audire et cuncta Christiani exercitia omittere.

6° Charitas; quia in concursu duarum legum quarum una est naturalis et altera ecclesiastica, lex naturalis præferenda est : porro auditio Missæ est de præcepto ecclesiastico, et officium charitatis de lege naturali : ergo, etc. Unde 1° qui curam habent infirmi, ab audienda Missa excusantur, si eum deserere non possint sine periculo majoris infirmitatis, nimiæ anxietatis, aut alterius notabilis incommodi : in dubio an ratio sit sufficiens ut omittatur Missa, non deserendus est infirmus, ut fatetur ipse *Collet;* 2° qui auxilium proximo grave damnum patienti ferre potest, v. g., in incendio, in hostium vastatione, in messis deperditione, etc. 3° Qui rixas, jurgia, duella, lites, turpia, etc., impedire potest, sufficientem habet rationem ut a Missa hac die abstineat. Item puella quæ certo novit quod egrediendo tali die, futura sit alicui in particulari causa ruinæ spiritualis, seu occasio gravis peccati, ab audienda Missa sufficienter excusatur, cum ex charitate agat; sed communius docetur illam ad hujusmodi abstinentiam non teneri saltem sub gravi, aut plus quam semel aut iterum, quia utitur jure suo, et si alter passurus sit damnum spirituale, hoc sibi soli imputare debebit.

7° Consuetudo, quæ vim habet, ut omnes fatentur, legem introducendi, abrogandi, mutandi et interpretandi : ubi ergo mos invaluit ut in tali vel tali circumstantia omitteretur Missa etiam a personis timoratis, indicium est Ecclesiam tunc obligare nolle, quia grave subeundum esset incommodum. Sic 1° damnari non possunt puerperæ quæ, in nonnullis regionibus, etsi convaluerint, ecclesiam adire non solent, nisi uno mense vel sex septimanis post partum; 2° mulieres conjugatæ primis diebus post mortem sponsi; 3° honestæ puellæ quæ, ex seductione, factæ sunt gravidæ, ut famam suam conservent. Cæterum hæ omnes non excusarentur, si ob alia negotia domo exirent. 4° Excusari potest puella quæ cum

magno rubore proclamationes proprii matrimonii audire teneretur, si aliam Missam audire non possit; 5° item mulieres quæ non habent vestes juxta statum suum decentes, vel famulum aut sociam, sine quibus magno rubore suffunderentur; at si Missam valde mane audire possint, ab ea audienda non excusantur, quia tunc grave non timetur incommodum.

Quæritur 1° an qui ab audienda Missa legitime excusantur, alium religionis actum in compensationem elicere teneantur.

R. Certum est eos ad nullum teneri vi præcepti ecclesiastici quo Missæ assistentia præcipitur, et nihil ultra. At, ut notat *Billuart*, cum, ex præcepto naturali, aliquando divinis vacare debeamus, aliquam hujusmodi compensationem Deo præstare debent; non tamen die dominica potius quam altera die, quia præceptum naturale non determinat tempus. Qui ergo preces matutinas et serotinas recitat, Missam intra hebdomadam audit loco dominicæ, huic naturali præcepto plene satisfacit.

Quæritur 2° an homo in statu peccati mortalis Missæ assistens. præcepto satisfaciat.

R. 1°. Qui cum actuali ad peccatum mortale affectu audit Missam, peccat, quia saltem aliquam facit injuriam Deo, sacrosanctum Missæ sacrificium cum celebrante ei offerens, dum in peccatis persevare intendit; non tamen arcendi sunt sic affecti ab audienda Missa, sed hortandi ut affectum deponant et eam recte audiant. Hoc autem peccatum, juxta *Billuart*, Henricum a S. Ignatio citantem, culpam venialem non excedit.

R. 2°. Qui Missam sic audit, modo eam audire intendat, et actum religionis exerceat, licet peccet in modo eam audiendi, satisfacere videtur præcepto, quia lex præcipit substantiam actus, non autem modum, nisi modus sit de intrinseca ratione actus, qualis est, v. g., attentio mentis in auditione Missæ aut recitatione Horarum, sine qua actus non esset religiosus. Ita cum multis aliis *Sanchez*, Sylvius, t. II, *Billuart*, etc., qui dicunt hanc sententiam esse communiorem. Unde qui Missæ vel officio

pro defunctis cum affectu ad peccatum assistunt, stipendia restituere non tenentur, modo aliunde debitam habuerint attentionem. Vide quæ diximus de recitatione divini Officii cum actuali proposito peccandi, § 3, ad calcem.

§ II. — De aliis pietatis operibus diebus dominicis et festivis agendis.

Plures theologi et auctores ascetici, præsertim in Gallia, docuerunt absolute totam diem dominicam et festivam sanctificandam esse ex præcepto divino et ecclesiastico, et eos qui ab operibus servilibus abstinent Missamque audiunt, et reliquum tempus in otio, in vanis colloquiis, in ludis et comessationibus terunt, a gravi peccato excusari non posse.

Cæteri vero theologi, post S. Th., finem præcepti ab ipso præcepto sedulo distinguentes, dicunt :

1° Convenientem dierum dominicarum et festivarum sanctificationem postulare quidem ut fideles, præter cessationem ab operibus servilibus et auditionem Missæ, alia pietatis opera exerceant, v. g., actus fidei, spei, charitatis, contritionis eliciant, sacram concionem audiant, officiis vespertinis assistant, Scripturam sacram aut alios pietatis libros legant, ignaros erudiant, necessitatem patientibus auxilium præbeant, etc.; multo magis expedire ut a negotiis sæcularibus, lusibus, spectaculis, choreis, venationibus, compotationibus abstineant, et ad hoc referendas esse multas auctoritates a P. Alexandro aliisque auctoribus citatas.

2° Vi præcepti divini aut ecclesiastici fideles non teneri prædictis diebus interiores actus fidei, spei, charitatis aut contritionis elicere, quia nullibi legimus tales actus his diebus esse præceptos; nec sacram concionem audire, propter eamdem rationem : tenentur quidem episcopi et parochi verbum Dei per se vel per alios singulis diebus dominicis et solemnioribus festis populo annuntiare, ut alibi ostendimus; sed communiter docetur fideles,

aliunde sufficienter eruditos, aut alia via erudiendos, concionibus et catechismis assistere non teneri : quod autem dicit concilium Trid. : « Moneatque episcopus po- » pulum diligenter unumquemque teneri parochiæ suæ » interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum » verbum Dei, » strictum non denotat præceptum, alioquin non diceret, *ubi commode id fieri potest ;* et insuper eo sensu prædicta accipiuntur verba.

3° Optimum esse fideles Vesperis adesse diebus dominicis et festis, nisi legitime impediantur, maxime in Gallia, in Belgio et in aliis regionibus, ubi sic fert populi christiani consuetudo.

4° *Sequitur, ex dictis,* eos qui diebus dominicis et festis ab operibus servilibus abstinent et Missam debito modo audiunt, cunctis aliis religionis operibus neglectis, licet reprehensibiles, præcepto de sanctificandis præfatis diebus satisfacere quoad substantiam, ita ut mortaliter non peccent. Absolvi ergo et ad communionem paschalem admitti possunt, si nihil aliud obstet, quamvis fortiter hortandi sint ad ea præstanda vel fugienda quæ optimi Christiani præstare aut fugere solent, et ad quæ sancta mater Ecclesia tam sollicite et constanter incitat.

Hinc patet quanti momenti sit distinctio a S. Thoma inducta inter rem præceptam et finem præcepti, sub præcepto non contentum : quam distinctionem plurimi non satis attendentes, in vagam abeunt doctrinam, vel rigidiores emittunt sententias.

CAPUT QUARTUM.

DE QUARTO DECALOGI PRÆCEPTO.

Hoc præceptum continetur in Exod. xx, 12, his verbis: *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

Etsi patris et matris nomine ii præcipue intelligantur ex quibus generati sumus, « in hoc tamen præcepto, in» quit S. Th. 2 2, p. 122, art. 5, ad 2, intelligitur man» dari quidquid pertinet ad reddendum debitum cuicum» que personæ, sicut secundarium includitur in princi» pali. » In præsenti ergo capite dicemus de mutuis officiis 1° parentum et liberorum, 2° principum et populorum, 3° virorum et uxorum, 4° dominorum et famulorum, 5° magistrorum et discipulorum. De officiis pastorum et fidelium sufficienter diximus agendo de sacra hierarchia et alibi variis in locis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MUTUIS PARENTUM ET LIBERORUM OFFICIIS.

Investigandum occurrit 1° quid parentes debeant liberis, et 2° quid liberi debeant parentibus.

§ I. — De obligationibus parentum erga liberos.

Nomine parentum intelliguntur omnes ascendentes in utraque linea, tum in consanguinitate, tum in affinitate, sicut per liberos intelligendi sunt omnes descendentes.

Certum est parentes id omne præstare teneri liberis, quæ unusquisque proximo suo debet, quia neminem habere possunt propinquiorem quam proprios filios, et vox naturæ clamat hominem qui prolis suæ curam non haberet, feris ipsis deteriorem fore. Duplicis autem generis distinguitur cura parentum erga filios, una corporalis, et altera spiritualis.

De officiis parentum erga filios ad curam corporalem respicientibus.

1° Debent parentes, quantum moraliter possunt, omne corporale detrimentum a liberis suis sedulo avertere, alioquin feris deteriores se ostenderent. Caveant ergo ne

fiant luci, claudi, gibbosi vel aliter deformes, ne cadant in ignem vel aquam, ne devorentur a bestiis etiam domesticis, ne sibi nimio ploratu, vel aliquo instrumento noceant, ne in eodem lecto dormientes suffocentur. Unde manifeste contra hoc præceptum peccant mulieres gravidæ quæ, gravia gerentes onera, immoderato labori vacantes, currentes, saltantes, intemperanter bibentes aut comedentes, periculo abortus sese exponunt; item patres qui uxores percutientes aliisve modis vexantes, abortire faciunt, etc.

2° Tenentur filiis etiam illegitimis conferre alimenta, vestitum, habitationem et quidquid ad honestam sustentationem, juxta proprium statum, necessarium est; imo et post mortem, convenientes exsequias ac preces consuetas pro ipsis faciendas curare. *Ita omnes.* Hinc graviter peccant 1° qui prolem suam, sive legitimam, sive illegitimam, in xenodochio exponunt, nisi vel magna necessitas, vel conservatio honoris id exigat; et in ultimo casu, datur obligatio impensas a xenodochio faciendas compensandi juxta ea quæ in Tractatu *de Restitutione* dicimus; 2° qui diligentiam saltem mediocrem non adhibent ut acquirant bona ex quibus liberos convenienter sustentent, et futuro statui eorum provideant : *Non enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis,* II Cor. XII, 14; 3° qui artem statui congruentem aliudve genus decenter vivendi liberos non docent, nec docendos curant; 4° *a fortiori* qui pigritia, negligentia, potationibus, comessationibus, lusibus, imprudentibus negotiis rem familiarem dissipant, et familiam ad statum fortunæ conditione sua inferiorem deducunt; 5° qui, absque legitima causa, convenientem negant dotem filiæ pro ineundo matrimonio, vel pro ingressu in religionem, vel exhæredant aut exhæredare sibi proponunt filium, quia statum clericalem aut religiosum vult amplecti. Dicimus *absque legitima causa;* quia, ex art. Cod. 204, liberi nunquam habent actionem in patrem et matrem ut obtineant dotem, et fieri potest ut, ex jure naturali, parentes sufficientem habeant rationem denegandi dotem, v. g., puellæ quæ sine eorum consensu

indigno vult nubere. Ut probabilius tamen docent *Sanchez*, Salmanticenses, S. Ligorius et alii, patrem (et, defectu patris, matrem) teneri jure naturali filiæ ipso invito nuptæ etiam indigno alimenta præstare si egeat; item et filio qui, spreto ejus consensu, nuptias contraxit, et uxori ejus, et filiis.

Nunc parentes filios penitus exhæredare non possunt ob quamcumque rationem, quia lex aliquam portionem descendentibus et ascendentibus absolute reservat : de illa igitur in filii detrimentum disponere non possunt, nisi per fraudem in foro interno, sicut et in externo, reprobandam. *Cod. civ., art.* 913 *et suiv.*

3° Mater prolem suam, sive legitimam, sive illegitimam, proprio lacte tenetur alere, nisi justam habeat excusationem, v. g., infirmitatem, debilitatem, nobilitatis splendorem, aut consuetudinem legitime introductam; ad hoc enim natura evidenter impellit, ut in Philosophia morali ostendimus. Hæc tamen obligatio non est sub gravi, juxta *Busenbaum* et S. Ligorium, modo proles bonæ committatur nutrici.

4° Si filius debita ad recte vivendum contraxerit, pater ea solvere debet, cum illum enutrire teneatur; cætera vero debita, alio titulo contracta, non debet, nisi ex benevolentia et quodam honore, quia ipsi imputari non possunt. Nec alimenta, vestitum aliaque ad honestam sustentationem necessaria debet filio qui per industriam sibi providere potest, vel qui tantæ est ingratitudinis aut animi tam flagitiosi, ut a patre abjici mereatur. Ita *Collet*, Continuat. *Tournely*, t. VI. Alii vero hunc casum excipere non videntur, ubi de alimentis et aliis ad sustentationem omnino necessariis agitur.

5° Perfecta inter omnes liberos servanda est æqualitas, et cavenda unius præ cæteris dilectio, ut pote fons et occasio jurgiorum, rixarum et multorum malorum : *Israel diligebat Joseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum, fecitque ei tunicam polymitam. Videntes autem fratres ejus quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderunt eum, nec poterant ei quidquam pacifice*

loqui, Gen. XXXVII, 3 : hoc exemplum præ oculis semper habeant parentes. Unde, quamvis leges permittant ut in distributione bonorum sortem unius sorte alterius meliorem faciant, expedit ut facultate a lege sibi concessa non utantur sine gravi ratione. Convenienter remunerent filium aut filiam quæ præ cæteris laboravit, rem familiarem auxit aut servavit, ipsis constanter adhæsit eosque pia sedulitate curavit : in hoc sane nihil vituperandum. Sed, hoc aliove casu simili excepto, accuratam respectu omnium servent proportionem, eamdem dilectionem ac benevolentiam.

Pluries a nobis quæsitum est an filius ad militiam sorte designatus et a patre redemptus teneatur, in divisione paternæ hæreditatis, onus suæ redemptionis solus ferre. Respondemus eum non teneri, 1° si redemptus fuerit in patris vel familiæ utilitatem, vel contra propriam voluntatem, cum mallet tempus militiæ in persona explere quam impensas redemptionis solus sufferre; 2° si pater expresse declaret se intendere ut filius sic redemptus onus suæ redemptionis ferre non teneatur, et aliunde hæc donatio non excedat partem de qua pater disponere potest titulo gratuito; 3° si fratres et sorores æquivalentes, sub aliis respectibus, fecerint impensas a communitate solutas, vel libere consentiant ut redemptus æqualiter paternam dividat cum ipsis hæreditatem, quod ordinarie contingit. His casibus aliisve similibus exceptis, filius redemptus pretium suæ redemptionis hæreditati referre teneretur, juxta dispositionem art. 843 Codicis civilis. Vide etiam art. 851 et 852 et in eos card. *Gousset.*

6° Quamvis fratres eadem non teneantur obligatione erga fratres et sorores, qua tenentur parentes erga liberos, quia eadem non est dependentia, debent tamen, lege charitatis et pietatis, eis in necessitate extrema aut gravi succurrere, alimenta, vestitum, habitationem aliaque ad sustentationem necessaria præstare, etiam fratribus ex eodem patre sed ex diversa matre, vel ex eadem matre licet ex diverso patre ortis. Ita *Busenbaum*, S. Ligorius et alii plures.

De officiis parentum erga liberos ad curam spiritualem spectantibus.

1° Curare debent ut liberi pie christianeque instituantur, juxta hæc B. Pauli verba, I Tim. v, 8 : *Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior;* et, Eph. vi, 4 : *Et vos patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini.* Ideo enim matrimonium ad dignitatem sacramenti evectum est, ut nata proles in Christo renascatur et ad vitam æternam præparetur : porro nisi tenella puerorum voluntas in bonum flectatur, ad malum proruet, et vitio semel assueta, ad virtutem inclinari vix deinceps poterit, ut ait Sapiens, Prov. xxii, 6 : *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Debent ergo 1° curare ut quamprimum gratia baptismatis regenerentur; 2° eos vix loquentes præcipua christianæ doctrinæ capita docere, et corda eorum ad Deum omnium creatorem ac gubernatorem inclinare; 3° eos adhuc teneros matutinis ac serotinis orationibus, Ecclesiæ officiis, catechismis et concionibus assuefacere; 4° eosdem a fallacibus mundi illecebris, pompis et voluptatibus avertere; 5° eis præficere magistros doctrina et multo magis gravitate morum conspicuos : semper habeant in mente hæc Proverbiorum verba, xiii, 24 : *Qui parcit virgæ, odit filium suum : qui autem diligit illum, instanter erudit;* 6° die noctuque invigilare ne quicumque verbis obscenis vel impiis, lectionibus minus castis aut religiosis, aut exemplis perversis filiis suis noceant.

2° Educationem conditioni suæ convenientem cunctis liberis suis dare debent, statum vitæ eis procurare, plenam eis relinquendo libertatem circa electionem. Unde procul dubio mortaliter peccant eos ad matrimonium vel ad religionem cogendo, aut, absque legitima causa ab alterutro avertendo, consensum obstinate denegando, etc.

§ II. — De obligationibus liberorum erga parentes.

Verba, *Honora patrem tuum et matrem tuam*, tria important, juxta omnes, scilicet amorem, reverentiam et obedientiam, ut expresse docet Cathechismus concilii Trid. et ipsa recta ratio dictat; triplicem enim respectum habent parentes ad filios, ratione causæ, præeminentiæ et regiminis : filii ergo debent eos amare ut suæ existentiæ causam, revereri ut superiores, eisque tanquam rectoribus obedire, et insuper necessitatem patientibus subvenire.

1° Eos amare; si enim cunctos homines tanquam proximos amare ex præcepto divino, naturali et positivo teneamur, *a fortiori* amare debemus eos qui nos tanto amore prosequuntur, cum tantis doloribus ediderunt, tantis curis aluerunt. Etsi defectus habeant, quovis modo erga nos egerint, eis tamen debemus vitam et conservationem : ergo etiam in hoc casu eos sincero amore prosequi tenemur.

Hinc graviter peccant liberi 1° si parentibus signa odii exhibeant; 2° si nullos amoris sensus eis manifestent, aut raro et imperfecte id faciant; 3° si dure eos tractent; 4° si eos graviter contristent, ad iram provocent, sive ex causa gravi, sive ex causa levi, modo gravem molestiam inde proventuram prævideant, etc. Hæc enim omnia Scripturæ sacræ sunt adversa; Prov. XIX, 26 : *Qui affligit patrem et fugat matrem ignominiosus est et infelix.* Eccli. III, 18 : *Est maledictus a Deo qui exasperat matrem.*

2° Eos venerari et honorare, ut clare exprimitur citatis verbis, *Honora patrem tuum*, etc. et his aliis, Eccli. III, 8 : *Qui timet Dominum honorat parentes, et quasi dominis serviet his qui se genuerunt.* Hinc contra reverentiam parentibus debitam mortaliter peccat filius, 1° si eos etiam leviter, sed injuriose percutiat; et, in nostra diœcesi, qui patrem aut matrem aliumve ex ascendentibus, aut socerum aut socrum injuriose percutit, incurrit ipso facto excommunicationem episcopo reservatam; 2° si manum

ad percutiendum deliberate attollat; 3° si verbis contumeliosis vel talibus quibus sciat eos esse offendendos afficiat; 4° si maledicta aut convicia in eos conjiciat, in illorum præsentia; nam si in eorum absentia hæc faceret, peccaret quidem, quia talia dicta reverentiæ parentibus debitæ repugnant, ideoque specialem habent malitiam; sed hæc malitia ad peccatum mortale non pertingit, nisi conjuncta sit cum magno contemptu, aut cum perversa intentione, v. g., ut parentes resciant et contristentur. *A fortiori*, si talia de parentibus mortuis dicant, non semper mortaliter peccant. Ita S. Ligorius, l. 3, n. 334, contra *Sporer* et alios dicentes filium maledicentem parentibus, sive præsentibus, sive absentibus, sive vivis, sive mortuis, semper mortaliter peccare; 5° si eos subsannet, irrideat, torvis oculis aspiciat; 6° si eos pauperes, despectos, male vestitos despiciat, erubescat, agnoscere nolit, ut incognitos et extraneos habeat : si tamen, ex justa causa, dissimulet tantum se eos cognoscere, nolit eos apud se habere, modo interius non contemnat, et de necessariis eis provideat, *Bonacina*, cum pluribus aliis, eum a peccato mortali excusat; 7° si eos in foro externo etiam de vero crimine accuset; omnes tamen excipiunt crimen hæreseos, proditionis aut conjurationis in principem, et dicunt filium in eo casu ne proprio quidem patri parcere posse, si malum aliter caveri nequeat, quia bonum publicum bono privato prævalere debet.

3° Eis obedire tenentur : constat tum ex Scriptura, Eph. VI, 1 : *Filii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est;* Col. III, 20 : *Filii, obedite parentibus per omnia : hoc enim placitum est in Domino;* tum ex SS. Patribus; tum ex doctoribus, qui in hoc sunt unanimes; tum ex ratione, quæ dictat eis obediendum esse qui habent jus imperandi : porro parentes habent jus imperandi in his quæ ad regimen et informationem familiæ spectant; in iisdem ergo filii obedire tenentur.

Hinc mortaliter peccant 1° qui in re gravi ad curam domesticam vel mores aut animæ salutem pertinente obedire nolunt; 2° qui, contra patris prohibitionem, improborum

societatem, popinas, aleæ lusus, choreas et similia frequentant vel exercent; 3° qui, neglecto eorum mandato, operam dare nolunt litteris aut artibus statui suo congruentibus, sicque tempus frustra absumunt, et expensas pro ipsis factas inutiles reddunt; 4° qui, eis inconsultis, nubunt aut indignas seu inconvenientes nuptias facere volunt, et convenientes a parentibus oblatas sine justa causa recusant; 5° item filia quæ contra parentum voluntatem domo egreditur, noctu cum viris loquitur, saltationes frequentat, familiaritates cum juvene servat, aliisve periculis se exponit, etc.

Non tamen parentibus obedire tenentur filii 1° in iis quæ sunt contra Dei vel Ecclesiæ præcepta aut contra Evangelii consilia, quia *obedire oportet Deo magis quam hominibus*; 2° in electione status, si eorum voluntas divinæ vocationi sit opposita; 3° in iis quæ ad bonum regimen familiæ non pertinent, v. g., si parentes exigerent ut filius talem duceret uxorem a qua abhorret, ut filia tali nuberet quem diligere non potest, etc. Hinc 1° qui, omnibus perpensis, merito judicant se divinitus vocatos esse ad vitam religiosam vel ad statum clericalem, consensum parentum humiliter petere et patienter exspectare debent : si vero illum obtinere non possint, adepta sua majoritate, eligere poterunt statum ad quem destinantur; 2° qui reverenter petierunt consensum parentum ad ineundum congruens matrimonium, et injuste fuerunt repulsi, ad reverentiales summationes lege permissas licite poterunt recurrere : raro tamen sapiens confessarius hujusmodi viam approbat, et multo minus consulit, propter mala inde frequentius secutura; 3° filii et filiæ etiam minores, qui ab irreligiosis parentibus ad malum inducuntur, a fide et virtutibus christianis avertuntur, domum paternam licite fugere possunt, si quædam inveniant media fidem et etiam innocentiam in tuto collocandi.

Cæterum mala agendi ratio parentum eorumque vitia aut crimina non liberant filios ab obligatione eos amandi, venerandi et obedientiam in iis quæ imperare possunt eis præstandi.

4° Parentibus necessitatem tum spiritualem tum corporalem patientibus liberi succurrere tenentur, juxta hæc Eccli. VII, 29, verba : *Honora patrem tuum, et gemitus matris tuæ ne obliviscaris. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses, et retribue illis quomodo et illi tibi.* Unde in Codice civili, art. 205, legitur : « Les enfants doivent » des aliments à leurs père et mère et autres ascendants » qui sont dans le besoin, etc. »

Hinc in ordine spirituali graviter peccant liberi qui, advertentes suos parentes in multis Deum offendere, sacramenta negligere, nullam salutis æternæ curam habere, eos modeste, amice ac reverenter non admonent, non curant ut in periculo mortis constituti sacramenta Ecclesiæ tempore opportuno recipiant, de veritatibus æternis eis non loquuntur, nec permittunt ut alii hoc munus christianum impleant, eos a condendo pio et rationabili testamento avertunt, vel ultimas eorum voluntates postponunt, aut negligunt, aut ex parte tantum implent, etc.

Similiter in ordine corporali mortaliter etiam peccant, 1° si parentibus graviter egenis alimenta et vestitum denegent, cogentes eos ad mendicandum aut ad exercendum artem statui suo indecoram; 2° si eos ægrotantes, infirmos, afflictos, aut senio confectos non visitent, eis non compatiantur, opem non ferant; si eosdem captivos, in carcere detentos, injuste vexatos liberare, tueri, defendere pro posse suo non quærant; 3° si pro eis defunctis non curent fieri exsequias secundum illorum conditionem et facultates. Hæc ad filios illegitimos sicut legitimos spectant, quia vere sunt filii, et quod dicitur de patre et matre, de aliis ascendentibus intelligi debet.

Colliges, ex dictis, 1° quemcumque actum charitati, justitiæ aut aliæ virtuti omnibus communi oppositum, duplicem habere malitiam si erga parentes exerceatur, quia præter virtutem cui directe adversatur, lædit pietatem; 2° fratribus, sororibus, nepotibus aliisve consanguineis et affinibus constitutis, non tantum in ex-

trema aut gravi necessitate, in qua cunctis hominibus auxilium præbendum esset ex charitate, sed etiam in necessitate ordinaria succurrendum esse, idque habita ratione indigentiæ et facultatum et ex judicio viri prudentis; 3° iisdem obligationibus teneri, proportione servata, tutores erga pupillos et pupillos erga tutores, quibus tenentur parentes erga liberos et liberi erga parentes.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE OBLIGATIONIBUS PRINCIPUM ET SUBDITORUM.

De obligationibus principum.

Principes tenentur bonum exemplum subditis suis præbere, scandala compescere, eos ab hoste et ab injustis vexationibus defendere.

1° *Bonum exemplum eis præbere :* experientia namque constat subditos tendere ad imitandum Regis exemplum in iis præsertim quæ cupiditatibus favent, unde prodiit axioma ubique notum : *Regis ad exemplar totus componitur orbis.* Meminerint principes se mortales esse sicut minimum ex subditis, supremo regum et populorum Judici rationem esse reddituros ; et quid proderit eis si mundum universum lucrati fuerint, animæ vero suæ detrimentum fecerint ?

2° *Scandala compescere.* Princeps ideò præcipuæ gubernationi societatis præficitur ut illius bonum temporale quidem procuret, sicut Ecclesia fuit instituta ad bonum spirituale et æternum : attamen, quoniam mores depravati publicæ felicitati valde nocent, eos sapiens princeps bene informandos, emendandos et corrigendos sollicite curabit, ac consequenter scandala prævenire, auferre aut compescere quantum poterit studebit.

3° *Eos ab hoste*, etc. Bonus enim princeps debet esse pater vigilans et sollicitudinibus plenus respectu totius populi sibi commissi : ipsius est ergo invigilare ut

uniuscujusque jura serventur integra, ut nullus injuste vexetur, sive ab hoste externo, sive a fratribus iniquis, etc.

4° Sciant etiam christiani principes auctoritatem a Deo sibi collatam fuisse *non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium. Animadvertant sedulo, pro illorum imperio et quiete geri quidquid pro Ecclesiæ salute laboratur.* Sunt verba Encyclicæ Greg. XVI, diei 15 aug. 1832, sub fine.

De obligationibus subditorum erga Principem.

Subditi debent principi honorem, obsequium, fidelitatem et subsidium.

1° *Honorem. Deum timete,* inquit B. Petrus, I Epist. II, 17, *regem honorificate.* Illud enim ordo postulat, siquidem honor viam parat ad utile exercitium auctoritatis, et ad obedientiam subditos movet. Hanc reverentiam Scriptura sacra et fides catholica imperant, et etiam apud omnes gentes, etiam minus excultas, reperitur. *A fortiori* ergo honorandus est supremus princeps qui ubique habetur ut in summa dignitate constitutus : ergo.

2° *Obsequium;* princeps enim habet jus imperandi, alioquin populum gubernare non posset : sed jus imperandi supponit obligationem parendi, seu obsequium præstandi. Unde B. Petrus, loco citato : *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi, quasi præcellenti, sive ducibus ejus, tanquam ab eo missis... quia sic est voluntas Dei;* sicque in primis Ecclesiæ sæculis Christiani semper fuerunt subditi, in iis quæ non erant contra legem Dei, imperatoribus, et regibus usurpatoribus ac persecutoribus, sicut bonis et legitimis. Ergo.

3° *Fidelitatem.* Si princeps enim vi suæ dignitatis subditos omni via possibili tueri, defendere et felices reddere teneatur, naturalis æquitas exigit ut subditi, ex parte sua, fideles se exhibeant erga principem et officia sibi imposita constanter impleant. Ergo.

4° *Subsidium.* Hoc autem probamus in Tractatu *de Restitutione,* ostendendo solvenda esse tributa.

Legantur etiam quæ exposuimus in Philosophia morali, ad calcem.

Quæritur an subditi in quibusdam casibus dispensari possint a juramento fidelitatis.

R. affirmative. Id sequitur ex iis quæ jam diximus agendo de juramenti dispensatione, p. 280. Etenim, 1° si princeps essentiales omittat conditiones sub quibus supremam obtinuit potestatem, v. g. : si necessario debeat esse catholicus, et fiat hæreticus, amittit potestatem imperandi, et eo ipso vis juramenti cessat : superior ecclesiasticus, a juramento in eo casu dispensans, declarat illud coram Deo jam non obligare. 2° Si inter principem et subditos existat pactum utrinque juramento firmatum, et princeps evidenter fiat perjurus, subditi juramento non amplius ligantur, quia frangenti fidem fides non debetur. Unde S. Th. 2 2, q. 12, art. 2, loquens de principe qui per apostasiam a fide jus dominii amittit, ait : « Et ideo quam cito aliquis per sententiam denuntiatur » excommunicatus propter apostasiam a fide, ipso facto » ejus subditi sunt absoluti a dominio ejus et juramento » fidelitatis quo ei tenebantur. » In eo sensu intelligendæ sunt pleræque summorum Pontificum sententiæ quibus subditos absolverunt a juramento fidelitatis erga principes perjuros et tyrannos, qui nulla prudentiæ via ad æquiorem agendi rationem reduci potuerant : declarabant ipsis fundamentales regni constitutiones transgredientibus nullum jam deberi obsequium, obligationem juramenti esse sublatam, thronum vacare, etc. Tales autem sententiæ, spectatis etiam regnorum catholicorum in eo tempore constitutionibus, quemlibet principem hæreticum aut schismaticum a throno excludentibus, nihil per se exhibent absurdi, injusti aut falsi.

Vide quæ de his diximus in Tractatu *de vera Ecclesia.*

ARTICULUS TERTIUS.

DE OBLIGATIONIBUS VIRORUM ET UXORUM.

Officia conjugum sunt reciproca, et ideo de illis simul tractandum est. De debito conjugali, cohabitatione et separatione alibi diximus. Restat igitur ut alia præcipua conjugum officia breviter exponamus.

1° Conjuges ad mutuum, sanctum et specialem erga se invicem tenentur amorem. Sic enim expresse habet B. Paulus, Eph. v, 25 : *Viri, diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea.* Si viri teneantur diligere uxores, certe uxores tenentur diligere viros, ut ait idem Apostolus, Tit. II, 4 : *Viros suos ament;* et comparatio adducta indicat manifeste amorem purum, sanctum et specialem.

Hinc graviter peccant si rixas, odium, jurgia, inter se excitent aut foveant; si conviciis aut maledictionibus sese afficiant; si vir uxorem et multo magis si uxor virum percutiat; si zelotypiæ cedant, etc.

2° Societatem conjugalem ducere tenentur et secum habitare; Christus enim dicit, Matth. XIX, 5 : *Dimittet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Electio autem domicilii pertinet ad virum, qui est *caput mulieris,* I Cor. XI, 3. Uxor tamen non semper tenetur eum sequi, ut diximus in Tractatu *de Matrimonio.*

3° Conjuges sibi mutuo debent alimenta et ea quæ ad honestam conditionis suæ sustentationem pertinent : *Jam* enim *non sunt duò, sed una caro,* Matth. XIX, 6 ; *Nemo* autem *carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam,* Eph. v, 29. Hinc mortaliter peccat maritus qui necessaria negat uxori, cum ea ipse habeat, vel convenientem non adhibet diligentiam ut ea, quantum oportet, acquirat et conservet. Excipitur si mulier promiserit dotem et solvere noluerit, vel si, absque ratione sufficienti, juxta ea quæ diximus in Tractatu *de Matrimonio,* a viro disces-

serit, vel si dotem inscio marito consumpserit. Similiter et uxor graviter peccaret si, cum posset, necessaria marito egenti, in carcere detento, ad triremes damnato, non ministraret.

ARTICULUS QUARTUS.

DE OBLIGATIONIBUS DOMINORUM ET FAMULORUM.

De dominis.

Domini debent famulos suos amare, instruere, corripere, benigne tractare, et justum pretium eis solvere.

1° *Amare.* Nam : *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua ; quasi fratrem sic eum tracta*, Eccli. XXXIII, 31. Unde B. Paulus commendat Onesimum Philemoni, rogans ut eum excipiat *jam* non *ut servum, sed pro servo charissimum fratrem.* Eumdem quippe habent dominum, patrem et judicem in cœlis : *Et vos, domini,* inquit B. Paulus ad Eph. VI, 9, *eadem facite illis, remittentes minas, scientes quia et illorum et vester dominus est in cœlis, et personarum acceptio non est apud Deum.*

2° *Instruere. Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior,* I Tim. V, 8. Porro qui non est sollicitus ut famuli rudimentis christianæ fidei, mandatis Dei et Ecclesiæ, principiis morum et omnibus ad salutem necessariis imbuantur, qui tempus conveniens ad hæc discenda concedere nolunt, eos ad catechismum, ad concionem non mittunt, curam eorum non habent : facile ergo in tali omissione graviter delinquere possunt.

3° *Corripere.* Domini namque sunt patresfamilias; in servos, sicut in filios, servata quadam proportione, invigilare debent, ut domus bene sit ordinata : inobedientes ergo et delinquentes corripere tenentur, « seu verbo, seu » verbere, seu quolibet alio pœnæ genere justo atque » licito, quantum societas humana concedit, » ait S. Aug. de Civitate Dei, l. 19, cap. 16. Contra hanc obligationem

graviter peccant qui conducunt vel in domo retinent servos irreligiosos, impios, blasphemantes, moribus depravatos, perversitatis exempla præbentes, eos non monent, ad meliorem vitam non exhortantur, aut emendationem promittere nolentes, vel promittentes et non facientes non dimittunt, nisi forte eorum opera maxime indigeant, et alios invenire non possint.

4° *Benigne tractare;* id est, honesto et amicabili vocis tono eos alloqui, bona et sufficientia alimenta eis præstare, nimiis operibus eos non gravare, infirmos convenienter curare, denique eos velut fratres semper habere, et duram eorum conditionem mansuetudine pro posse suo lenire debent.

5° *Justum pretium eis solvere. Dignus enim est operarius cibo suo,* Matth. x, 10; *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane,* Levit. xix, 13. Unde, juxta gravitatem materiæ, peccant qui stipendium promissum non solvunt, aut nimis differunt; qui, pactione non facta, quod justum est solvere nolunt; qui famulos ægrotos non curant, statim expellunt, etc. Stipendium tamen solvere non tenentur pro tempore infirmitatis vel absentiæ notabilis, nec majores expensas ratione infirmitatis factas, v. g., pro medicis, chirurgis, pharmacopolis, etc.

De famulis.

Famuli debent dominis suis reverentiam, obedientiam, obsequium et fidelitatem.

1° *Reverentiam;* id est, eos revereri seu honorare debent ratione dignitatis, et tanquam suos superiores, juxta hæc B. Pauli verba, I Tim. vi, 1: *Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* Contra hanc obligationem peccant qui occultos eorum defectus manifestant, eos irrident, aspernantur, sinunt ut in ipsorum præsentia de illis detrahatur, etc.

2° *Obedientiam. Servi, obedite dominis carnalibus in timore et tremore, cum simplicitate cordis vestri, sicut*

Christo, Ephes. VI, 5; *Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis*, I Petr. II, 18. Hinc plus minusve peccant qui, cum aliquid ipsis præcipitur, obmurmurant, insolenter respondent, simulant se fecisse, in mendacia erumpunt, etc.

3° *Obsequium*. Debent enim ad omnia se attentos, paratos et sollicitos præbere, non *ad oculos servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum*, Coloss. III, 22. Etenim qui se locat pro stipendio manere non potest iners, sed res ac negotia domini tanquam propria gerere debet, et oculos habere in manus domini, ut quidquid est officii sui semper accurate faciat.

4° *Fidelitatem*, secundum hæc B. Pauli verba, dicentis ad Tit. II, n. 9: *Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes*. Peccant igitur sæpe graviter et contra justitiam, qui rerum sibi creditarum curam non habent; qui eas culpa sua deteriores fieri sinunt; qui, convento salario non contenti, aliquid titulo compensationis clam subripiunt; qui manducant aut bibunt quæ sibi non destinantur; qui de bonis dominorum eleemosynas faciunt, sine eorum consensu saltem rationabiliter præsumpto; qui dormiendo, otiando, negligenter laborando tempus male absumunt, etc.

ARTICULUS QUINTUS.

DE OBLIGATIONIBUS MAGISTRORUM ET DISCIPULORUM.

De magistris.

Qui grande munus alios docendi suscipiunt, debent alumnis suis semina christianarum virtutum, doctrinam sanam, ad scopum intentum utilem, captui eorum proportionatam, et modo convenienti expositam præbere.

1° *Semina christianarum virtutum*. Non agitur enim apud nos de informandis philosophis qui quasdam vir-

tutes humanas sola ratione vaga innixas ostendere debeant, sed de faciendis bonis Christianis, qui, cuncta respectivæ conditionis suæ officia accurate explentes, ad æternam salutem jugiter tendant et eam consequantur. Experientia constat profanam scientiam sæpius per se inflare, fatuos et superbos creare, ad salutem nihil conferre, homines veris virtutibus præditos non facere, religioni ipsique societati potius nocere quam prodesse. Sedulo igitur curare debent omnium scholarum magistri et magistræ ut religionis et virtutum principia lucide explanent, in alumnis inculcent et corda eorum informent. Cum autem præcipua persuadendi via sit præcepta exemplis fulcire, necesse est ut ipsi ab omnibus vitiis sint alieni, in virtutibus quas docere tenentur eminentes, et precibus cœlestem benedictionem in conatus suos invocare non cessent.

2° *Doctrinam sanam*, id est, Scripturæ sacræ, traditioni, conciliorum oraculis et ecclesiæ documentis consentaneam : novas docendi methodos quærere, adoptare, aut perficere possunt; sed in religionis ac virtutum doctrina ab omni novitate caute abstineant.

3° *Ad scopum intentum utilem*. Omnis quidem scientia recte ordinata bona est, cum nihil aliud sit quam veritatis cognitio; sed quoniam ingenia humana omnis veritatis non sunt capacia, valde interest ut unusquisque in iis maxime erudiatur quæ præsenti aut futuræ ipsius conditioni optanda sunt. Alia quippe est eruditio vel scientia competens agricolæ, alia negotiatori, alia militari, alia legisperito, alia clerico, etc. Hæc jugiter advertere debent magistri.

4° *Captui eorum proportionatam et convenienti modo expositam*. Si enim proponatur candidatis scientia nimis ardua, intellectui eorum improportionata, animi ipsorum obruentur, studium fastidient, exhorrescent, nihil percipient neque discent. Unde doctiores non semper meliores sunt magistri, sed qui clarius loquuntur et diligentius student se audientium captui accommodare.

Sæpe magistri incapaces, vel officium suum negligen-

tes, contra justitiam peccant, et ad restitutionem tenentur, ut in Tractatu *de Restitutione* ostendimus.

De discipulis.

Præcipua discipulorum et studentium officia sunt virtutem sectari, scholas frequentare, magistros revereri, eos cum animo docili audire, et diligenter studio incumbere.

1° *Virtutem sectari. Bonum est* enim *viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua,* Thr. III, 27; *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea,* Proverb. XXII, 6. Tota moralis existentia in hac vita et salus æterna generaliter pendent a primis adolescentiæ annis. Si hoc adverterent et bene intelligerent juvenes, quanto zelo vitia fugerent et virtutes excolerent!

2° *Scholas frequentare;* non nisi enim arduo labore et longa assiduitate scientiæ et artes ediscuntur. Unde juvenes negligenter studentes, scholas facile omittentes, valde sibi nocent: prima scientiæ principia ignorantes vel imperfecte scientes, alias partes difficilius acquirunt, frequenter nunquam ediscunt, et dum eminere potuissent si debito modo laborassent, infimum et quandoque ignominiosum locum semper tenent.

3° *Magistros revereri;* cuilibet namque superiori aliqua ab inferioribus debetur reverentia conditioni proportionata: porro magistri superiorem tenent locum respectu discipulorum; parentes suam auctoritatem eis delegant, liberos suos sollicitudini eorum committendo: ergo discipuli magistros sicut parentes revereri et honorare debent. Peccant igitur, et sæpe graviter, eis detrahendo, irridendo, subsannando, eos maledictis, calumniis, molestiis afficiendo, etc.

4° *Eos cum animo docili audire.* Indocilitas enim præsumptionem et nimiam proprio sensui adhæsionem redolet; vanas disputationes, murmura, scandala inducit, quod veræ ac utili scientiæ prorsus est oppositum; juvenem reddit arrogantem, et sæpe in damnabiles errores projicit.

5° *Diligenter studio incumbere.* Patet ex dictis n. 2; negligentia enim in studendo multa invehit peccata contra Deum, contra parentes, contra Ecclesiam et contra societatem. Sola temporis jactura, cum ad certam excrevit quantitatem, quæ facile definiri non potest, constituit peccatum mortale; et insuper culpæ e tali negligentia deinceps secuturæ, quæ in causa prævideri potuerunt, imputabuntur donec causa sufficienter fuerit retractata et negligentia reparata; aut, si reparari non possit, donec officium capacitati non proportionatum fuerit dimissum.

Plura hac de re jam diximus in Philosophia morali.

CAPUT QUINTUM.

DE QUINTO DECALOGI PRÆCEPTO.

Illud præceptum continetur in Exod. xx, 13, his verbis : *Non occides.* Quidquid noxium est proximo in corpore, per hoc negativum præceptum prohibetur; omnia enim mala corporalia, ut pote ad destructionem vitæ tendentia, exprimuntur per occisionem quæ est summum vitæ corporalis malum, et vulgo appellatur homicidium, a verbis *homo* et *cædere,* quasi diceretur hominis cæsio.

Homicidium est *omnis violenta hominis occisio, ab alio homine facta, quocumque modo.* Potest esse justum vel injustum, voluntarium in se, voluntarium in causa, vel omnino casuale : potest esse sui ipsius vel alterius occisio. *His notatis,* dicemus 1° de sui ipsius occisione, seu de suicidio; 2° de occisione malefactoris; 3° de occisione aggressoris; 4° de occisione innocentis; 5° de duello; 6° de bello; et 7° de homicidio mere casuali.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SUI IPSIUS OCCISIONE, SEU DE SUICIDIO.

Ad sui occisionem pertinet sui ipsius mutilatio. De utraque dicendum est.

De sui ipsius occisione.

Probavimus in Philosophia morali voluntariam sui ipsius occisionem lege naturali esse prohibitam. Pauca hic addemus.

Duplici modo aliquis se ipsum occidere potest, directe scilicet, se ipsum, v. g., strangulando, gladio perfodiendo, in aquam projiciendo, etc.; et indirecte, faciendo actionem ex qua, præter intentionem, propria mors secutura est.

1° Nunquam licet se ipsum directe occidere, idque constat 1° ex fide : S. Aug. enim, Hæres. 69, inter hæreticos recenset Circumcelliones qui insana feritate se ipsos occidebant, et alios utriusque sexus ad se occidendum inducebant; sic etiam, ut manifestum est omnibus, semper sensit et docuit Ecclesia; 2° ex verbis, *Non occides,* quæ, cum generalia sint, tam propriam quam aliorum occisionem prohibent; 3° ex unanimi doctorum consensu; 4° ex rationibus in Philosophia expositis, quas hic iterum referre longius esset. Ergo. Hinc ad vitandum crudele supplicium aut infame suspendium, se ipsum occidere aut venenum haurire non licet, nec sui occisionem ab aliis faciendam mandare, ut fecit Saul, I Paral. x, 4. Contra vero se ipsum occidere liceret ex jussu vel inspiratione Dei, qui *vitæ et mortis habet potestatem,* Sap. XVI, 13. Sic excusantur Samson, Eleazarus, Razias et plures qui honorantur ut martyres, licet mortem sibi intulerint, quia præsumuntur ita egisse ex divina inspiratione vel ex errore invincibili.

Supremæ auctoritati societatem aut populum regenti Deus talem potestatem concedere sine dubio potuisset, ut, ipsa jubente vel permittente, aliquis, v. g., reus ad mortem damnatus, se ipsum occidere directe valeret. Sed nihil probat hanc potestatem concessam fuisse; e contra, universalis sententia hanc denegat, et revera, bono publico nec necessarium nec utile erat quod tanta violentia naturæ reluctanti inferretur.

Licet se ipsum indirecte occidere, id est ponere causam ex qua mors propria, præter intentionem, secutura est, modo adsit ratio sufficiens et bonus intendatur effectus : nam, ex principio S. Thomæ a nobis sæpe invocato, licet, ob rationem sufficientem, ponere causam in se bonam duos habituram effectus, bonum intendendo et malum duntaxat permittendo. Ergo. Causa autem eo major esse debet quo gravius est periculum mortis.

Hinc 1° card. *de Lugo*, Lessius, *Busenbaum*, S. Ligorius, et alii communiter docent militem posse et debere in statione persistere, etsi moraliter certus sit se occidendum esse; pulverem bellicum incendere ad evertendam turrim hostilem, sciens se obruendum; navem mergere vel incendere, ne hostes illam cum magno reipublicæ detrimento capiant; quemcumque posse telo vel ictui se objicere ad servandam vitam principis, vices amici ad mortem injuste damnati subire, in naufragio tabulam alteri cedere, non tamen se projiciendo in mare, quia directe se occideret; peste infectis servire, ad fugiendum incendium se ex alto præcipitem dare, etc.

2° Virgini vel honestæ matronæ licet permittere se ab invasore occidi, potius quam violari; reo non fugere vel etiam judici plectendum se sistere, quamvis directe se perimere non possit, etiamsi id judices præciperent : communiter tamen docetur reum posse scalam ascendere, collum instrumento mortis præbere, quia illæ actiones non influunt directe in mortem; sed miles per catapultas occidendus explosionem jubere non potest. Similiter plures apud S. Ligorium, l. 3, n. 369, merito docent mortaliter peccare qui venenum hauriunt vel a vipera se morderi

patiuntur, ad experiendum antidotum, nisi judicio peritorum vel experientia constet se probabile mortis periculum non incurrere; idem dicendum esse volunt de ambulantibus et saltantibus in fune ex altis suspenso, si probabili mortis periculo sese exponant.

3° Excusantur artifices qui super ædificiorum tecta ascendunt et variis periculis ob finem artis suæ exponuntur; fabri ferrarii qui, fere in medio ignis laborando, vitam sibi evidenter minuunt, et multi alii qui, ex similibus causis, idem faciunt. Contra vero nulla ratione excusari possunt audaces qui, ex temeraria sponsione et vana gloria, in varia discrimina se conjiciunt, in altum ascendendo, in aquam immergendo, onera ferendo, etc.

4° Pariter excusantur et laudabiliter agunt qui, ex amore pœnitentiæ, ex desiderio Deo placendi, abstinentia, jejunio, vigiliis aliisque macerationibus discretis carnem affligunt. At qui, advertens vitam iis mediis notabiliter minui, nihilominus continuaret, graviter peccaret, juxta *Layman*, *Busenbaum*, S. Ligorium, etc., quamvis multi ob bonam fidem et zelum placendi Deo ac perfectius virtutem colendi per pœnitentiæ mortificationisque opera, excusentur.

Cæterum qui ex prudentibus consiliis religionem approbatam professi sunt, illius constitutiones et regulas tuto sequuntur et etiam sequi tenentur, quamvis prævideant vitam inde abbreviandam esse, vel dispensationem a summo Pontifice obtinere debent; quia bonum ordinis id postulat, et sic agentes abbreviationem vitæ permittunt, non vero eam directe procurant. Unde omnes moraliter admittunt Carthusianum carnibus vesci non teneri ut vitam conservet, et multi dicunt eum, etiam graviter ægrotantem, illis uti non posse absque dispensatione, quia talis rigor judicatur necessarius ad vigorem instituti conservandum.

5° Excusantur qui vitam servare non possunt, nisi extraordinaria et pretiosa adhibeant remedia fortunam suam superantia, vel longa et dispendiosa faciant itinera, aut patriam deserant ut salubriorem inveniant aerem,

vel operationem subeant nimis acerbam aut pudori valde oppositam, quia in his casibus, remedium adhibendum judicatur moraliter impossibile, vel nimis onerosum ut quis illud adhibere teneatur. Hinc nemo obligatur pati amputationem cruris aut brachii, aut ventris incisionem ad extrahendum calculum, nisi bonum commune illius conservationem exigat. Ita Sylvius, *Collet*, S. Ligorius, etc. Idem videtur dicendum de pudica virgine quæ curari non posset nisi oculis et manibus chirurgi se objiciendo : id faciendo certe non peccaret, sed ad id non tenetur, nisi bonum commune id exigat, aut superiores jubeant.

De sui ipsius mutilatione.

Se ipsum, extra casum necessitatis, mutilare non licet, idque constat 1° ex diversis juris canonici partibus, in quibus irregularitas pro sui mutilatione, v. g. pro amputatione partis cujuslibet digiti, statuitur; 2° ex ratione; homo enim non habet dominium in vitam suam, ergo nec in membra quorum integritas constituit vitam completam. Unde, in can. 22 Apostol., qui virilia sibi amputavit, vocatur *sui homicida.*

Verba autem Christi, *Si oculus tuus scandalizat te, erue illum*, etc., sensu metaphorico intelligenda sunt, et significant occasiones peccati etiam oculis chariores et manu aut pede utiliores resecandas esse.

Hinc sola bona fide vel aliquo Spiritus sancti impulsu excusari possunt qui variis de causis se ipsos mutilaverunt, ut 1° Origenes, qui hæc Christi verba, Matt. XIX, 12, *Sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum*, ad litteram sumens, se ipsum eviravit; 2° Ammonius, qui, referente Sozomeno, l. 6, cap. 30, auriculam sibi abscidit, ne episcopus fieret; 3° illæ moniales Clarissæ quæ, ne contaminarentur, faciem enormiter sibi deturparunt, etc.

Diximus *extra casum necessitatis*, quia, ex omnium consensu, pars corporis ad totum servandum corpus abscindenda est; ei quippe subordinatur, et aliunde, pereunte

corpore, ipsa periret. Hinc licet amputare aut amputandum præbere membrum putridum, propriam abscindere manum aliquo vinculo detentam ad fugiendum incendium, etc. Plures docent, apud *Collet*, licitum esse se ipsum ex jussu tyranni mutilare ad vitandam mortem, quia, etiamsi tyrannus graviter peccet, se ipsum in eo casu mutilans, membrum prudenter donat ut totum conservet.

Petitur an liceat castrare pueros ad servandam in eis vocem dulcem.

R. Certum est eos sic mutilare invitos gravissimum esse peccatum injustitiæ. At plurimi, apud S. Ligorium, l. 3, n. 374, volunt hoc licitum esse, modo absit morale periculum vitæ, et pueri ac parentes eorum non sint inviti. Rationes eorum sunt : 1° quia tales ennuchi bono communi sunt utiles, ad laudes Dei suavius canendas; 2° quia conditio eorum in melius notabiliter mutatur, cum per totam vitam convenientem obtineant sustentationem ; 3° quia talis usus fuit frequens et ab Ecclesia toleratus.

Alii tamen probabilius et communissime negant, dicentes quod se ipsum physice castrare non liceat pro bono animæ ad vitandam scilicet incontinentiam, *a fortiori* id fieri non possit ob bonum temporale cujusvis momenti.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE OCCISIONE MALEFACTORIS.

Waldenses olim negarunt licitum esse malefactores occidere, et quidam hodierni *philanthropi* contra pœnam mortis in vindictam criminum apud omnes gentes usitatam frequenter inclamant, contendentes alios esse modos sufficientes crimina societati noxia impediendi. Contra sint propositiones sequentes :

PROPOSITIO PRIMA.

Malefactores societati noxios occidere licet.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Exod. XXII, 18 : *Maleficos nan patieris vivere. Qui coierit cum jumento morte moriatur.* Rom. XIII, 4 : *Si malum feceris, time ; non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Pœna autem gladii est mors : ergo. 2° *Universali potestatis sæcularis praxi et Ecclesiæ consensu.* Semper enim et ubique pœna mortis a potestate sæculari pro gravibus criminibus fuit inflicta et Ecclesia principes sic agentes nunquam redarguit, sed, contra, eos pluries laudavit tanquam justitiæ ministros. 3° *Ratione.* Omnis pars ordinatur ad totum : at quælibet persona particularis est, respectu societatis, sicut pars relative ad totum, ut membrum ad corpus : ergo si communitati expediat ut abscindatur, qui curam habet communitatis eam abscindere seu interficere potest. Ergo.

Si ergo Deus dicat in Deut. XXXII, 39 : *Ego occidam et ego vivere faciam;* si de illo prædicetur, Sap. XVI, 13, quod vitæ et mortis habeat potestatem, intelligendum est eo sensu quod solus talem per se habeat potestatem, principes vero tanquam ipsius ministri et ex delegatione facta tum in lege positiva, *Maleficos non patieris vivere,* etc., tum in lege naturali, dictante partem amputandam esse ne totum pereat.

Notandum itaque hominem occidere non esse malum in se absolute, ut blasphemare, pejerare, fornicari, mentiri, etc., sed tantum si id fiat absque legitima auctoritate.

PROPOSITIO SECUNDA.

Sola auctoritate publica malefactores licet occidere ; non vero auctoritate privata.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Deut. XXXII, 35 : *Mea est ultio et ego retribuam;* Rom. XII, 19 : *Mihi vindicta, et ego*

retribuam. Mors est principua vindictæ pœna : ergo solus Deus, per se vel per ministros suos, eam infligere potest. 2° *Ratione*. Malefactoris exterminatio ob solum communitatis bonum fit licita : ergo ad eum solum pertinet qui curam habet communitatis. 3° *Ex consectariis perversis oppositi principii*. Si enim quilibet privatus malefactores et sui inimicos licite occidere posset, omnia replerentur cædibus. Ergo.

Nomine publicæ auctoritatis ii soli intelligendi sunt qui præsunt societati politicæ completæ, ut rex in regno, primi magistratus in republica, judices ab iis legitime constituti; hi enim habent jus, ex dictis, infligendi pœnas delinquentem corrigentes, vel reum societati nocivum exterminandi, sed regulas legibus statutas stricte obligantur servare, in investigando crimen ejusque circumstantias, in interrogando accusatum, complices et testes, in decernendo et infligendo pœnas; ab omni odio, ira, præjudicio aut præcipitatione sedulo cavere; et reis legitime convictis, atque damnatis, ante exsecutionem sententiæ, sufficiens concedere debent tempus ut confiteantur peccata et ad mortem se præparent, sicut expresse jussit concilium generale Viennense, tit. 9 de Pœnitentiis et Remissionibus. At si damnatus ministerio sacerdotis uti recuset, nihilominus licite occiditur, quia tunc ipsius perditio ei soli tribuenda est.

Qui vero aliis præsunt societatibus, quantumvis numerosis, sed non politicis completis, privatam tantum auctoritatem habere censentur, ac proinde personas sibi subjectas corrigere possunt quidem per pœnas delictis proportionatas et ad obtinendum finem sibi propositum efficaciores; non vero pœnas pure vindicativas aut exterminantes, ut mutilationem et mortem, infligere queunt. Hinc si, ex art. 324 Codicis pœnalis, maritus interficiens uxorem adulteram et complicem in flagranti delicto in domo conjugali deprehensos, declaretur excusabilis, hoc intelligendum est eo sensu quod non sit puniendus sicut homicida, non vero eo sensu quod nullo modo peccaverit. Etenim, ex articulo 326, damnandus est pœna carceris ab uno ad quin-

que annos. Et aliunde etsi leges civiles nullam decernerent pœnam, insulse concluderetur nullum esse peccatum, ut communiter advertunt theologi, loquendo de antiquis legibus permittentibus patri occidere filiam et marito uxorem in flagranti delicto inventam. Unde Alexander VII sequentem damnavit propositionem : « Non peccat maritus propria auctoritate occidens uxorem in adulterio deprehensam. »

Si autem legitima auctoritas in quibusdam rarissimis casibus unicuique permittat occidere malefactorem insignem, qui apprehendi non potest vivus, et diu vivere non potest absque gravi reipublicæ detrimento, occisor propria non agit auctoritate, sed auctoritate publica sibi sicut aliis generaliter delegata. Eum vero qui per contumaciam ad mortem fuit damnatus sic occidere non licet, qua aliud est eum damnare, et aliud permittere ut unusquisque hanc sententiam exsequatur.

Quæritur 1° an tyrannum occidere liceat.

R. Certum est occidere principem qui populum tyrannice regit et opprimit illicitum esse, quia verus est dominus; dominis autem etiam dyscolis obedire tenemur, ut docet B. Petrus, I Epist. II, 18; et aliunde nulla esset securitas pro regibus et principibus, si unusquisque eos occidere posset, quando judicaret se ab illis injuste gravatum esse. Unde concil. Const., sess. 18, hanc propositionem : « Quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcumque vassalum suum vel subditum, » declaravit, *præhabita deliberatione matura,* erroneam in fide et moribus, eamque reprobavit et damnavit *tanquam hæreticam, scandalosam, et ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria, vias dantem.*

Quæritur 2° an clericus, jurisdictionem temporalem habens, malefactores occidere vel ad mortem aut mutilationem eorum directe concurrere possit.

R. negative; quia in Decretal. l. 3, tit. 58, cap. 5 et 9, quælibet sententia sanguinis omnibus clericis præsertim iis qui in sacris Ordinibus sunt constituti, expresse prohibetur. Debet ergo constituere judices ad causas sangui-

nis discutiendas et judicandas; eos quidem monere potest ipsisque præcipere ut de tali causa diligenter inquirant, et quod justum eis videbitur faciant; sed nullo scripto, facto aut verbo judices movere potest ad mortem aut mutilationem infligendam, nec sententiæ aut exsecutioni ejus præsens esse.

Summus autem Pontifex ab hujusmodi prohibitione, quæ jure canonico tantum fuit inducta, dispensare posset et permittere ut clericus, jurisdictionem temporalem exercens, eadem polleret auctoritate ac principes sæculares.

ARTICULUS TERTIUS.

DE OCCISIONE AGGRESSORIS.

Multiplex distingui potest aggressor, scilicet vitæ, bonorum fortunæ, pudicitiæ et honoris : de iis seorsim paucis verbis dicturi sumus.

Aggressor potest esse justus vel injustus : de justo aggressore non agitur; eum quippe occidere, mutilare aut percutere non licet, quia repugnat dari justa juribus opposita. Unde juste damnatus ad pœnam contra justitiæ ministros, ut lictores, testes, judices, carnifices, se defendere non potest, eos percutiendo, mutilando, etc.

De injusto vitæ aggressore.

Plures volunt injustum aggressorem nunquam licite occidi posse, quia mala non sunt facienda ut eveniant bona; ipsos inimicos diligere debemus, ex mandato Christi, et vitam temporalem pro servanda vita æterna proximi effundere parati esse tenemur. Alii vero nunc communissime contrariam admittunt sententiam, cum quibus sit

PROPOSITIO.

Qui propriam vitam aliter defendere nequit, injustum aggressorem occidere potest.

Prob. Scriptura sacra, jure canonico, testimoniis SS. Patrum, et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Exod. XXII, 2 : *Si effringens fur domum sive effodiens fuerit inventus, et accepto vulnere, mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quod si, orto sole, hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur.* Unde sic : Qui occidit furem domum nocte effringentem, ab homicidio excusatur; non vero si hoc die faceret; quare? Certe, ut ait S. Aug. in Exod., l. 2, quæst. 84, 1ª part., quia « poterat discerni quod ad furandum, non occidendum, venisset. » Ergo 1°.

2° *Jure canonico.* In Decretal. l. 5, tit. 12. *de Homicidio voluntario*, cap. 3, referuntur textus citati Exodi et S. Aug., deinde, cap. 18, Innocentius III dicit : « Quamvis vim vi repellere omnes leges et omnia jura permittant, quia tamen id fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam, etc. » In eodem lib., tit. 39, cap. 3, Alexander III idem docet et iisdem ferme verbis, dicens etiam, « cum vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittant. » Item concilium generale Viennense, sub Clemente V celebratum, et in Clement. l. 5, tit. 4, cap. unico, relatum, loquens de iis qui, inculpabiliter occidentes vel mutilantes, irregularitatem non incurrunt, ait : « Idem de illo censemus qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem. » Ergo 2°.

3° *Testimoniis Patrum*, nempe S. Aug. jam citati, S. Ambr. de Officiis, l. 1, cap. 36, et aliorum qui citari possent. Ergo 3°.

4° *Ratione.* Alios enim sicut nosmetipsos diligere tenemur, sed non plus quam nosmetipsos : at injustum aggres-

sorem plus quam nosmetipsos diligeremus si potius occidi quam eum occidere eligeremus. Ergo 4°.

Nec obstat 1° præceptum, *Non occides*, nam, juxta sensum in omnium cordibus inscriptum, dicendum est Deum hanc exceptionem statuisse; 2° nec ordo charitatis : si enim injustus aggressor in altera vita puniendus sit, id ex sola ejus malitia procedet, non autem præcise ex morte ab aggresso ad suam propriam defensionem ipsi illata. Aliunde quanta mala societatem invaderent, si injusti aggressores persuasum haberent se occidi licite non posse!

Diximus in propositione, *qui propriam vitam aliter defendere nequit;* omnes quippe, cum S. Thoma, requirunt ut mors non inferatur, nisi *servato moderamine inculpatæ tutelæ*. Moderamen autem inculpatæ tutelæ ab omnibus requisitum plures importat conditiones, nempe :

1° *Ut aggressio sit injusta :* reus enim occidere non potest eos qui tanquam ministri justitiæ, titulares aut delegati, illum capere vel damnatum ultimo supplicio afficere tentant, quia juste illum aggrediuntur et non dantur jura juribus opposita. Nec etiam id facere posset innocens juridice damnatus, tum quia ministri justitiæ, sententiam reputantes justam, jus habent eam exsequendi, tum quia ex permissione talis defensionis gravia sequerentur incommoda. An liceat occidere aggressorem, injustum quidem, sed ebrium, furiosum, aliove modo usu rationis destitutum examinabimus infra.

2° *Ut aggressio sit actualis*, alioquin non esset propria sui defensio, sed vis alteri illata. Hinc occidere non licet detractorem, calumniatorem, mortem solis minis intentantem, occasiones occidendi quærentem, etc. Contra vero prævenire licet inimicum catapultam parantem, gladium evaginantem, quia moraliter aggreditur, et si exspectaretur donec primum dedisset ictum, defensio probabiliter jam non esset possibilis.

3° *Ut id tantum fiat quod ad tuendam vitam necessarium est.* Unde qui mortem vitare potest fugiendo, clamando, percutiendo, arma retundendo, vel excutiendo aut aggres-

sorem vulnerando, eum occidere non debet. Nec pariter licitum est occidere aggressorem fugientem, viribus debilitatum aut quovis modo ab aggressione vitæ cessantem. Vide inferius dicenda de *injusto honoris invasore.*

4° *Ut mors aggressoris non intendatur in se*, scilicet directe et tanquam finis proprie dictus, sed tantum ut medium propriæ defensioni necessarium; nullus enim propria auctoritate alterum occidere potest, sed propria intendenda est defensio, bona et licita, ex qua, præter intentionem, sequitur alterius mors, et etiam sæpe æterna ejus damnatio, quæ occidenti imputari non potest. Licet enim ponere causam ex se bonam duos habituram effectus, unum bonum et alterum malum, solum bonum intendendo et malum permittendo.

Notandum hanc præsentem doctrinam sic intelligendam esse ut quilibet invasus quemlibet injustum aggressorem licite possit occidere in legitima sui defensione; charitas enim bene ordinata incipit a semetipso, et nullus, cæteris paribus, alterius vitam propriæ vitæ anteferre tenetur. Unde clericus sicut laicus in injusta aggressione se defendere potest adversus quemcumque aggredientem, sive inferiorem, sive superiorem, sive affinem, sive consanguineum, sive culpabiliter, sive inculpabiliter invadentem, sive invasus occasionem aggressioni dederit, v. g., per calumniam, dicteria, adulterium, sive non, etc.

Ut probabile tamen docet *Billuart* invasum qui prudenter judicat se in malo statu non versari, mortem oppetere teneri potius quam se defendere cum occisione aggressoris in statu peccati mortalis constituti a quo tunc se expedire non potest, puta, quia est ebrius, furiosus, rabidus, etc.; tunc enim aggressor est in extrema necessitate, et invasus ei subvenire tenetur etiam cum detrimento propriæ vitæ.

Nollemus contendere hoc esse de præcepto, sed procul dubio bonum est et opus virtutis valde commendandum; imo quilibet privatus, quamvis injustum aggressorem occidere possit, ad id tamen non tenetur, sed meritorie

propriam daret vitam, exemplo Christi et martyrum, potius quam vitam alterius eripere et eum in æternam damnationem conjicere ; secus dicendum, si homo publicus et ad bonum commune necessarius aut valde utilis esset : in eo casu vitam suam defendere teneretur.

Petitur an injustum vitæ proximi invasorem occidere liceat.

R. affirmative, quia proximum sicut nosmetipsos diligere debemus. *Ita communissime theologi.* Excipiunt nisi aggressor sit pater, mater, filius vel conjux, quia parentes, proxime consanguineos et affines plus diligere tenemur quam extraneos.

Petunt insuper theologi an sit obligatio injustum proximi invasorem occidere, et communiter negant ; 1° quia uterque est proximus, et non est obligatio uni succurrendi cum pari alterius detrimento ; 2° quia injustus aggressor, ut pote peccati mortalis reus, æternaliter periret, ac proinde magis periclitatur ; 3° addemus, quia actus hominem occidendi graviter repugnat, et obligatio eum exercendi non facile est imponenda.

Talis tamen existeret obligatio si invasus esset pater, mater, filius, conjux aut alius titulo speciali conjunctus ; vel existens in peccato mortali a quo tunc liberari non potest, v. g., quia est ebrius, aut aliter ratione privatus ; vel ad bonum commune necessarius, ut princeps, dux exercitus, episcopus, etc. In his ultimis casibus unusquisque privatus invasum defendere deberet cum evidenti propriæ vitæ periculo, quia vita æterna proximi et bonum commune etiam temporale vita privati præstant.

De injusto bonorum fortunæ invasore.

1° Furem occidere non licet pro servandis aut recuperandis bonis parvi momenti ; vita hominis talibus bonis evidenter præstat. *Ita omnes*, et ideo Innocentius XI sequentes damnavit propositiones, anno 1679 : « Regulari-
» ter possum occidere furem pro conservatione unius
» aurei. Non solum licitum est defendere defensione occi-

» siva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoa-
» tum habemus et quæ nos possessuros speramus. » Sunt 31ª et 32ª; adhuc citari posset 33ª.

2º Similiter apud omnes constat furem licite occidi non posse etiam pro servandis aut recuperandis bonis magni momenti, si alia suppetat via ea retinendi, vel eorum restitutionem obtinendi, v. g., clamando, percutiendo, ad judices appellando, etc. Tunc enim proximus sine justa causa occideretur, *ut patet*. Imo nec in his casibus licite mutilaretur, propter eamdem rationem.

3° Quæstio est igitur an furem occidere liceat ad servanda vel recuperanda bona magni momenti quæ aliter servari aut recuperari non possunt. Valde scinduntur theologi : S. Antoninus, et multi cum illo, inter quos *Suarez*, Lessius, Sylvius, *Covarruvias*, *Viva*, *Ferraris*, S. Ligorius, etc., contendunt id licitum esse; 1° quia hujusmodi bona ad vivendum secundum proprium statum necessaria sunt : unde si injustum vitæ aggressorem occidere liceat, et talium bonorum invasorem; 2° charitas exigit quidem ut bona altioris ordinis proximi in necessitate extrema constituti bonis nostris inferioris ordinis præferamus; non vero quando proximus periculo se sponte exponit, alioquin subverteretur ordo : perversi enim homines non furarentur apud improbos, quia eos formidarent, sed bonos Christianos impune spoliarent, persuasum habentes se ab illis occidi aut mutilari non posse.

Alii vero multi recentiores, ut P. *Antoine*, *Collet*, *Billuart* qui dicit præcedentem opinionem antiquari et oppositam evasisse communiorem, theologus Romanus, *Ferraris* annotator, etc., negant quandoque licitum esse bona fortunæ cum occisione invasoris præservare : nituntur præcipue 1° textu Exodi, ubi qui occidit furem diurnum dicitur reus sanguinis; 2° testimonio S. Aug. qui, præfatum explicans textum, dicit eum qui occidit furem, orto sole, reum esse sanguinis, quia poterat discerni quod ad furandum et non occidendum veniret; 3° auctoritate juris canonici in quo refertur responsio Alexandri III,

Decretal. l. 5, tit. 12, cap. 10, statuentis monachum qui furem vestium occiderat, irregularitati et pœnitentiæ subjiciendum esse, et dicentis : « Expediebat potius post » tunicam relinquere pallium, et rerum sustinere jactu- » ram, quam pro conservandis vilibus rebus et transito- » riis tam acriter in alios exardescere ; » 4° præcedentibus propositionibus ab Innocentio XI damnatis; 5° auctoritate cleri Gallicani doctrinam contrariam fere expresse reprobantis anno 1700; 6° ratione, et præsertim quia vim vi repellere non licet, nisi *servato moderamine inculpatæ tutelæ:* at moderamen inculpatæ tutelæ non servatur nisi adsit proportio inter rem quæ defenditur et vitam invasoris; secus eum occidere liceret etiam pro uno aureo, pro uno fructu, quod est absurdum; ergo.

Attamen S. Ligorius, lib. 3, n. 383, affirmat priorem sententiam esse probabilissimam et communem.

De invasore pudicitiæ.

Certum est puellam aut mulierem vi oppressam, pudicitiæ suæ invasorem occidere vel graviter mutilare non posse, si aliter eum repellere possit, v. g., verberibus, unguibus, clamoribus, etc. *Ratio patet.*

At, supposito quod suam pudicitiam servare non possit nisi aggressorem occidendo vel graviter mutilando, plurimi nolunt id licitum esse; nam 1° hic casus nec in Scriptura, nec in Patribus, nec in conciliis, nec in summorum Pontificum decretis a prohibitione generali, *Non occides,* excipitur; 2° pudicitia, cum sit virtus, non in corpore, sed in anima residet : igitur invita voluntate amitti non potest; vita autem et præcipua membra invasoris præstant honore materialiter tantum offenso; 3° si invasor in tali casu occideretur, æternaliter periret : porro salus ejus æterna pudicitia materialiter spectata longe præstat: ergo, etc.

Alii vero multo plures et forte probabilius contrariam tenent opinionem, dicentes 1° pudicitiam etiam materialiter spectatam esse bonum præstantius bonis fortunæ;

honestam mulierem malle omnibus bonis et sæpe vita privari, quam turpiter pollui. Ergo, ut ait S. Antoninus, « si licet non solum se, sed et bona sua defendere, quare » etiam, ne pudicitiam amittat? » 2° Puella vi oppressa in maximo versatur periculo consentiendi actui libidinoso; si consentiret, graviter peccaret : ergo saluti suæ providere potest etiam mutilando et occidendo; judicabitur consensisse et manebit infamata si res fuerit nota : ergo, juxta communiorem sensum, se defendere potest usque ad oppressoris mutilationem et occisionem; imo et debet periculo propriæ vitæ sese exponere, si rationabiliter timeat se consensuram esse.

Prioris sententiæ patroni saltem fatentur bonam fidem sæpissime excusare posse puellam vel mulierem sic oppressam et invasorem occidentem.

De injusto honoris invasore.

Certum est 1° non licere, ob quamcumque injuriam vel contumeliam, aliquem occidere, v. g., quia homini honorato dicit : *Mentiris;* aliter enim injuria repelli aut reparari potest, et aliunde nullam habet proportionem cum alterius vita.

Certum est 2° aliquem licite occidi non posse ob injuriam ab eo acceptatam, ob calumniam factam, etc., quia tunc esset vindicta propria auctoritate illata, quæ semper est prohibita. Imo nec licitum est, ob eamdem rationem, reddere injuriam pro injuria, calumniam pro calumnia, alapam pro alapa, etc.

Certum est 3° detractorem, calumniatorem et injuriis afficientem occidere non licere in ipsomet actu detrahendi, calumniandi, etc.; quia malum jam est factum, et per occisionem detractoris, calumniatoris aut injurias inferentis non reparatur : mera igitur esset vindicta.

Certum est 4° non licere eum morte vel mutilatione prævenire qui parat injuriam, calumniam, falsam accusationem aut sententiam, quia 1° aggressio non est actualis; 2° via innumeris aperitur cædibus; 3° proportio

æqualitatis non servaretur ; 4° sequens propositio fuit damnata ab Alexandro VII et clero Gallicano, in comitiis anni 1700 : « Licet interficere falsum accusatorem, falsos » testes, ac etiam judicem a quo iniqua certo imminet » sententia, si alia via non potest innocens damnum evi- » tare. » Ergo.

5° At si aggressor fustem vel alapam viro valde honesto impingere conaretur, et per solam occisionem repelli posset, liceretne eum occidere an fugiendum esset? Si turpe non esset fugere, certe fugiendum esset, quia sufficiens evidenter non existeret ratio vitam alterius eripiendi ad se defendendum. Si vero turpe esset fugere, v. g., viro nobili officiali bellico, occisio esset licita, juxta *Busenbaum*, S. Ligorium et alios plures; alii autem communiter negant, et rectius, ut nobis videtur; quis enim serio dicet turpe esse Christiano etiam nobili vel officiali bellico fugere, præcise ut alium non occidat quem occidere posset? Fieri tamen potest ut in eo casu occidens bona fide a peccato excusetur.

ARTICULUS QUARTUS.

DE OCCISIONE INNOCENTIS.

Dicemus 1° de innocente in genere, et 2° de procuratione abortus.

De innocente in genere.

1° Si Deus, supremus vitæ et mortis dominus, præcipiat aliquem innocentem occidi, procul dubio ipsi obtemperandum est, ut omnes fateri coguntur. Hinc Abraham licite occidisset Isaac, parvuli urbis Jericho licite occisi sunt ab Israelitis, Jos. VI, 21, et septuaginta filii Achab a viris Samariæ, IV Reg. X.

2° Nunquam licet innocentem directe et ex intentione occidere, quia 1° prohibitio Dei in Exod. XXIII, 7 : *Insontem et justum non occides*, est generalis : 2° quia nihil os-

tendit Deum, vitæ et mortis supremum dominum mortem innocentis directe volitam permisisse. Permisit quidem malefactoris occisionem, et ratio hujus permissionis patet : sed præsumi non potest eum permisisse ut occiderentur innocentes, qui sunt principalior et dignior pars societatis. Ergo. Hinc 1° graviter vulnerati et alii cum morte luctantes occidi non possunt ne diutius patiantur, nec rabidi ne aliis noceant; 2° innocens cujus tyrannus petit caput ut conditionem non subvertendi urbem, trucidari non potest, etiamsi consentiret, quia fieret malum ut eveniret bonum; sed mitti potest etiam invitus ad tyrannum qui eum petit, et consentire tenetur pro bono publico; si non consentiat, fit reus, et princeps vel respublica jure suo utitur eum mittendo, atque manifesto pereundi objiciendo periculo : ratio est, quia actio eum tradendi non est mala in se; mors quippe ex hac traditione non sequitur necessario, sed ex mala tyranni voluntate. *Ita communiter auctores.*

3° Licet, ob gravem causam, ponere actionem in se bonam ex qua præter intentionem, sequitur mors innocentis; nam, ut sæpe diximus, licet ponere causam duos immediate habituram effectus, unum bonum et alterum malum, solum bonum intendendo, et malum permittendo, modo adsit ratio sufficiens malo effectui secuturo proportionata. Ergo. Unde 1° in bello justo licet occidere innocentes cum nocentibus, si victoria aliter obtineri non possit : 2° qui equo vel curru ascensus hostem aliter fugere non potest, nisi conculcando in via angusta claudum, dormientem, infantem baptizatum, etc., ab homicidio excusatur; 3° card. *de Lugo, Busenbaum* et alii excipiunt casum in quo conterendus esset infans non baptizatus, quia fundenda est vita temporalis pro vita ejus æterna : idem dicendum videtur de peccatore ebrio, qui pariter in extrema necessitate est; sed sæpius saltem bona fides excusabit.

De procuratione abortus.

Revocandum est in mente quod in Tractatu *de Baptismo* diximus circa tempus quo fetus cœpit animari; probabile est eum anima donari statim ac incipit esse fetus humanus, ac proinde longe ante tempus ab *Aristotele* et antiquis assignatum, videlicet quadraginta dies pro maribus et octoginta pro feminis.

Jus tamen canonicum, de animatione vel inanimatione fetuum loquens, hanc veterum sententiam supponit veritatem ejus fundamenti non requirens; et admitti debet ubi de pœnis ecclesiasticis agitur; odia enim sunt restringenda et non augenda. *His notatis,*

1° Quicumque abortum procurare tentat in se vel in altera persona, graviter peccat, sive fœtus sit animatus, sive non : in priori casu, verum est homicidium; in posteriori, est actio ad occisionem hominis tendens et contra naturam. *Ita omnes.* Unde in Codice pœnali nostro statuitur, art. 317 : « Quiconque, par aliments, breuvages, » médicaments, violence ou par tout autre moyen, aura » procuré l'avortement d'une femme enceinte, soit qu'elle » y ait consenti ou non, sera puni de la réclusion. La » même peine sera prononcée contre la femme qui se » sera procuré l'avortement elle-même... Les médecins, » chirurgiens et autres officiers de santé, ainsi que les » pharmaciens qui auront indiqué et administré ces » moyens, seront condamnés à la peine des travaux » forcés à temps dans le cas où l'avortement aurait eu » lieu. »

In nostra diœcesi, quælibet abortus voluntaria tentatio, sive fetus sit animatus, sive non, sive effectus sequatur, sive non, est casus reservatus. *Stat. diœc.* p. 116.

Hinc Innocentius XI sequentem damnavit propositionem, n. 24, anno 1679 : « Licet procurare abortum ante » animationem fetus, ne puella deprehensa gravida occi- » datur vel infametur. »

2° Plures graves theologi, ut *Sanchez, Layman* et Syl-

vius, arbitrati sunt matrem in extrema necessitate constitutam, uti posse pharmaco ad expellendum directe fetum inanimatum sibi nocivum, quia est pars viscerum, et pars pro conservatione totius resecari potest; aliunde talis fetus considerari potest ut actualis vitæ matris aggressor licet involuntarius : porro aggressorem etiam involuntarium occidere licet ad servandam propriam vitam. Alii vero longe communius negant hoc esse licitum, quia est actio ex se occisiva, nativitatem hominis impediens et essentialiter mala; rationes adversariorum oppugnant, dicentes 1° fetum ad integritatem corporis matris non pertinere, sed inchoativum esse individuum; 2° non esse actualem vitæ aggressorem, ac proinde expelli non posse; 3° omnes fatentur fetum animatum directe occidi non posse ad salvandam matrem; at semper incertum est an fetus jam conceptus nondum sit animatus : ergo.

Hinc obstetrices et medici videntes mulierem gravidam naturaliter parere non posse, fetum in utero ejus discerpere non possunt, nisi constet eum esse mortuum, et mulier tali barbaræ discerptioni consentire non potest; sed exspectandus est eventus, et muliere mortua, venter ejus erit aperiendus ut infans baptizetur et salvetur, si fieri potest.

3° Si constaret fetum non esse animatum, licitum esset, ex communi sententia, dare mulieri et ei sumere remedium ex se matris curativum, nec ad abortum tendens, quamvis sit periculum ne inde sequatur; quia tunc si sequatur, non censetur procuratus, sed tantum permissus : at si fetus sit animatus, aut dubitetur an sit animatus, non licet adhibere hujusmodi remedium cum periculo mortis fetus, quia mater æternam prolis suæ salutem propriæ vitæ temporali præferre debet. *Est sententia communis.* Verum si æquale sit periculum abortus sive remedium sumatur, sive non, illud adhibere licitum est, quia sine majori periculo fetus vitæ matris consulitur.

4° Nunc nova cœpit invadere praxis : si medici et

chirurgi prævideant fetum ad maturitatem perventum naturaliter egressurum non fore, ob malam feminæ conformationem aliamve causam, partum, ope quarumdam præparationum, anticipant; affirmatur infantem sic præmature eductum non tam periclitari quam in partu valde laborioso aut moraliter impossibili. Hoc posito, talis operatio certe non est damnanda, cum saluti infantis et matris simul provideat.

5° Sixtus V, per bullam *Effrenatam*, diei 29 oct. 1585, statuerat 1° clericos abortum quovis modo procurantes vel ad illum concurrentes fieri irregulares, et laicos ad suscipiendos Ordines inhabiles; 2° in foro ecclesiastico degradandos et curiæ sæculari tradendos ut ultimo afficerentur supplicio; 3° easdem pœnas exercendas esse contra eos qui potiones sterilitatis propinarent, et mulieres ipsas quæ eas scienter sumerent; 4° omnes in eo reatu deprehensos, ipso facto excommunicatos judicandos esse; 5° hanc censuram pontifici Romano esse reservatam, et per quamcumque indulgentiam aut per Jubilæum solvi non posse, sine speciali dispensatione.

Gregorius XIV, per Constitutionem *Sedes Apostolica*, diei 31 maii 1591, bullam prædecessoris sui in quibusdam punctis reformavit : 1° permisit ut Ordinarii locorum a dicta excommunicatione absolvere possent per se vel per alium presbyterum a se deputandum; 2° pœnas a Sixto V latas ad pœnas jure communi statutas restrinxit, videlicet ad excommunicationem, irregularitatem, si fetus sit animatus; privationem beneficii, si crimen sit juridice probatum, et ad inhabilitatem titulos ecclesiasticos acquirendi.

Episcopi dispensare non possunt in ea irregularitate, quia provenit ex homicidio, et, ex dispositione concilii Trid., sess. 24, cap. 6 de Reform., dispensare non possunt super irregularitate ex homicidio etiam occulto proveniente.

ARTICULUS QUINTUS.

DE DUELLO.

Duellum, apud Græcos monomachia, est certamen inter duos vel etiam inter plures in pari numero, ex condicto initum, et periculosum. Est sententia communis. Unde propositio et acceptatio certaminis, effectu non sequente, pugnæ exercendi corporis vel agilitatis aut fortitudinis ostendendæ causa factæ, ut olim *les tournois*, rixæ in quibus unus contra plures, vel plures contra unum, aggressio et defensio subita ex contentione aliave causa nata et improvisa, etc., ad duellum proprie dictum prout ab omnibus intelligitur, non referuntur.

Duellum suscipi potest publica vel privata auctoritate.

1° Duellum publica auctoritate susceptum aliquando licitum esse potest; semper enim laudatus fuit David eo quod singulariter pugnaverit cum Goliath : porro similes occurrere possunt causæ eis quæ illum ad dimicandum inclinaverunt; v. g., princeps, de justitia causæ suæ certus, sed copiis longe inferior, duellum proponere, acceptare, vel ab aliquo e suis acceptandum, jubere potest, ut evidentem populi ruinam in dubiam spem victoriæ mutet; item si, ex recusatione duelli oblati futurum sit ut hostes fiant audaciores, et proprii milites dejectiores.

His autem casibus vel aliis similibus exceptis, princeps mortaliter peccaret permittendo duellum, v. g., ad ostentationem, ad spectaculum, ad vindictam, ad terminandam litem, ad probandum crimen vel ad demonstrandam innocentiam : quia, in his circumstantiis, tenderetur ad malum finem, vel ad bonum per medium improportionatum et illegitimum.

2° Plures, inter quos Lessius, *Sanchez*, *Layman*, *La Croix*, etc., opinati sunt virum nobilem vel militarem acceptare posse duellum et quandoque illud offerre, si alias amisso honore in exercitu, privandus esset officio

quo se et familiam suam sustentat : quia in eo casu non solus honor defenditur, sed bona ad vitam necessaria ipsaque vita. Verum ea opinio omnino rejicienda est, et quodlibet duellum, privata auctoritate susceptum, est peccatum mortale. Constat 1° ex Scriptura sacra, nempe mandato, *non occides :* his verbis, omnis occisio, sive sui, sive alterius, privata auctoritate intenta, prohibetur; eo ipso voluntarium hujusmodi occisionis periculum interdicitur : porro qui duellum proponit vel acceptat, periculo sui vel alterius occisionis sese exponit : ergo; 2° ex concil. Trid., sess. 25, cap. 29 de Reform., ubi legitur : « Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo » introductus, ut cruenta corporum morte animarum » etiam perniciem lucretur; » 3° ex multis summorum Pontificum Constitutionibus, ut Nicolai I, Cœlestini III, Innocentii II, Eugenii III, Alexandri III, Innocentii IV, Julii II, Leonis X, Clementis VII, Pii IV et demum Bened. XIV qui, in Constitut. *Detestabilem*, 13 nov. 1752, Constitutiones prædecessorum suorum renovans ac confirmans, sequentes damnavit proportiones : « Vir mi» litaris, qui nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam » formidolosus, timidus, abjectus et ad officia militaria » inaptus haberetur, indeque officio quo se suosque sus» tentat privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ ac » promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna » vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum. — Excusari » possunt, etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipen» sionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel illud » provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse » secuturam, ut pote ab aliis impediendam. » 4° Omnia jura civilia duellum olim sub gravissimis pœnis prohibebant. Detestando prævalente usu, nulla in duellantes per longum tempus apud nos pœna directa est : nunc autem in illos sævitur, ex Curiæ Cassationis decisione diei 22 junii 1837, cui pluries curiæ appellationis sapientissime adhæserunt. Optandum tamen esset ut in eo jurisprudentia adeo clara et inconcussa, v. g., lege positiva, fieret, ut omnia tribunalia eodem modo judicarent.

5° Pluribus rationibus in Philosophia nostra morali relatis. Ergo.

Qui ergo ad duellum provocatur, semper protestari debet se nunquam esse acceptaturum, quia tali medio honorem defendendi vel reparandi religione et ratione reprobato abhorret, sed inopinate lacessitum se defensurum; et si quis reipsa eum statim aggrediatur, vim vi repellere poterit, juxta ea quæ diximus ubi *de injusto vitæ aggressore*.

3° Duellantes et ad duellum positive concurrentes, ut patrini seu testes, ad illud provocantes vel exhortantes, excommunicationem majorem, in nostra diœcesi episcopo reservatam, incurrunt, et in loco conflictus decedentes sepultura carent ecclesiastica, ex capite concilii Trid. supra citati et ex Constitutione Bened. XIV. Declarantur insuper a possessione bonorum suorum proscripti et perpetuo infames, ut homicidæ: verum illæ pœnæ forum civile respicientes, apud nos non sunt in usu. Item Bened. XIV statuit ut, etiamsi in duello vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ signa dederit, atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit, inde moriens, sepultura ecclesiastica careat, « sublatâ Episcopis » et Ordinariis locorum super hac pœna interpretandi » ac dispensandi facultate. » Nihilominus apud nos in eo asu ecclesiastice sepelitur, quia hæc pœnæ extensio non invaluit.

Denique præfatæ pœnæ non incurruntur nisi ob duellum stricte sumptum, scilicet conventis loco, tempore et armis, non vero ob conflictum improvisum, quamvis pugnantes ex eodem impetu rixæ ad idoneum locum perrexerint: nec probabiliter si unus dixerit alteri: *Tecum pugnabo prima vice qua mihi obviaveris*, quia deest assignatio loci et temporis. Ita S. Ligorius et plures apud ipsum, l. 3, n. 401.

ARTICULUS SEXTUS.

DE BELLO.

Bellum, sic dictum, ut plures volunt, quia velut bellua homines devorat, est *pugna multitudinis contra multitudinem extraneam, reipublicæ defendendæ aut vindicandæ causa;* sicque differt a rixa, quæ est pugna paucorum contra paucos, et a seditione, quæ est conflictus multitudinis contra multitudinem ejusdem politicæ societatis, et dicitur etiam bellum civile.

Bellum potest esse justum vel injustum : est justum si solius reipublicæ defendendæ aut vindicandæ causa suscipiatur et debito modo exerceatur; est vero injustum si sola nocendi cupiditate, ulciscendi crudelitate, rebellandi feritate, dominandi libidine vel alio simili fiat animo. Decret., part. 2, causa 23, q. 1, cap. 4.

Iterum bellum justum potest esse defensivum vel offensivum. Defensivum, est illud quo vis vi repellitur; et offensivum, est illud quo vis infertur ad obtinendam justitiam vel injuriæ reparationem.

Certum est bellum justum defensivum esse licitum; unusquisque enim potest, etiam privata auctoritate, adversus injustum aggressorem, se cum illius vitæ periculo, defendere : ergo *a fortiori* societas completa injustam aggressionem per vim repellere potest.

Certum est, e contra, bellum injustum, sive offensivum, sive defensivum, graviter esse illicitum, et strictam inducere obligationem cuncta damna per illud illata reparandi.

Restat igitur ut quædam dicamus 1° de bello justo offensivo in se sumpto; 2° de modo bellum faciendi; 3° de obligationibus ducum exercitus; 4° de obligationibus militum; 5° de clericis relative ad bellum.

De bello offensivo justo in se sumpto

1° Manichæi censuerunt, referente S. Aug. contra

Faustum, l. 22, cap. 74, bellum esse rem de se malam; Lutherus bella contra Christianos et præsertim papistas approbanda esse volebat, non vero bella contra Turcas, quia nihil aliud esset quam reluctari Deo iniquitates nostras per eos visitanti; sectarii Anglicani et Americani dicti *Quakers* quodcumque bellum prohibendum esse docent.

2° Supremæ auctoritates a se invicem sunt independentes, et nullum agnoscunt superiorem in ordine temporali; si ergo quoddam inter eas nascatur dissidium, quod mutuis explicationibus et reciprocis concessionibus componi non possit, soli vi armorum definiri potest; unde bellum, licet semper lugendum, quandoque fit necessarium ad obtinendum quod justum est. Idque pluribus firmatur rationibus, nempe 1° exemplo Abraham, Moysis, Josue et innumerorum aliorum; 2° S. Joannes Baptista, interrogatus a militibus quid sibi faciendum esset ad consequendam salutem, non dicit eis abstinendum esse a militia, sed, e contra, supponit in ea perseverandum esse dicens: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris;* 3° nullus Patrum imperatoribus christianis bella gerentibus obstitit tanquam si rei ex natura sua illicitæ vacassent; 4° Romani pontifices et Concilia principes pluries incitaverunt ad arma contra infideles sumenda. Ergo.

3° Ut bellum licite instituatur quatuor requiruntur conditiones: 1° suprema auctoritas; societates enim quæ agnoscunt superiorem, jus suum coram ipso prosequi possunt: non est ergo necessitas ad vim armorum recurrendi nisi in casu injustæ aggressionis, ad se defendendas, sicut facere possunt privati. 2° Justa causa; bellum enim, cum multa secum trahat damna, suscipi non potest nisi ex gravi causa, ut in jure canonico habetur et omnes fatentur, v. g., ad recuperandum jus debitum, ad protegendos subditos vel confœderatos injuste vexatos, ad vindicandam injuriam principi, legatis ejus vel ipsi reipublicæ illatam, terrorem injiciendum, et aliam præcavendam injuriam, etc. *Justa autem bella definiri solent,*

quæ ulciscuntur injurias, inquit S. August. Quæst. in Josue 10. 3° Recta intentio; scilicet, ut bonum reipublicæ promoveatur et malum ejus vitetur aut reparetur; non vero ex ambitione, vanitate, odio, personali vindicta, etc. Notandum tamen solum rectæ intentionis defectum, data aliunde sufficiente causa bellum indicendi, obligationem restituendi non producere. 4° Satisfactionis petitio et conveniens exspectatio; cum enim bellum gravia secum necessario ducat incommoda, suscipi non potest absque gravi causa et necessitate : talis autem non existit necessitas si affulgeat spes debitam satisfactionem obtinendi : ergo hujusmodi satisfactio petenda et sufficienti tempore exspectanda est, atque oblata acceptari debet. Unde jus gentium, cunctis gentibus commune, prohibet ne bellum offensivum ante quamdam saltem declarationem suscipiatur. Petitio autem satisfactionis, cum minis expressis vel subauditis, est vera declaratio belli.

4° Hinc principes, bellum injuste moventes, tenentur, coram Deo et hominibus, mala inde provenientia quantum possunt reparare, quia justitiam graviter lædunt, v. g., debent domos eversas relevare, urbes dirutas reædificare, familias spoliatas redintegrare, dominia acquisita restituere, jumenta sibi præstita remittere, expensas ab adversariis factas refundere, etc., etc. Omni ergo diligentia curare debent ut certi sint de belli justitia et necessitate, antequam illud suscipiant inferendum.

5° Attamen si, omnibus perpensis, existat dubium, et de possessione magni dominii vel juris agatur, ea possessio armis defendi potest, quia juxta axioma ubique receptum : *In dubio melior est conditio possidentis.* Eadem ratione injuria contra hanc possessionem exercita, si justa satisfactio convenienter petita denegetur, bello vindicari potest. Si tamen, etiam posita præsumptione dicto axiomate expressa, remaneat dubium quod excuti nequeat, ambæ partes, ex æquo et bona fide convenire deberent : quod si una omnem abnueret transactionem, altera jus suum armis merito propugnaret. Ita communiter

doctores, qui etiam advertunt bellum ex utraque parte fieri posse licitum, si nempe, in re dubia, utraque pars bona fide arbitretur se meliorem habere causam : in eo casu, quicumque sint belli eventus, neutra ad restitutionem tenetur, nisi postea clare videat se jus non habuisse; et tunc id tantum refundere deberet ex quo ditior facta fuisset.

De modo faciendi bellum.

1° Positis conditionibus requisitis ut bellum juste suscipiatur, licitum est 1° efficaciora adhibere media ad capiendos, vulnerandos et etiam occidendos hostes; finis enim belli obtineri non potest, nisi superentur et vincantur adversarii; superari autem et vinci non possunt, nisi per flebilia hujusmodi media : nomine hostium veniunt ii omnes qui dimicant et dimicantes positive adjuvant jubendo, exhortando, aggeres faciendo, virgulta ferendo, etc., sive viri, sive mulieres, sive laici, sive clerici aut religiosi, etc.; 2° bona reipublicæ et etiam privatorum, quatenus reipublicæ utilia esse possunt, diripere, auferre, incendere, vastare et destruere, quantum opus erit, non quidem voluntate militum, sed jussu vel approbatione ducum, quando id necessarium vel graviter utile judicant; 3° urbes et arces obsidere, tormenta omnis generis contra illas explodere, quælibet ædificia, etiam monasteria, ecclesias, incendere aut evertere, quamvis cum hostibus multi innocentes et extranei perire debeant; 4° insidias parare, stratagemata, in se non illicita nec ad illicitum inducentia, adhibere, ut hostes fallaciis decepti, in discrimina conjiciantur, et efficacius expugnentur, capiantur vel occidantur : hæc non reputantur mendacia, quia in bello usitata sunt, et culpa sua decipiuntur adversarii; 5° transfugas et proditores ex parte adversa venientes suscipere, quamvis fugiendo peccent, eos interrogare, indiciis ab eis acceptis uti, etc.; hæc enim ubique recepta sunt ut licita, et sic concedunt auctores. Sed eos ad proditionem vel desertionem excitare non liceret, quia esset sollicitatio ad rem

per se malam, quod semper est peccatum. Est contra *Puffendorf*.

2° Sed omnes simul fatentur justam servandam esse moderationem; duces etenim et milites legitimæ vindictæ sunt ministri, non vero latrones et sicarii : vitare igitur debent quidquid sapit crudelitatem et animum nocendi. Parcere igitur tenentur, quantum moraliter possunt, innocentibus, ut infantibus, pueris, mulieribus, senibus, peregrinis, rusticis, clericis, et denique iis omnibus qui ad bellum positive non concurrunt. Item hostes semel captos et nocere non valentes occidere nequeunt, nisi forte alicujus exterminatio judicetur necessaria in pœnam criminis vel in aliorum terrorem, ut docet *Collet* : nihil molestiæ facere possunt internuntiis, qui jure gentium ubique sunt inviolabiles, nec mittere spiculatores qui principem, ducem exercitus, vel alios primores regni occulte trucident; talis quippe agendi ratio semper habita est ut perfida, nisi in ipsomet prælio exerceatur. Judith vero excusatur, quia, non nisi Deo inspirante, caput Holofernis amputavit. Denique, obtenta victoria, æquum servandum est moderamen erga victos, justæ tantum exigendæ sunt conditiones; admissæ bona fide ex utraque parte tenendæ sunt.

3° Quolibet die, tempore et loco præliari licet, positis conditionibus aliunde necessariis; idque constat 1° ex Mathathiæ et aliorum Judæorum proposito adversus hostes suos die sabbatorum pugnandi; 2° exemplo principum christianorum, qui diebus dominicis et festivis se defenderunt et sæpe prælia incœperunt, nihil contradicente Ecclesia; 3° quia prælia non habentur ut opera servilia; 4° quia lex positiva dies festos sanctificandi cum tanto non obligat incommodo. Ergo.

4° Quærere solent theologi an princeps catholicus hæreticos aut infideles in adjutorium suum advocare, vel auxilium eis præbere possit, et respondent affirmative, quia 1° Machabæi fœdus inierunt cum Romanis ut in bello sibi adjutores forent; 2° societas cum hæreticis vel infidelibus non impedit quin bellum juste geratur. Si

tamen princeps catholicus prævideret gravia oritura esse mala ex commercio cum hæreticis aut infidelibus, v. g., veræ fidei derisionem, templorum eversionem, sacrorum mysteriorum profanationem, subditorum apostasiam, a tali consortio abstinere deberet, nisi similia aut majora timeret mala ab hostibus inferenda.

5° *Petitur* an liceat indicere bellum vicino principi, quia fit potentior et timendum est ne postea adversus vicinos prævaleat.

Respondetur negative; quia, nisi constet illum contra nos malum parare, actualem nobis non facit injuriam, et inique agere non licet, ne alter deinceps iniquus fiat.

De obligationibus ducum exercitus.

1° Duces aliique officiales exercitus scire debent quidquid ad sua officia pertinet, et discere, quantum possunt, quæ ignorant vel imperfecte sciunt.

2° Inviolabilem servare debent fidelitatem erga principem, patriam et milites sibi subditos: militiam deserere non possunt, maxime tempore belli, nisi ex consensu principis; perjuri essent, et a Deo sicut ab hominibus damnarentur, si ad hostes confugerent, secretas cum illis *intelligentias* haberent, consilia principis vel ducum eis aperirent, media vincendi revelarent, etc.

3° Mutua urbanitatis et charitatis officia sibi invicem præstare, disciplinam inter milites servare et bonum exemplum eis præbere debent. Pariter tenentur eos amare, spiritu fraternitatis simul et fortitudinis ducere, sedulo invigilare ut nihil eis, sive quoad animam sive quoad corpus, desit; singularia certamina, ebrietates, rixas, scortationes, vires corporis et animæ destruentes, inter eos prohibere, etc.

4° Peccant contra justitiam et ad restitutionem tenentur si, sub prætextu quod insufficiens stipendium sibi solvatur, ficta militum nomina scribant, fingant ut præsentes qui sunt absentes, vel aliis fallacibus utantur mediis ut compensationem obtineant vel lucrum faciant.

Item sibi retinere non possunt stipendium militibus defunctis debitum; ad illud quippe nullum habent jus nec *a fortiori* ad eorum bona jam possessa, quæ ipsorum hæredibus tribuenda sunt.

5° Milites sibi subditos convenientibus pœnis cohibere debent ab injustis rapinis, deprædationibus, stupris aliisque flagitiis; alioquin obligationem damna reparandi incurrunt, cum hæc ex justitia teneantur impedire quantum moraliter possunt.

6° In militaribus expeditionibus, si sufficiens desit annona, quæ ad victum, vestitum, commeatum, cubandum, calefaciendum, etc., necessaria sunt, ab incolis locorum per quæ transeunt exigere possunt; sed cavere debent quantum possunt ne aliqui plus quam alii, servata proportione, graventur, quia in eo casu justitiam distributivam pro posse suo servare tenentur, *ut patet.*

7° Similiter contra justitiam peccant et ad restitutionem tenentur commissarii et annonæ curatores, si commeatum, victualia, vestes, lectos, etc., non subministrent in debita quantitate, et qualitate, etc. Hoc per se patet et ab omnibus admittitur.

De obligationibus militum.

1° Qui sorte ad militiam designantur, et legalem non habent exemptionem, servire tenentur; ad conservationem enim societatis necesse est ut sint milites; alii cives præ aliis militare non tenentur : oportebat igitur ut aliquis institueretur modus viros in numero sufficienti ad militiam obtinendi : statutum est apud nos ut omnes juvenes successive sortirentur quinam militiæ adscriberentur, vel non. Conditio igitur omnium sub hoc respectu est æqualis. Postea legitime eximuntur qui ad militiam non sunt idonei, qui familiæ suæ sunt omnino necessarii, qui bono generali societatis aliter operam daturi sunt, ut clerici, magistri scholarum, etc. Dici ergo non potest legem (gallice *de recrutement*) nunc exstantem esse injustam. Ergo.

2° Juvenes sorte designati, vel ut milites jam inscripti,

vexilla patriæ fugere vel deserere nequeunt sine gravi peccato contra justitiam, tum erga principem, tum erga societatem : *hoc sequitur ex dictis.*

3° In dubio an princeps sit legitimus, an bellum sit justum, milites obedire tenentur; quia in dubio stat præsumptio pro superiore, et tranquillitas publica exigit ut gubernium semel constitutum contra anarchiam et extraneos hostes defendatur : unde tributa solvenda et copiæ militares ipsi tribuendæ sunt. Attamen extranei et qui ad arma non vocantur, probabilius nomen sponte dare non possent ad militandum in dubio, nisi, re excussa, saltem probabile efformarent judicium de justitia belli, quia necessitate obediendi non constringuntur sicut cives a principe vocati. Ita *Ferraris*, v° *Bell.*, art. 3, n. 25, dicens hanc sententiam esse communem.

4° Milites pabulatione uti possunt in terra hostili, imo et in terra amica, si necessaria ipsis non præstentur, et ea propter inopiam emere non possint; sic et procedere ex licentia expressa vel tacita principis aut ducis, ad vastationes, spoliationes, prædationes, carcerationes et cædes partis hostilis; secus, si duces hæc prohibeant, quia tunc propria auctoritate agerent, et obligationem damna reparandi contraherent. *Est sententia communis.*

5° Si capti fuerint etiam in bello justo ex parte capientium, licite fugere possunt, nisi specialis adsit promissio non fugiendi; sic enim jure gentium introductum esse videtur. In bello ex parte capientium injusto, fugere et bona hostium auferre possent, seclusa promissione juramento firmata permanendi. Ita *Molina, Layman, Ferraris,* addentes quod in bello injusto dominis insequentibus vi resistere possent, non vero in bello justo.

6° Spolia hostium, sive occisorum, sive vulneratorum, sive captorum, sive fugientium, seclusa contraria consuetudine vel jussione, pertinent ad milites, quia quæ ab hostibus capimus jure gentium nostra fiunt, inquit *Ferraris.* Cætera vero bona in bello justo capta pertinent ad principem victorem, vel potius ad rempublicam sibi commissam.

7° Milites, tuta conscientia, militare non possunt in bello evidenter injusto, quia malo cognito nunquam licet per actum positivum cooperari; potius omnia patienda et etiam mors subeunda est. At vero in bello justo vel non evidenter injusto, ducibus serio aliquid ad rem militarem spectans jubentibus, statim sub culpa ex genere suo mortali obedire tenentur, nec sine ipsorum consensu a castris vel exercitu recedere possunt, nec stationem sibi commissam deserere ob imminens periculum vitæ, etc.

De clericis relative ad bellum.

1° Omnibus clericis, sive sæcularibus, sive regularibus sacris Ordinibus initiatis, jure ecclesiastico prohibitum est nomen militiæ dare et propria manu pugnare; hocque constat 1° can. 83 Apost. ubi legitur : « Episcopus, aut » presbyter, aut diaconus, qui militiæ vacaverit... depo- » natur; » 2° ex variis Decreti canonibus, v. g., 1ª part., dist. 50, c. 6, part. 2, causa 20, q. 3, can. 3, etc.; 3° ex Bened. XIV, Inst. 101, n. 23, dicente : « Unanimes theo- » logi fatentur levem solummodo culpam admitti a cle- » rico qui, ad minores Ordines exceptus, inter milites » sponte cooptatur; lethali vero culpa vacuum non esse » clericum qui, sacris Ordinibus ornatus, militiam am- » plectitur. » Ergo.

Diximus 1° *jure ecclesiastico*, et non jure naturali : unde si licentia summi Pontificis accederet, abesset culpa et irregularitatis pœna.

Diximus 2° *propria manu;* quia clerici sacris Ordinibus initiati, ex legitima superiorum suorum missione, in bello justo assistere possunt, et sacramenta morientibus ministrare, milites ad fortiter dimicandum hortari, principes et duces incitare ad defensionem oppressorum, ad oppugnationem inimicorum Dei vel patriæ, etc. Unde si in Decretal. l. 5, tit. 37, cap. 5, dicatur eos qui alios incitant ad pugnandum enormiter peccare, id intelligendum est, ut ait Glossa, de bello injusto.

2° Ex pluribus juris canonici capitibus, ut videre est

apud *Ferraris,* v° *Bellum,* art. 4, n. 5, desumitur 1° clericos in sacris constitutos bellum justum suadere posse; 2° principes sæculares advocare contra infideles hæreticos aliosque inimicos in defensionem Ecclesiæ; 3° eos qui jurisdictionem temporalem habent, ut nunc summus Pontifex, et olim plures episcopi et abbates, pro tuendis ecclesiarum suarum juribus, invocare posse principes sæculares, bellum justum indicere, exercitum conscribere, ducem belli præficere, arma ad pugnandum militibus præbere, etc., quamvis ipsi personaliter munere præfecti vel ducis fungi nequeant, ut expresse habetur in Sexto, l. 3, tit. 24, cap. 3.

3° Clerici et religiosi, qui bello justo intersunt, non dimicandi, sed spiritualiter adjuvandi causa, spolia hostium non minus quam alii milites accipere ac retinere possunt, quia sunt pars exercitus et eadem subeunt pericula cum aliis : æquum est igitur ut eadem habeant commoda.

4° Licet propria manu decertare non valeant, possunt tamen, in magna necessitate, mœnia vel portas civitatis custodire, imo et ad id in repentino bello tenentur, ut desumitur ex Decretal. l. 3, tit. 49, cap. 2.

5° Clerici et laici in bello justo propria manu occidentes vel mutilantes, fiunt irregulares, ut in Tractatu *de Irregularitate* dicimus : qui vero in bello manifeste injusto, sive offensivo, sive defensivo, militant, irregularitatem ex delicto contrahunt, quamvis ipsi nec occiderint, nec mutilaverint, si vel unus adversariorum fuerit occisus aut mutilatus, quia omnes ad homicidium cooperantur, et eamdem causam moralem constituunt. Sic ex pluribus juris canonici capitibus communiter docent auctores, paucis contradicentibus, inter quos annotator *Ferraris,* ad calcem art. 4.

ARTICULUS SEPTIMUS.

DE HOMICIDIO CASUALI.

Id dicitur casuale quod præter intentionem accidit. Fieri autem potest ut ita sit præter intentionem quod

neque fuerit volitum in causa, et tunc nullo modo imputatur ad peccatum; vel ita ut ex causa voluntarie posita sequatur, et indirecte volitum judicatur, ac proinde, si malum sit, est peccatum mortale aut veniale, secundum principia a nobis in Tractatu *de Actibus humanis* exposita.

Duplici modo aliquis potest esse causa homicidii casualis seu indirecte voliti, nempe vacando rei licitæ, et vacando rei illicitæ.

1° Si causam mortis hominis ponat, vacando rei licitæ, et debitam adhibendo diligentiam, non peccat, nec igitur homicidii est reus. Si, e contra, debitam diligentiam non adhibeat, plus minusve peccabit, juxta gradum negligentiæ, modo mortaliter, modo venialiter : id ex solo prudentium judicio determinari potest.

2° Qui vacando rei illicitæ, sed mortis non inductivæ, et adhibita sufficienti diligentia, causam mortis homini ponit, non est reus homicidii inde per accidens sequentis, quia talis occisio nullo modo est voluntaria; non in se, *ut patet;* neque in causa, cum prævideri non potuerit : unde clericus qui peccat venando, non habendus est ut homicida, si, adhibita convenienti diligentia, hominem pro fera occidat, quod accidit respectu D. *de Chantal*..

3° Qui vacando rei illicitæ et periculosæ, v. g., qui medicinam et chirurgiam non didicit et operationem chirurgicam facit, ex qua mors sequitur, reus est homicidii, quia hujusmodi mors ipsi vere imputabilis est.

De irregularitate ex homicidio casuali proveniente judicandum est ex dictis tum supra, tum in Tractatu *de Irregularitate;* irregularitas enim ex delicto supponit peccatum grave : quotiescumque ergo homicidium casuale imputari non potest ad peccatum mortale, non existit irregularitas; in casu opposito existit.

CAPUT SEXTUM.

DE SEPTIMO ET DECIMO PRÆCEPTO DECALOGI.

Hæc duo præcepta jungimus, sicut alibi sextum et nonum simul junximus, quia utriusque idem est objectum.

Sic exprimuntur in Exod. xx, 15 : *Non furtum facies:* et 17 : *Non concupisces domum proximi tui; nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non servam, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.*

Quædam breviter dicemus, 1° de furto in genere; 2° de quantitate requisita ad constituendum peccatum mortale in materia furti; 3° de furtis minutis, et 4° de furtis domesticis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE FURTO IN GENERE.

1° Furtum venit a *furvo* seu nigro, quia clam, in obscuro ac plerumque nocte fieri solet, et definitur : *Acceptio rei alienæ injusta , seu domino rationabiliter invito.*

Stricte loquendo et stando principiis quæ hanc materiam, justitiam scilicet, regunt, dominus potest esse rationabiliter invitus, si rem suam ex charitate solum debitam denegaret. Peccaret quidem contra charitatem, sed non contra justitiam. Sed, in praxi sæpe, ut videre est apud auctores, dominus dicitur non rationabiliter invitus circa acceptionem rei suæ, et proinde aufertur ratio quæ furtum constituit, etiam quando res accepta ex sola charitate debetur; quia fieri potest quod ex tali debito præsumenda sit voluntas Dei jus verum conferentis, et quia existimatur dominum officium suum, quodcumque sit, adimplere velle, et proinde non esse invitum circa acceptionem rei suæ.

Si rei ablatio fiat cum vi et injuria, dicitur rapina, a simplici furto specie distincta, quia præter ablationem rei

alienæ, aliam includit malitiam, videlicet personalem injuriam.

2° Dividitur in furtum simplex, in sacrilegium, in plagiatum, in peculatum et abigeatum. *Furtum simplex* consistit in ipsa rei alienæ ablatione, sine ulla speciali circumstantia mala; *sacrilegium* est ablatio rei sacræ de sacro, vel rei sacræ de non sacro, ut habetur in Decret. part. 2, causa 17, q. 4, can. 21. Plures addunt, rei non sacræ de sacro. *Plagiatus* vel *plagium*, sic dictum quia vi Flaviæ legis, qui hujus criminis erant convicti, damnabantur ad plagas; in eo situm est quod quis dolose hominem liberum surripiat et vendat, vel servum alienum sibi detineat, vendat, commutet, etc. Cum servitus apud nos sit abrogata, crimen plagii vel plagiatus cessavit. *Peculatus* est ablatio pecuniæ publicæ, seu ærarii communis. *Abigeatus*, a verbo *abigere*, est ovium, boum, equorum aliorumve pecorum ex pascuis aut armentis fraudulenta subtractio.

3° Furtum est peccatum ex genere suo mortale, et constat, 1° ex Scriptura sacra, Exod. XX, 15 : *Non furtum facies*; Zachar. V, 3 : *Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ, quia omnis fur sicut ibi scriptum est judicabitur,* id est condemnabitur; est evidenter sensus textus qui ab omnibus sic intelligitur. B. Paulus, I Cor. VI, 10, ait : *Neque fures, neque avari..... neque rapaces regnum Dei possidebunt*; 2° ex unanimi Patrum et doctorum consensu; 3° ex ratione; jus enim proprietatis est fundamentum ordinis socialis materialiter spectati; furtum autem hunc ordinem subvertit : ergo. Si vero in Prov. VI, 30, dicatur : *Non grandis est culpa cum quis furatus fuerit*, id intelligendum est per oppositionem ad adulterium de quo in eodem textu agitur.

4° *Notandum* furtum non esse peccatum mortale ex toto genere suo, sicut blasphemiam, homicidium, luxuriam consummatam, sed levitatem materiæ admittere posse, ut omnes fatentur.

5° Si ablatio rei alienæ non fieret injuste, sed potius in utilitatem domini, ut, v. g., si uxor auferret pecunias a

marito, ne eas ludis vel comessationibus prodigeret; vinum, ne inebriaretur; gladium, ne se jugularet; librum impium, ne averteretur a religione, etc., furtum non esset, et sæpe non peccatum, sed opus charitatis. Prudenter tamen agendum est, ne unum peccandi genus impedire quærendo, aliud etiam gravius excitetur. Communiter qui nullam habent auctoritatem in hominem re sua abuti volentem, eam ipsi surripere non possunt, nisi forte ad tempus, ad vitandum grave malum temporale, v. g., ne se vel alium occidat, mutilet, etc., non vero ad sola ipsius peccata impedienda, siquidem sola voluntate ea admittere potest : quærendum est igitur medium voluntatem ejus sanandi per vias prudentiæ, persuasionis, etc. Unde approbare non possumus eos qui libros alienos impios, hæreticos, obscenos, maleficos, subripiunt, dilacerant, comburunt, eosque ad restitutionem damnandos esse putamus, nisi ob bonam fidem a gravi culpa excusari possint, juxta principia a nobis in Tractatu *de Restitutione* posita, ubi de *reparando damno injuste illato.*

6° Similiter quando dominus non est rationabiliter invitus, non est furtum, neque peccatum. Hinc excusantur, 1° qui legitime præsumeret dominum advertentem consensurum esse, licet, præ aliqua verecundia, eum monere non audeat; 2° qui pro se vel alio in extrema necessitate constituto alienum capit quantum stricte necessarium est, et legitimum possessorem in parem necessitatem non conjicit; quia in tali extremitate omnia bona sunt communia, ut aiunt doctores, seu proprietarius rationabiliter invitus esse non potest quod quis aliunde periturus, bonis ita sibi necessariis utatur. Sed qui petendo vel mendicando sibi necessaria obtinere potest, non in ea versatur necessitate quæ dicitur extrema, sed tantum in gravi quæ, ex judicio doctorum communiter recepto, et ex sequenti prop. ab Innoc. X damnata : « Permissum est furari, non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate, » bona non reddit communia. Vide quæ diximus in Tractatu *de Restitutione,* agendo de causis a restitutione excusantibus.

7° Communiter docent auctores Christianos apud Turcas in injusta captivitate detentos, a dominis suis subripere posse quantum sufficit ad se redimendos et ad redeundum in patriam; quia jus habent ad compensationem pro injusta captivitate. Saltem non est dubium quin servi injuste facti et detenti, non solum apud Turcas, sed apud quascumque gentes, licite fugere possint.

Plures, ulterius progredientes, affirmarunt quemlibet Christianum bona Turcarum subripere posse, quia principes christiani habent jus spoliandi Turcas omnibus bonis et locis ab ipsis olim usurpatis, et recte præsumi potest hanc facultatem a principibus fuisse concessam ipsorum subditis. S. Ligorius, l. 3, n. 525, habet hanc sententiam ut probabilem, « modo non adsit inter Turcas » tempus treguæ vel salvi-conductus; vel nisi aliquis » Turca degat in locis Christianorum, sive liber, sive » servus, maxime si adsit ut publicus negotiator, sub fide » regia. »

Nos vero persuasum habemus hanc sententiam nullo modo nunc defendi posse, quidquid dici potuerit dum apertum existebat bellum inter omnes principes christianos et Turcas.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE QUANTITATE IN MATERIA FURTI REQUISITA AD PECCATUM MORTALE CONSTITUENDUM.

Quoniam nemini dubium est furtum esse de natura sua peccatum mortale, omnes fatentur esse mortale quoties objectum ejus est grave. Sed in assignanda quantitate requisita ut objectum censeatur grave, valde scinduntur theologi, et fere tot sunt sententiæ quot capita. Communius remittunt ad judicium viri prudentis, advertentes tamen, 1° hoc reputandum esse grave quod alicui pro sustentatione unius diei sufficeret, vel quod bene laboranti pro mercede unius diei solvitur; 2° quod dominus non nisi graviter invitus amitteret et quidem rationabi-

liter : unde notabilis summa aut valor constituit objectum grave etiam respectu ditissimorum, quia graviter sunt inviti et quidem rationabiliter, cum hujusmodi furta bonum societatis ordinem graviter lædant. Si res enim ita non esset, fures indubitanter frequentius bona divitum aggrederentur, et inde maxima perturbatio oriretur in societate. Hæc est ratio fundamentalis ob quam hujusmodi peccata ut gravia habeantur, quamvis sæpissime minus sint damnosa respectu divitum, quam leviora respectu aliorum. Hinc S. Ligorius, l. 3, n. 528, putat unum aureum respectu magnatum ditissimorum esse materiam gravem; *Billuart* opinatur materiam sufficientem ad peccatum mortale respectu cujuscumque esse viginti aut viginti quinque asses gallicos; alii requirunt tres francos, et alii quinque respectu divitum. Nihil ergo absolute determinari potest ut certum in hoc puncto. 3° Verum omnes tenent objectum in se leve fieri grave, si notabile inde proveniat nocumentum proximo, v. g., si auferatur acus sartori, as pauperi eo maxime indigenti, frustulum panis fame morienti, potus aquæ graviter sitienti, etc. Necesse est ergo ut habeatur ratio circumstantiarum, personæ, rei loci et temporis, atque omnia sedulo perpendantur.

Notant Lessius, *Busenbaum* et alii plures majorem requiri quantitatem ad efformandum grave objectum in rebus ultro provenientibus aut valde expositis, ut sunt fructus ad viam publicam.

ARTICULUS TERTIUS.

DE FURTIS MINUTIS.

1° Furtum minutum potest esse peccatum mortale ratione gravis nocumenti inde secuturi, ut modo diximus.

2° Qui ex intentione ditescendi, sæpe quid leve furatur, ut mercator qui falso pondere aut mensura non accurata vendit, peccat mortaliter, ratione intentionis graviter pravæ, ut patet et omnes concedunt : peccata tamen non

multiplicantur numero pro numero furtorum, nisi intentio fuerit interrupta et renovata, sed idem continuatur peccatum mortale dum comittuntur furta ex eadem intentione virtualiter saltem perseverante.

3° Hæc præcedens doctrina vera est, etiam si quis minuta a diversis personis furetur, quia 1° Scriptura graviter prohibet hujusmodi furta, Deut. xxv, 13 et 16 : *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus.... abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui hæc facit*; et Prov. xi, 1 : *Statera dolosa abominatio est apud Deum*; 2° graviter læditur societas per hujusmodi furta. Habendi sunt igitur ut mortaliter peccantes contra justitiam caupones et mercatores falsis ponderibus aut mensuris vendentes, operarii materias sibi traditas retinendo ex parte, prodigendo, vendendo, donando, vel nimium exigendo, minus quam debent laborando, etc.

4° At qui plura minuta successive furatur sine intentione ad notabilem quantitatem perveniendi, mortaliter non peccat, nisi ubi saltem confuse advertens se ad gravem materiam pervenire, adhuc minutum subripit : tunc objectum fit grave et peccatum mortale. Res patet, si furta eidem personæ facta fuerint; nam grave damnum ei scienter ac libere illatum est. Si vero facta fuerint variis personis, plures volunt peccatum non esse mortale, licet agnoscant strictam obligationem restituendi notabilem summam hac via acquisitam, et adhuc realiter vel æquivalenter existentem. Multi tamen alii theologi dicunt peccatum esse mortale, quia grave infertur damnum societati rationabiliter invitæ, et fur habet intentionem notabilem obtinendi summam alienam. Completa quantitate ad constituendum objectum grave sufficienti, furtum leve de novo factum, si fur de præcedentibus furtis cogitet, et advertat damnum jam illatum augeri, peccatum grave constituit propter rationes superius expositas. Peccatum autem illud est a præcedenti numero distinctum, quia non procedit ex eodem actu voluntatis moraliter perseverante. Si vero furtum illud fiat sine ullo respectu ad furta præcedentia, nec fur habeat intentionem ad

magnam quantitatem perveniendi, certum videtur singula furta minuta postea facta non esse tot peccata mortalia.

In quacumque hypothesi, evidens est, ex dictis, furem habere non posse intentionem summam notabilem per minuta furta, etiam in mente ejus non unita, acquisitam retinendi.

5° Conveniunt tamen auctores majorem requiri quantitatem ad constituendum peccatum mortale, quando minuta furta fiunt respectu diversarum personarum, aut respectu ejusdem personæ magnis intervallis : quia, ex communi judicio, minus inviti sunt domini. *Billuart* censet, cum pluribus aliis theologis, tantum esse posse intervallum inter minuta furta, sive eidem, sive diversis personis inferantur, ut minime sint connexa, et quantumvis multiplicata, gravem materiam non componant, puta, si quinque asses hoc anno subripiantur, quinque anno sequenti, et sic per multos annos, ultimo furto peccatum mortale non admittitur propter defectum connexionis. Supponitur non adesse voluntatem per hanc viam ditescendi, aut summam notabilem inde provenientem retinendi.

6° Si plures minuta eodem tempore et etiam eidem personæ furentur, advertentes grave damnum inde proventurum esse, nullus tamen peccat mortaliter, nisi ex mutuo consilio agant, quia damnum grave nulli imputari potest; per accidens, respectu uniuscujusque lædentis, domino advenit. Sic S. Ligorius et plures apud ipsum, l. 3, n. 536.

7° Qui minuta faciunt furta, in esculentis, pluribus personis vel eidem personæ, sine advertentia grave damnum inde proventurum esse, mortaliter non peccant, quia hujusmodi furta non coalescunt in unum : unde non datur obligatio sub mortali tale damnum reparandi, ut in Tractatu *de Restitutione* ostendimus.

ARTICULUS QUARTUS.

DE FURTIS DOMESTICIS.

Per furta domestica intelliguntur furta parentum, filiorumfamilias, conjugum, religiosorum, servorum et ancillarum.

Mortaliter peccant 1° parentes si, ex bonis quorum filii habent dominium et administrationem, puta, ex iis quæ per industriam separatam acquisierunt, partem notabilem sibi arrogant vel subripiunt, quia rem alienam domino rationabiliter invito auferunt.

2° Filii si notabilem quantitatem ex bonis parentum subripiunt vel dilapidant, quia hujusmodi bonorum non sunt actu domini, sed tantum in spe; tenentur igitur ad restitutionem si possint; si non possint, tenentur computare valorem rerum sic ablatarum in suam partem, tempore hæreditatis apertæ, nisi constet cohæredes idem fecisse. Conveniunt tamen theologi majorem requiri quantitatem ut hujus generis peccatum sit mortale, quia parentes non sunt tam inviti quam si hæc ab extraneis fierent. At si filii sola sibi stricte necessaria parentibus duris subriperent, nullo modo peccarent, quia parentes non essent rationabiliter inviti.

3° Maritus qui de bonis paraphernalibus aut dotalibus uxoris partem notabilem subripit vel dissipat; qui bona communia, quorum dominium pro medietate pertinet ad uxorem, perdit, donat, prodige dissipat, quia jus alienum graviter lædit, ut patet.

4° Uxor quæ, absque consensu mariti saltem præsumpto, aliquid notabile de bonis communibus subtraheret, graviter peccaret, quia eorum administrationem et usumfructum non habet. Ea tamen licite administrat marito consentiente, vel absente, ægroto, amente, inepto aut alia de causa impedito : item non peccat clam subtrahendo, quod stricte necessarium est ad honestam sui et familiæ sustentationem, juxta suam conditionem, ad sol-

venda debita, ad congruas recreationes, eleemosynas, donationes statui suo proportionatas, secundum consuetudinem feminarum suæ conditionis; quia non est ancilla, sed domina, et in his omnibus maritus irrationabiliter esset invitus. De his iterum dicemus in Tractatu *de Restitutione*.

5° Religiosi vel moniales quæ votum paupertatis emiserunt, mortaliter peccant si quid notabile de bonis communitatis subripiant, vel de bonis sibi datis retineant, ut supra diximus, p. 315, quia votum transgrediuntur.

6° Servi et ancillæ peccant etiam graviter si quid notabile de bonis dominorum sibi arrogent; et eo facilius peccatum erit mortale, quo res domesticæ fidelitati eorum magis erunt commissæ, quia domini magis erunt inviti. Vide Cod. pœn. art. 385, n. 3.

Notant tamen auctores, religiosos et domesticos regulariter excusari a peccato mortali, dum modica et communia esculenta vel pocula in proprios usus subripiunt, quia domini, parentes et superiores non sunt inviti respectu hujusmodi furtorum quoad substantiam, sed tantum quoad modum accipiendi, et ordinarie ea concederent si peterentur.

Diximus *regulariter;* quia cum hæc a voluntate dominorum pendeant, si constaret eos graviter esse oppositos talibus furtis, peccatum fieri posset mortale; quod præsumendum est si de rebus raris, pretiosis, quibusdam personis reservatis agatur, aut si domini talia furtula ægre ferre soleant, quando ea advertunt.

CAPUT SEPTIMUM.

DE OCTAVO DECALOGI PRÆCEPTO.

Hoc præceptum sic enuntiatur in Exod. xx, 16 : *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* His verbis prohibetur omnis læsio verbis aliisve signis æquivalentibus proximo illata. Sic apprehendunt omnes.

Talis autem læsio ad triplex genus reduci potest, nempe ad mendacium, ad detractionem simplicem et ad detractionem judicialem.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MENDACIO.

Mentiri est contra mentem ire; unde S. Aug., l. contra Mendacium, cap. 12, ait : « Mendacium est falsa significatio cum voluntate fallendi ; » quæ verba referuntur in Decreto, part. 2, causa 22, q. 2, can. 5, et ideo omnes theologi hanc definitionem mendacii admittunt.

Dicitur 1° *falsa significatio*, ut intelligatur non solum verbis, sed scripto, gestu vel aliis similibus signis mendacium fieri posse. Dicitur 2° *cum voluntate fallendi*, vel potius falsum dicendi; nam plures cum *Billuart* essentiam mendacii, non a deceptione, sed a falsitate formali repetunt : unde si abesset intentio falsum dicendi, vel nullum esset mendacium, vel imputari non posset; v. g., qui dicit falsum, credens esse verum, non mentitur ; qui, e contra, dicit verum, putans esse falsum, mendax est, licet de facto non dicat falsum. Qui sic falsum loquitur jocando ut auditores decipi non possint, reipsa non mentitur; puta, duo Vascones qui, ex sponsione, tentabant quis amplius et insigniori modo mentiretur; unus dicit : Video formicam in summitate talis turris quæ a leuca distabat; alter respondit : Eam non video, sed deambulantem audio.

Notandum aliud esse habere voluntatem fallendi, et aliud intendere veritatem, quæ sine incommodo manifestari non potest, celare, ope restrictionis legitimæ.

Dicemus 1° de mendacio in genere; 2° de variis mentiendi modis, et 3° de restrictionibus mentalibus.

§ I. — De mendacio in genere.

Plures arbitrati sunt mendacium quandoque licitum esse : citantur Plato, Origenes, Cassianus et alii, qui sal-

tem mendacium oblectandi causa factum ab omni culpa liberum esse volebant; Priscillianistæ, qui mendacio et perjurio doctrinam suam occultari posse tenebant; nonnulli catholici, qui, tempore S. Aug., simulabant se esse Priscillianistas, ut virus hujus sectæ detectum patefacerent; quidam Calvinistæ mendacia officiosa in necessitate approbantes. Contra hos omnes sit

PROPOSITIO.

Omne mendacium proprie dictum semper est peccatum.

Hæc propositio constat Scriptura sacra, testimoniis Patrum, ratione et unanimi doctorum consensu.

1° *Scriptura sacra.* Exod. XXIII, 1 : *Non suscipies vocem mendacii;* et ℣ 7 : *Mendacium fugies*; Levit. XIX, 11 : *Non facietis furtum. Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum;* B. Paulus, Coloss. III, 9 : *Nolite mentiri invicem.* Certe in his textibus et in aliis qui citari possent, mendacium exhibetur ut quid in se malum. Ergo.

2° *Testimoniis patrum ;* multi quippe Patres citari possent, v. g., S. Justinus qui in Apol. ait : « Non modo cum » inimicis bellum non gerimus, sed etiam ne mentiamur » aut eos qui interrogant decipiamus; libenter Christum » confitendo morimur; » Eusebius, asserens hominem christianum *nulla vi ad mentiendum adduci* posse ; S. Hieron., Apol. adversus Ruffinum, reprehendens Priscillianistas eo quod mendacio velut medicamine aliquando utendum esse docerent; S. Aug., qui ex professo demonstravit, in lib. de Mendacio et in lib. contra Mendacium, omne mendacium etiam officiosum esse damnandum, et contendit infantem potius relinquendum esse sine baptismo decessurum quam ope mendacii custodes decipiendos ad illum baptizandum. Ergo.

3° *Ratione.* Mendacium enim 1° est abusus loquelæ et signorum ad manifestandam veritatem institutorum ; 2° ex se tendit ad introducendum falsum in mentes hominum, ac proinde amicitiæ est destructivum; 3° nocet

mentienti, impediendo ne fides etiam in majoribus ei adhibeatur; 4° præcipuum vinculum societatis tollit, efficiendo ut homines in commercio vitæ sibi invicem non credant. Ergo.

4° *Unanimi consensu doctorum*, qui, cum S. Aug. aliisque Patribus, semper et ubique quodcumque mendacium proprie dictum reprobant. Ergo.

Hinc mendacium proprie dictum nulla ratione, in nullo casu, nullo fine licitum fieri potest, ne quidem ad salvandum hominis vitam, ut expresse habetur in Decreto, part. 2, causa 22, q. 2, can. 14, 15 et 17.

Dices : Mentiti sunt 1° Abraham, dicendo Saram esse sororem suam, ut vitam suam in tuto collocaret, Genesis XII, 13; 2° Jacob, ut patris benedictionem obtineret, *ibid.* XXII, 19; 3° obstetrices Ægyptiæ, ut infantes Hebræorum a morte salvarent, et Deus benefecit eis, Exod. I, 19 et 20; 4° David simulando præ timore se insanum esse, I Reg. XXI, 13; 5° angelus qui Tobiæ se objecit, dicendo se esse Azariam magni Ananiæ filium, Tob. V, 18; 6° Judith, verbis fallacibus Holofernem decipiendo et hac via de illo triumphando; 7° Christus, de ultimo judicio loquens, dicendo : *De die illo vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius hominis*, quamvis perfecte sciret, Marc. XIII, 32; 8° item, fingendo se longius ire, Luc. XXIV, 28; 9° iterum, Joan. VII, 8, dicens fratribus suis : *Ascendite ad diem festum hunc; ego autem non ascendo ad diem festum istum*, et tamen *ut ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto*. Multa alia tum Veteris tum Novi Testamenti citari possent. Plures in eodem sensu citantur Patres, ut S. Chrysost., S. Hieron.

Resp. 1°. Etsi concederetur Abraham, Jacob, David, Judith et alios mentitos fuisse, nihil inde sequeretur; Scriptura enim est infallibilis in narrando dicta et facta quæ exstiterunt, ea vero omnia non semper approbat. Prædicti homines quædam ex instinctu Dei dixerunt aut fecerunt, sed quædam simul ex proprio motu addere potuerunt in simplicitate et bona fide; credere potuerunt

licitum esse in talibus circumstantiis mentiendo decipere, nam veritas ista, quod mendacium in nullo casu sit licitum, eo tempore non erat perfecte cognita, cum etiam post Christum multi, doctrinæ Platonis adhærentes, putaverint mendacio uti aliquando licere.

Præterea, dato quod a peccato excusari non possent sicut plures, ut Scotus, Adrianus, Lyranus, Cajetanus, Delrius, Menochius, etc., sentiunt, nihil iterum concludi posset. Omnes quippe actus sanctorum non sunt sancti, et nihilominus prædictæ personæ laudari potuissent, non propter mendacium, sed ob finem propositum aliasve bonas intentiones.

R. 2° ad singula breviter.

1° Sara vere in uno sensu erat soror Abrahæ, ut ipse explicat, Gen. xx, 12 : *Vere soror mea est, filia patris mei et non filia matris meæ, et duxi eam in uxorem.* Falsum igitur non dicebat, sed verum, ob gravem causam, tacebat.

2° Plerique Rebeccam et Jacob a mendacio non excusant : qui vero excusandos esse putant, dicunt Jacob, qui primogeniti jura ab Esaü emerat, Gen. xxv, 34, declarare potuisse, sine mendacio, se esse filium Isaac primogenitum.

3° Obstetrices Ægyptiæ a mendacio officioso non excusantur, et tamen Deus benefecit eis propter misericordiam qua motæ fuerunt ad salvandos Hebræorum infantes, bonam intentionem remunerando, et peccatum ignoscendo, si invincibili ignorantia non fuerint excusatæ.

4° Nihil vetat dicere David mentitum fuisse et venialiter peccasse.

5° Communius Patres et Scripturæ interpretes docent angelum recte dicere potuisse se esse Azariam, filium Ananiæ, quia formam ejus susceperat, et loqui ac agere debebat sicut fecisset Azarias in tali casu.

6° Judith, respondendo Vagao, Holofernis eunucho, cap. xii, 14 : *Omne quod erit ante oculos ejus bonum et optimum, faciam,* turpitudini sibi propositæ modo sat directo non acquievit; sed fingendo se nihil intelligere in verbis eunuchi præter urbanitatem, per verba urbanitatis (gal-

lice, *par un compliment*), respondit dicens se facturam quidquid optimum videretur principi, subaudiens, modo sit licitum. Sic loqui solent, in commercio vitæ, etiam timorati, ubi ratio gravis id suadet.

7° Christus non sciebat diem et horam ultimi judicii ad manifestandum, et hic est sensus ejus verborum, ut ostendimus in Tractatu *de Trinitate*.

8° Christus, fingendo se longius ire, discipulos non intendebat mendacio decipere, sed eos probare et videre si eum rogarent secum manere : hujusmodi fictiones, sicut parabolæ in loquendo, apud omnes habentur ut licitæ et a mendacio valde discrepantes.

9° Vel Christus dicendo, *Ego non ascendo ad diem festum istum,* intendebat ipsam solemnitatem, seu primam diem, et revera in medio octavæ ascendit; vel intendebat se non ascensurum manifeste, cum pompa, ad faciendum miracula, ut volebant fratres ejus, ipsi dicentes : *Si hæc facis, manifesta teipsum mundo ;* et de facto ascendit *quasi in occulto :* dici ergo non potest, cum impio Porphyrio, Christum mentitum fuisse.

Iisdem principiis solvuntur alia objecta ex sacris libris petita.

10° Quidam Patres falso crediderunt mendacium officiosum aliquando licitum fieri posse, ut confessi sumus ; sed eorum testimonium argumentis a nobis expositis prævalere non potest. Ergo.

§ II. — De variis mentiendi modis.

Triplex distinguitur mendacium, perniciosum scilicet, jocosum et officiosum. Est *perniciosum* quando nocet proximo, v. g., si falsum crimen alicui imputes, si alterum in commercio decipias, est *jocosum* quando, nulli nocens, fit animo oblectandi eos quibus aliquod falsum narratur ; est vero *officiosum* cum bonum alicujus intenditur, sine alterius detrimento : tale fuit mendacium obstetricum Ægyptiarum.

Ad mendacium referuntur simulatio, hypocrisis, adu-

latio et jactantia. *Simulatio* est fictio qua quis exterius manifestat contrarium ejus quod habet in mente, v. g., amicitiam exhibendo, dum intus ardet odio; *hypocrisis* est fictio qua quis verbis, vel factis, vel utrisque simul, exhibet sanctitatem quam reipsa non habet; *adulatio* in eo consistit ut quis excedat in laude vel complacentia erga proximum; *jactantia* est personalis extollentia supra id quod verum est. *His notatis*,

1° Mendacium perniciosum ex genere suo est mortale, siquidem non solum veritati, sed charitati et justitiæ adversatur; unde Sap. I, 11, legitur : *Os quod mentitur occidit animam;* et Ps. v, 7 : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* In his textibus mendacium habetur ut grave peccatum. Si autem mendacium sit grave peccatum, saltem mendacium perniciosum. Potest tamen fieri veniale ob defectum advertentiæ aut levitatem materiæ.

2° Mendacium jocosum et mendacium officiosum sunt tantum ex genere suo peccata venialia, quia adversantur quidem veritati, sed neminem lædunt, aut leviter tantum lædunt; porro omnes, post S. Aug., S. Gregorium Magnum aliosque Patres, persuasum habent tale mendacium per se gravem non habere deformitatem. « Duo sunt » genera mendaciorum in quibus non magna culpa est, » sed tamen non sunt sine culpa, cum aut jocamur, aut » ut prosimus mentimur. » S. Aug. in Ps. v, n. 7.

3° Simulatio est peccatum mortale si proximus in re gravi inique decipiatur; res per se patet : secus, peccatum esset duntaxat leve. Diximus *inique*, ut excluderemus stratagemata, quæ in bello reputantur licita.

4° Hypocrisis est peccatum mortale cum quis sanctitatem quam affectat interius contemnit, vel eam simulat ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur dignitatem qua indignus est, vel obtineat bona temporalia injuste, aut in quibus finem ultimum constituat. Unde Isai. IX, 17 : *Omnis hypocrita est nequam;* et frequens exclamatio Christi : *Væ vobis, hypocritæ!* Non tamen habendus est ut hypocrita qui peccata et vitia sua occultat ne alios scandalizet, etsi delinquentes aut vitiosos repre-

hendat, sed is tantum qui eo fine simulat sanctitatem ut quam non habet videatur habere.

5° Adulatio semper est peccatum, quia per se charitati sicut et veritati adversatur; tendit enim ad corrumpendas hominum mentes, et sic sentiunt communiter doctores. Est peccatum mortale si charitati graviter adversetur, quod triplici modo fieri potest : 1° si aliquis laudetur de gravi peccato quod admisit; 2° si quis alteri aduletur ut ei graviter noceat, sive corporaliter, sive spiritualiter; 3° si adulatio det alteri occasionem graviter peccandi, etiam præter intentionem adulantis, qui tamen hanc occasionem ex adulatione sua secuturam prævidit, aut prævidere potuit ac debuit.

Si autem aliquis, ex sola aviditate alios delectandi, vel ad vitandum aliquod malum, vel ad consequendum bonum sibi necessarium, alicui fuerit adulatus, mortaliter non peccavit, quia talis adulatio charitatem, cui contradicit, non destruit. Imo qui sibi proponit aliquem delectare, eum plus æquo laudando, ut illum consoletur, ne in tribulatione deficiat, vel ut eum in bono perficiendo adjuvet, non peccat, sed potius virtutem amicitiæ exercet. Ita S. Th. et alii doctores.

Pariter aliquem juste laudare nullum est peccatum.

6° Jactantia est peccatum mortale, 1° si quis charitati proximi graviter deroget, ut Pharisæus dicens : *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri; vel ut etiam hic publicanus*, Luc. XVIII, 11; 2° si grave nocumentum afferat proximo, v. g., si quis se in sanandis morbis peritum falso prædicet ut pecuniam credulorum extorqueat; 3° si expresse vel tacite se jactet de gravibus peccatis quæ tamen non commisit, ut sæpe faciunt dissoluti, etc.

Verum jactantia in rebus levis momenti, secluso scandalo, non excedit peccatum veniale.

§ III. — De restrictionibus mentalibus.

Restrictio mentalis est actus mentis verba, quibus utimur loquendo, ad aliud quam id quod naturaliter signi-

ficant detorquentis vel restringentis. Duplex distinguitur, una *pure mentalis*, quæ ex nullis adjunctis ab audientibus intelligi potest, ut si quis interrogatus an viderit Paulum, respondeat se non vidisse, quamvis viderit, subintelligendo : Non vidi in domo, sed in via; et *late mentalis*, quæ ex modo interrogandi aut respondendi, ex usu recepto vel ex aliis circumstantiis ab auditoribus intelligi potest, licet forte, defectu intelligentiæ aut advertentiæ, non percipiatur; v. g., si petenti pecuniam mutuandam respondeam : Non habeo, subintelligendo, quam tibi mutuo dare velim aut possim. Notat *Billuart* hujusmodi locutiones immerito vocari restrictiones, siquidem verba spectata cum circumstantiis in quibus adhibentur, non nisi verum exprimunt sensum.

Ad hoc genus restrictionum revocantur *æquivocationes* seu *amphibologiæ*, quæ sunt locutiones duplicem habentes sensum, unum verum et alterum falsum : v. g., si dicatur : Hic liber est Petri, non indicando an sit Petri ut auctoris, vel ut domini.

His prænotatis, dicemus :

1° Restrictione pure mentali uti non licet; nam mendacium proprie dictum in omni casu est prohibitum : atqui restrictio pure mentalis verum est mendacium, cum falsum ita exprimatur ut sensus in mente habitus nullo modo ab audientibus intelligi possit. Aliunde, tali doctrina semel admissa, jam nullum esset mendacium, quia omnes non prorsus hebetes restrictiones hujusmodi in qualibet mendaci formula subintelligere valerent. Unde Innocentius XI, die 2 martii 1679, sequentem damnavit propositionem, n. 26 : « Si quis vel solus vel coram aliis, » sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis » causa, sive quocumque alio fine, juret se non fecisse » aliquod quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid » aliud quod non fecit, vel aliam diem ab ea in qua fecit, » vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. » Ergo.

2° Uti restrictione late dicta seu verbis æquivocis, quando sensus a loquente intentus aperte ex circumstan-

tiis innotescit, quovis casu est in se licitum, quia tunc nullus est dolus et nullum mendacium; idem est enim ac uti parabolis, narrare fabulas, adhibere figuras, quæ certe habentur ut licitæ.

3° Adhibere restrictiones late mentales, sed in quibus sensus a loquente intentus difficile intelligitur, in rebus levis momenti, vel gravis, absque necessitate, est peccatum; talis enim loquendi modus nocet humanæ societati, derogat simplicitati christianæ quam Christus sequentibus verbis nobis commendavit, Matth. v, 37 : *Sit autem sermo vester, Est, est, non, non :* unde ad verum reducitur mendacium, siquidem, in eo casu, verba prolata nullam ex adjunctis hauriunt significationem aliam ac eam quam per se exhibent et quæ obvia est audientibus.

Peccatum istud mortale esset si grave inferretur damnum per talem loquendi modum; secus, esset tantum veniale.

4° At talibus restrictionibus seu amphibologiis uti, in gravi causa et urgente necessitate, est licitum; nam 1° ex sacris Scripturis plura desumuntur exempla quibus ostenditur veritatem in gravi causa celari posse, et æquivocationes in responsis adhibere licitum esse, v. g., quando Abraham dixit de uxore sua : *Soror mea est,* et Christus : *Non ascendo ad diem festum istum,* etc. 2° *S. Aug.* in Ps. v, n. 7, omne mendacium proprie dictum reprobandum esse docens, ait : « Aliud est falsum dicere, aliud » verum tacere : si quis forte vel ad istam visibilem mor» tem non vult hominem prodere, paratus esse debet ve» rum occultare, non falsum dicere, ut neque prodat, ne» que mentiatur, ne occidat animam suam pro corpore » alterius. » 3° Omnes catholici doctores sententiæ S. Aug. subscripserunt. 4° Restrictio de qua hic agitur non est *mendacium ;* nam si cum adjunctis sumantur verba, significant quod intendit loquens, quanquam minus clare sese exprimat; non est *injusta*, cum ea utens decipere non intendat, sed tantum veritatem sapienter ac discrete occultare; sæpe est *utilis* imo et *necessaria*, sæpe enim non minus noxium est societati verum dicere quam

falsum proferre, ut patet exemplo confessarii, legati principis, ducis exercitus secreta sibi commissa revelantis : at sæpe non datur aliud medium secreta hujusmodi servandi quam verbis æquivocis utendo; talis quippe est hominum indoles ut si taceas vel dicas te non responsurum, interrogationem esse impertinentem, et rationem reddere non teneri, etc., statim concludunt rem esse ut existimant. Ergo.

Hinc 1° confessarius interrogatus an sciat tale crimen quod rescivit tantum per confessionem, affirmare et jurare potest se nescire, intelligendo, ut hominem : si urgeretur interrogatio et peteretur ab eo an tale crimen ipsi declaratum fuerit, sive non, nec affirmare nec negare potest, quia tunc interrogatur ut confessor : igitur respondere debet se nihil dicere posse.

Hinc 2° quod dicitur de confessario, pari ratione dicendum est, cum eadem restrictione, de regis aut principis legato, de secretario; item, ut plurimi censent, de medico, chirurgo, obstetrice, advocato, consiliario, duce exercitus, provinciæ præfecto et similibus personis publicis; si enim secreta hujusmodi personis commissa violarentur, gravia sequerentur incommoda, ut neminem latet : verbum igitur *nescio,* in ore earum, significat eas nescire ad dicendum, et nullus, consuetudinem inter homines receptam cognoscens, ex tali responsione rationabiliter concludere poterit dictas personas rem petitam non accepisse sub secreto.

Disputant theologi an etiam privati eadem restrictione uti valeant ad tegendum verum in casu pro se vel pro alio gravis momenti, v. g., an mulier a viro interrogata de adulterio quod revera commisit, respondere possit : Non feci, subintelligendo, ut tibi fateri debeam; an quis respondere possit speculatori hominem absconditum ad mortem injustam quærenti, se eum non vidisse, se nescire ubi sit, subintelligendo, ut tibi revelare tenear, etc. *Soto*, Salmanticenses et alii plures negant, dicentes restrictionem in eo casu esse pure mentalem, ac proinde mendacium. *Busenbaum*, cum pluribus quos citat, *San-*

chez, S. Ligorius, etc., affirmant saltem ut probabile; qui enim alium sic injuste interrogat, rei gravitate sufficienter admonetur, quod interrogatus jus habeat veritatem per aliquam æquivocationem celandi, ac proinde non necessario decipitur.

Hinc 3° qui sufficientem habet rationem eleemosynam non dandi, mutuum non præstandi, respondere potest : Pecuniam non habeo, et melius : Non possum, subintelligendo : Non habeo, quam tibi rationabiliter dare possim. Similiter qui justas habet rationes extraneos tali die vel tali hora non admittendi, mandare potest famulis ut audientiam petentibus dicant : Dominus non adest, non est hic, id est, te nunc admittere non potest; quia sic receptum est in societate, sicut, in fine epistolarum, dicere : Servus tuus sum humillimus, obsequentissimus, etc.

Hinc 4° qui mutuum accepit et reddidit, sed epocham non habet, negare potest se mutuum accepisse, intelligendo, quod debeam. Idem dici potest de quolibet debito soluto, si testimonium solutionis non existat, supposito quod alia non sit via se ab iterata solutione liberandi.

Quod attinet ad reum et testem a judice interrogatum dicemus infra.

Sciendum est olim Jansenistas, et præsertim *Pascal*, in litteris vulgo *Provinciales*, doctrinam theologorum circa restrictiones mentales, in quibusdam nimis quidem laxatam, exaggerantes, casuistas et præsertim Jesuitas dicteriis capere studuisse per fas et nefas, et quantum potuerunt odiosos reddidisse. Nos vero, inter laxitatem et rigiditatem incedere volentes, amphibologias illicitas reprobamus, sed a nomine restrictionum recte intellectarum non abhorremus.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DETRACTIONE SIMPLICI.

Detractio est injusta famæ alterius læsio. Fama autem, ut dicemus in Tractatu *de Restitutione*, est bona existimatio quæ de vita, moribus aliisque qualitatibus alicujus

personæ habetur; et honor est testificatio externa bonæ hujus existimationis.

Detractio concipitur ut solummodo interna, vel ut externa. De utraque seorsim dicemus, et tertium subjungemus paragraphum de secreto.

§ I. — De interna detractione.

1° Interna detractio seu diffamatio fit, juxta omnes, sinistre de alio cogitando, et triplex distinguitur: dubitatio, suspicio et judicium; dubitatio est quædam mentis suspensio inter affirmandum et negandum, in neutram partem inclinantis; suspicio est quædam animi inclinatio ad judicandum malum, et quasi assensus inchoatus; judicium vero est actus mentis firmiter pronuntiantis aliquem hoc malum fecisse vel dixisse.

2° Hæc autem possunt esse fundata vel non fundata sufficientibus indiciis, quæ diversa requiruntur pro diversis mentis actibus; quæ enim ad dubitationem sufficiunt, non sufficerent ad suspicionem, et quæ ad suspicionem, non ad judicium: v. g., Petrus videt juvenem et puellam per viam publicam transeuntes, nullam habet rationem de illis sinistre cogitandi, et sola dubitatio voluntaria ipsis est injuriosa; videt eos submissa voce loquentes in loco solitario, sufficientem habet rationem dubitandi an bene vel male cogitent, nondum tamen suspicari debet eos fornicationem intendere; sed videt eosdem postea cubiculum intrare secreto, januam claudere, ibi diu solos manere: sufficientia habet indicia suspicandi eos ad turpitudines et forsan ad fornicationem devenisse; non tamen judicare debet cum omni certitudine res ita fuisse: verum si eos per fenestram vidisset, certo pronuntiare posset.

Sufficientia indiciorum ex multis adjunctis desumitur, ex circumstantiis loci, temporis, modi actionis vel locutionis, ex vita jam cognita personarum, etc. Hæc omnia prudenter sunt ponderanda ut mens accurate pronuntiet.

3° Sinistre de aliquo dubitare, suspicari et judicare,

nullum est per se peccatum, modo indicia nobis exhibita non excedantur; nam in eo casu proximus amittit jus ad bonam sui æstimationem in mente illius cui talia manifestantur indicia. *Est communis theologorum sententia.*

Diximus *per se,* quia ille qui sic suspicatur aut judicat, graviter vel leviter peccare potuisset indicia obtinendo, v. g., personas in quas nullam habet auctoritatem curiose examinando, insequendo, secreta litterarum violando, detractores audiendo, etc.

4° Judicium temerarium, in materia gravi, deliberate conceptum, est peccatum ex genere suo mortale. Ita S. Th. 2 2, q. 60, art. 3, et cum illo generaliter theologi, qui fundantur 1° his Christi verbis, Matth. VII, 1 : *Nolite judicare, ut non judicemini*; vel ut habetur Luc. VI, 37 : *Nolite judicare, et non judicabimini*; quibus consonant verba B. Pauli, Rom. XIV, 4 : *Tu quis es qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit*; et I Cor. IV, 5 : *Nolite ante tempus judicare, quoadusque adveniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium*; 2° testimoniis Patrum quæ referri possent, et multa referuntur a Natali Alexandro; 3° ratione; judicium enim temerarium in materia gravi, gravem infert læsionem famæ proximi, siquidem nullus est homo sensatus qui non mallet notabilem pecuniæ summam amittere quam sic famam suam injuste perdere in mente vel unius hominis alicujus ponderis. Ergo.

Diximus 1° *in materia gravi*; nam in materia levi, aut si judicium sit leviter temerarium, quia indicia fere sunt certa, peccatum esset duntaxat leve, siquidem levis est tum injustitia.

Diximus 2° *deliberate conceptum*; quia fieri potest ut quis ex inadvertentia, vel cum advertentia imperfecta, sinistræ cogitationi de proximo adhæreat, et tunc venialiter tantum peccat.

Item peccatum non esset mortale si judicium temerarium, etiam in materia gravi et plene voluntarium, de aliquo indeterminato formaretur, quia de facto nulli fieret injuria. Ita *Busenbaum* et S. Ligorius, l. 3, n. 962. Idem

dicendum nobis videtur, si judicium de homine ignoto feratur, quia injuria respectu ipsius levis est momenti.

5° Multi, præsertim in Gallia, docuerunt dubitationem et suspicionem temerariam, in materia gravi et plene deliberatam, esse peccatum ex genere suo mortale, quia injuria, licet minor sit quam in judicio temerario, gravis tamen videtur : at *Layman, Busenbaum, Ferraris*, S. Ligorius et alii communius dicunt peccatum esse duntaxat, ex genere suo, veniale ; nam, inquiunt, bona existimatio proximi læditur quidem, sed non tollitur sicut et judicio : ergo gravis non fit læsio, nec proinde gravis injustitia et grave peccatum.

Excipiunt tamen si quis ex malevolentia in gravi suspicione aut dubitatione plena voluntate persistat, aut si, absque sufficientibus indiciis, suspicio vel dubitatio fiat de gravissimis peccatis, v. g., si ex levibus apparentiis, dubium aut suspicionem moveat an talis sacerdos homicidium, adulterium, sacrilegium, etc., commiserit.

6° *Ferraris* advertit (et dicit hanc sententiam esse communem) dubitationem temerariam negativam, in eo consistentem ut quis, defectu motivorum, nihil pronuntiet circa bonitatem aut malitiam proximi, nullum esse peccatum, quia reipsa nulla infertur injuria proximo.

§ II. — De detractione externa.

Dicemus 1° de ejus definitione et divisione, 2° de ejus vitio, 3° et de illam audientibus et non impedientibus.

De definitione et divisione detractionis.

Detractio est *occulta et injusta famæ alienæ læsio seu denigratio*. Dicitur *occulta*, quia, sicut furtum, fit in occulto, id est, in absentia personæ læsæ, etsi fiat coram aliis etiam multis ; sicque differt a contumelia, quæ fit coram persona, et aperta est honoris læsio vel ablatio. Dicitur *injusta*, quia fieri potest ut fama vel honor alterius juste imminuatur, et tunc proprie dicta non est detractio.

Dividitur 1° in formalem et materialem : est *formalis*

si cum directa intentione alienam famam denigrandi flat; est vero *materialis tantum,* si absque voluntate famam alterius denigrandi fiat, sed cum periculo præviso, aut quod prævideri debuit, famæ alterius nocendi.

Dividitur 2° in directam et indirectam : est *directa* si quis habeat voluntatem expressam famam alterius lædendi, quod quatuor modis in sequenti versu contentis fieri potest :

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens :

scilicet 1° imponendo alteri falsum crimen, et est calumnia; 2° augendo seu amplificando et exaggerando crimen verum; 3° revelando crimen occultum; et 4° opus bonum sinistre interpretando, vel temere judicando exterius, ut Judæi dicentes de Christo : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*, Matth. XII, 24.

Indirecta ea est qua fama proximi læditur indirecte, id est, quasi negative, et fit etiam quatuor modis in hoc altero versu expressis :

Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatve remisse :

id est, 1° bonum alterius negando, 2° illud imminuendo, 3° malitiose tacendo, ubi alter laudandus esset, et 4° frigide laudando, ita ut talis laus, ex circumstantiis, magis appareat vituperium.

Dividitur etiam, sensu latiori intellecta, 3° in contumeliam, diffamationem et susurrationem. *Contumelia* est injuria alteri præsenti illata, ipsi exprobrando crimen vel defectum verum aut falsum : si fiat coram aliis, est simul contumelia et detractio. Ad contumeliam pertinent convicium et improperium, item derisio et subsannatio, quæ motibus corporis injuriosis fieri solent. *Diffamatio* est detractio publica aut quæ fit publica. *Susurratio* est prava oblocutio de proximo, tendens ad tollendam ipsius cum aliis amicitiam et ad seminandas discordias.

4° Aliquando detractio famam privati aut privatorum lædit, et aliquando famam personarum publicarum, famam communitatis.

5° Insuper fieri potest viva voce, ut frequenter accidit, et scriptis, sive libellis famosis, sive ephemeridis (gallice), *par des libelles diffamatoires, par des journaux*). Hoc genus detractionis est omnium gravissimum, et producit mala irreparabilia.

De vitio detractionis.

1° Nullum est dubium quin calumnia in materia gravi sit peccatum mortale : ubique enim in Scriptura et traditione exhibetur calumnia ut grande crimen, calumniator ut insignis criminator. Sola levitate materiæ vel defectu advertentiæ excusari potesta peccato mortali. *Ita omnes.*

2° Detractio non calumnians, sed occultum manifestans, est peccatum ex genere suo mortale, ut probatur 1° *Scriptura sacra* dicente, Prov. XXIV, 9 : *Abominatio hominum detractor;* Eccli. XXVIII, 15 : *Susurro et bilinguis maledictus.* B. Paulus, Rom. I, 30 et 32, *detractores* inter susurrones et contumeliosos annumerat, vocat Deo odibiles, et pronuntiat eos qui talia agunt dignos esse morte.

2° *Testimoniis Patrum et doctorum,* qui in hoc sunt unanimes.

3° *Ratione.* Per detractionem enim non tantum læditur charitas, quod evidentissimum est, sed et justitia, siquidem ille de quo detrahitur habet jus ut sibi non auferatur bonum utile detractori minime nocivum. Insuper bonum publicum exigit ut fama non ita, absque ratione sufficienti, tollatur etiam privatis, siquidem hæc fama sic servata majora sæpe impedit mala, quæ diffamatus facere non timeret, et semper est via ad conversionem nocentibus parata.

Quadruplici modo tamen fieri potest venialis, videlicet: 1° defectu voluntarii; si enim ex inadvertentia verbum excidat, nullum est peccatum; si quædam sit advertentia, sed imperfecta, et semiplenus consensus, peccatum est tantum veniale; 2° defectu infamationis, si nempe

res sit ex parte cognita, ita ut locutio famæ parum noceat in opinione eorum quibus fit revelatio; 3° defectu gravitatis materiæ, si videlicet res quæ revelatur sit levis absolute, vel ratione cirsumstantiarum aut personæ de qua vel cui fit detractio; sæpe enim quod esset gravis infamatio respectu unius personæ, levis est momenti respectu alterius; 4° defectu injustitiæ, id est, si adsit ratio crimen aut defectum revelandi, quamvis non omnino sufficiens.

Cæterum, revelare rem gravem occultam, cum perfecto consensu et absque ratione vel uni personæ gravi, est peccatum mortale, quia talis infamatio major æstimatur injustitia apud omnes quam furtum objecti ad peccatum mortale sufficientis.

Hinc 1° revelare naturales defectus animi vel corporis, v. g., dicere de aliquo quod sit stupidus, spurius, luscus, ignarus, etc., communiter habetur ut peccatum veniale, quia tales defectus non sunt mortales, nec gravis reputatur infamia apud prudentes, nisi grave damnum inde secuturum esset, puta, si revelaretur clericum esse spurium, si de viro honorabili diceretur quod vilissimum exercuisset officium, etc. Omnia hæc maxime pendent a circumstantiis.

Hinc 2° ut levis detractio plerumque æstimatur si alius generalibus peccatorum nominibus infametur, v. g., si dicatur eum esse iracundum, superbum, difficilis indolis, etc.; quia audientes hæc solent intelligere de naturali defectu, et fama graviter non læditur. Ex quibusdam tamen circumstantiis peccatum fieri posset grave, imo et quandoque voces generales aliquem graviter infamarent, v. g., si diceretur eum esse avarum, ebriosum, luxuriosum, etc.; quia voces illæ immediate actus et habitus graviter culpabiles indicant.

Hinc 3° referre peccata venialia non est generatim gravis detractio. Gravis tamen fieri posset, habita ratione quarumdam circumstantiarum, v. g., si de persona suo ministerio, sua virtutis fama eminenti, simul reveletur esse mendacem, pigritiæ, sensualitati, etc., deditam.

Hinc 4° referre peccata mortalia, quæ, ob conditionem personæ, famam ejus leviter tantum lædunt, ut dicere de milite quod habeat concubinam, scortum introierit, in duello decertaverit, etc., est peccatum veniale : hæc vero dicere de clerico, de juvene bene notato, mortale esset.

Hinc 5° crimen notorium referre personis illud ignorantibus, sed brevi scituris, ad summum est peccatum veniale et sæpe nullum peccatum, quia reus jam amisit jus ad famam suam, et rationabiliter exigere non potest ut illud scientes taceant. Sæpe utile est ut personæ quæ relationes habent vel habituræ sunt cum reo, crimen ejus non ignorent. Hic agitur de facto notorietate facti cognito, id est, per evidentiam rei; ubi vero est notum notorietate juris, id est, ubi lata est sententia condemnationis, omnes de illo licite loqui possunt, quia tale factum de natura sua est publicum. Attamen, peccaret saltem contra charitatem, si non contra justitiam, ille qui tale crimen patefaceret in locis ad quæ sententia probabiliter non est perventura, quia pœnam intentam excederet, et sine ratione sufficienti proximo noceret. *Sic plures.*

Si crimen alicujus per viam injustam notum fiat, non licet illud aliis manifestare, si cognita sit injustitia primæva diffamationis, nisi factum de quo agitur sit vere publicum; in eo enim casu, quæcumque fuerit injuria ipsi initio illata, reus jus ad famam suam amisisse videtur.

Hinc 6° qui narrat se tale vel tale alicujus crimen occultum ab aliis audiisse, nihil affirmans, nec habens propositum nocendi, venialiter tantum peccat, quia hujusmodi narratio non nata est ad persuadendum rem esse talem; attamen si adverteret ex suo testimonio, ex modo narrandi vel ex aliis circumstantiis, persuasos fore audientes, mortaliter peccaret.

Hinc 7° qui crimen olim publicum, sed nunc oblitum, manifestat, eodem modo peccat ac si nunquam exstitisset diffamatio, siquidem crimine oblito, jus ad famam rediit.

Semper advertendum est illum qui fuit diffamatus sub quodam respectu non eo ipso sub alio diffamari posse.

8° Occulta mortuorum crimina revelare peccatum est mortale, obligationem restituendi inducens; nam defuncti tantum habent jus ad famam suam quantum vivi, et fama post mortem servata est bonum ab omnibus appretiatum, cujus intuitu homines sæpissime magnas operantur actiones. *Est sententia communis.* Inde historiographi ignominiam memoriæ defunctorum sine causa sufficienti inurentes, occulta manifestando, cognita exaggerando, perverse interpretando, pœnitentiam non referendo, etc., mortaliter peccant.

Major tamen conceditur latitudo historicis quam aliis ad narranda facta publica, oblivione sepulta vel sepelienda, in uno vel in altero loco tantum cognita, ut ad posteritatem transmittantur, ad aliorum exemplum, terrorem, emendationem inserviant, etc.

9° Quadruplicem ob finem crimina vel defectus occultos proximi revelare licet; 1° ob utilitatem revelantis, ut consilium, auxilium vel solatium in sua afflictione obtineat, secluso quocumque maligno affectu detrahendi aut lædendi; sed, in eo casu, revelationem facere debet cum minimo famæ alterius detrimento : dicere igitur debet id tantum quod stricte necessarium est eis quibus oportet, et non aliis, et etiam tacitis nomine ac qualitate personæ, si possibile sit; 2° ob utilitatem delinquentis, nempe ad ipsius instructionem, correctionem, emendationem, etc. Sic frequenter licitum vel etiam jussum est jure naturali occulta delicta filiorum, servorum, inferiorum, manifestare, in spiritu charitatis, eorum parentibus, dominis vel superioribus; ipsi parentes, domini, superiores licite loquuntur inter se de peccatis vel defectibus occultis subditorum, ut eos recte cognoscant et efficacius emendent vel corrigant; 3° ob utilitatem publicam; bonum enim particulare cedere debet bono generali, et nullus habet jus sic, per sua vitia occulta, societatem turbandi vel lædendi : unde qui scit alterum parare reipublicæ proditionem, religionis subversionem, superioris occisionem, communitatis turbationem, juventutis corruptionem, etc., eum manifestare potest, imo tenetur ex charitate, cum

minima tamen, quantum fieri potest, famæ ejus læsione et absque maligno affectu : idem dicendum est si quis improbus vel non idoneus probo et idoneo præferendus esset in magistrum juventutis, in parochum, in medicum, cum multorum damno spirituali vel temporali; 4° ob utilitatem privatorum, sive audientium, sive aliorum, ut a malis, damnis, incommodis sibi aliunde certe aut probabiliter eventuris caveant; charitas enim bene ordinata et ordo societatis postulant ut nocere volentes sic a malo aliis inferendo prohibeantur. Hinc imperitus advocatus, medicus, confessarius, artifex, servus improbus, ancilla moribus corrupta manifestari possunt iis quibus notabile damnum illaturi essent, dummodo absit quilibet malignus affectus, et id duntaxat declaretur quod ad impediendum malum necessarium est. *A fortiori* qui interrogantur circa probitatem, peritiam, mores hujusmodi hominum ab iis quorum interest illorum agendi rationem cognoscere, juxta veritatem sibi cognitam, cum simplicitate et sine animo nocendi, respondere debent. Verum nulla causa excusare potest calumniam, quæ intrinsece mala est.

Patet ex dictis quanta cum prudentia loquendum sit de peccatis et vitiis proximi; « nisi *quippe* dicamus, in» quit *Ferraris*, v° *Detractio*, art. 1, n. 13, ob imperfec» tionem actus, v. g., ob ignorantiam, ob inadvertentiam » ad nocumentum proximi, vel ob vehementem passio» nem, aut præcipitationem mentis et linguæ, detractio» nem, sæpissime excusari a mortali; adeo familiare est » hoc vitium, quod totum pene genus humanum pericli» tabitur. »

De audientibus detractionem et non impedientibus.

1° Voluntarie et sine causa detrahentes audire et non impedire, cum facile impediri possent, mortale est peccatum, secundum opinionem communem : *Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te*, Proverb. IV, 24; et ut ait S. Hieron., Epist. 34, ad Nepot.,

n. 14 : « Neque vero illa justa est excusatio : Referentibus » aliis injuriam facere non possum ; nemo invito audi- » tori libenter refert... Discat detractor, dum te videt non » libenter audire, non facile detrahere.

2° Tripliciter aliquis potest esse auctor detractionis ab alio factæ, in illam positive influendo, ei consentiendo, et simpliciter eam non impediendo. Qui in illam positive influit, ad eam inducendo, provocando, excitando, approbando, non minus peccat quam detractor contra justitiam, *ut patet ;* qui vero in illam positive non influit, sed ei consentit, in illa malitiose sibi complacet, mortaliter etiam peccat, in re gravi, sed contra charitatem et non contra justitiam, ac proinde ad reparationem damni non tenetur. Qui autem in eam non influit, nec ei consentit, sed eam non impedit, cum facile impedire posset, sæpe mortaliter peccat contra charitatem, tum erga detrahentem cujus ruinam spiritualem non impedit, tum erga infamatum cujus famam non curat, sicut rationabiliter vellet ut in simili casu fama sua defenderetur. Ut probabile trademus in Tractatu *de Restitutione* superiores contra justitiam peccare posse, subditos coram se detrahentes non cohibendo, aut de inferioribus detrahentes non impediendo.

Quæritur an liceat legere *libellos diffamatorios.*

Respondet P. *Antoine,* t. III, p. 337 : « Jure naturali » non licet librum famam proximi lædentem, et crimina » vera, sed occulta, sine causa justa pandentem legere, » perinde ac audire detractionem : nam crimini auctoris » libri quodam modo consentit aut cooperatur lector, ut » auditor detractioni. Præterea, quisque rationabiliter » vellet ut liber contra ejus famam injuste scriptus a ne- » mine legeretur. »

Variæ tamen, ex usu et etiam ex quadam necessitate moribus introducta, leguntur ephemerides (*les différents journaux*) famam multorum hominum sæpissime graviter lacessantes et non raro injuste ; sed 1° qui hæc scribunt sæpe graviter peccant contra charitatem et simul contra justitiam ; 2° lectores hujusmodi diffamationibus

fidem adhibere non debent, nisi sufficientia exhibeantur certitudinis motiva; 3° a legendis ephemeridibus diffamationem quasi ex professo facientibus abstinere debet vere Christianus, et *a fortiori* clericus.

§ III. — De revelatione secreti.

Hic seponimus secretum confessionis de quo alibi diximus.

Secretum naturale, de quo nunc agitur, triplex distinguitur : unum ex natura rei, alterum promissum, et tertium commissum.

1° *Ex rei natura*; si quis enim secretum alicujus personæ casu cognoverit, v. g., quia sibi indiscrete fuit revelatum, eam audivit loquentem, litteras non volens legit, etc., ex natura rei ad servandum secretum obligatur sub peccato mortali, in materia gravi, et ex justitia : non tamen cum periculo vitæ, nisi damnum alias imminens esset commune et grave. Ita *Ferraris*, et S. Ligorius, l. 3, n. 970, cum pluribus aliis.

2° *Promissum*; id est, si manifestandi aliquid secreti promittas te servaturum. Hæc promissio graviter vel leviter obligat secundum intentionem promittentis. Ita Salmanticenses, *Sanchez*, card. *de Lugo*, et S. Ligorius, qui putat in dubio neminem sub gravi obstrictum censeri.

3° *Commissum*. Hoc secretum duplici modo committi potest, scilicet expresse vel tacite, ut fit medicis, chirurgis, obstetricibus, theologis consultis, advocatis, secretariis, etc. Evidens est illud obligare ex justitia et sub peccato mortali in materia gravi.

Ad eamdem classem, *Ferraris*, v° *Secret.*, n. 14, revocat amicos et propinquos quibus consilii, remedii vel auxilii obtinendi causa quædam revelantur secreta, quia illa suscipiendo, censentur promittere se ea servaturos.

A fortiori contra justitiam mortaliter peccarent qui revelarent secreta per injustitiam cognita, v. g., litteras fraudulenter aperiendo. Res per se patet.

Quædam tamen occurrere possunt causæ ob quas secre-

tum revelare liceat, scilicet 1ª consensus legitime præsumptus personæ in cujus gratiam servaretur, si nempe judicetur eam, habita ratione circumstantiarum, rationabiliter velle non posse ut secretum servetur; 2ª parvitas rei sub secreto commissæ : tunc revelatio saltem non est gravis; 3ª notorietas rei aliunde acquisita aut semiacquisita : in eo casu secretum obligare non potest sub gravi; 4ª inadvertentia qua fit ut revelans bona fide ignoret rem esse gravem : caveant tamen qui tenentur ad secretum, ne illud ex culpabili levitate prodant; 5ª justa causa revelandi, si nempe secretum servatum vergeret in damnum commune, in grave detrimentum innocentis vel ipsius committentis; quia tunc ordo charitatis postulat ut reveletur, etiamsi juratum fuisset. *Est sententia communis,* inquit S. Ligorius. Hinc qui matrimonii impedimentum sub secreto cognoscit, illud revelare tenetur, si matrimonii nullitatem aliter impedire non possit.

Similiter, ex probabiliori ac communiori sententia, qui secretum sibi commissum servare nequit absque gravi proprio detrimento, illud cum pari committentis damno revelare potest, quia nemo censetur se ad tale onus obligasse, nisi ex circumstantiis id certe appareat. Ita S. Ligorius, citans *de Lugo* et *La Croix*. Excipiunt nisi ex tali revelatione grave secuturum esset damnum commune, quia bonum privatum bono communi cedere debet.

Quærunt theologi an sit mortale rem gravem sub secreto commissam, uni vel alteri viro probo sub eodem secreto revelare. Respondet S. Ligorius, l. 3, n. 971 cum aliis, hanc revelationem esse probabiliter tantum venialem. Sed caveant loquaces ne discrimini mortaliter peccandi facilius se committant.

De violatione litterarum.

1° Litteras alienas, invitis dominis, furtim aperire et legere, communiter est peccatum mortale, nisi parvitas materiæ excuset, quia talis actio ipsis ordinarie graviter est odiosa; et ita sentiunt *Layman*, Navarrus, *Busenbaum*, *La Croix*, *Molina*, *Ferraris* et alii communiter.

Imo litteras dilaceratas, præsertim in ignem, fornacem, vel in alium similem locum projectas, recolligere, coordinare et legere, peccatum est mortale, quia hoc fit domino rationabiliter invito. Æstimat S. Ligorius, l. 5, n. 70, § 6, colligere et legere, ex mera curiositate, fragmenta in locum publicum projecta, peccatum esse veniale, quia probabile est dominum non magni facere secreta hujusmodi litterarum : secus, si constaret eas ab alio, inscio domino, dilaceratas et projectas fuisse, aut si casu perditæ fuissent.

2° Qui secreta alterius scripta furtive legit, eo invito, peccat etiam contra justitiam, quia unusquisque habet jus secreti in scriptis suis quæ non vult aliis esse communia, et peccatum potest esse mortale, si nempe hoc fiat cum notabili damno proprietarii, vel cum gravi ipsius displicentia. Ita card. *de Lugo, Busenbaum*, S. Ligorius, etc.

3° Qui alterius litteras vel scripta injuste legens, cognoscit medium secretum quo ad munus, officium vel lucrum erat perventurus, et sic instructus eum prævenit et supplantat, sive per se, sive per alium, evidenter et juxta omnes peccat contra justitiam, ac restituere tenetur pro ratione probabilitatis successus et damni illati.

4° Item contra justitiam peccat et ad restitutionem tenetur, qui dolose retinet alienas litteras quas ex officio vel contractu tradere debet, si ex mora sequatur damnum ; quia illius est causa injusta.

5° Non raro tamen alienas litteras aperire licet, aut saltem non est grave peccatum, nempe 1° si adsit consensus eas scribentis vel ejus ad quem mittuntur; 2° si legitima adsit præsumptio ratihabitionis futuræ, id est, si legens rationabiliter præsumat scribentem vel eum ad quem litteræ mittuntur hoc scientem non ægre laturum esse ; 3° si necessarium sit ad avertendum proprium vel alienum damnum injustum, quia sibi vel alteri innocenti consulere licet contra injustum damnificatorem : sic princeps et dux exercitus litteras hostium vel aliorum ex finitimis hostium venientium licite aperiunt : item ministri publici quando bono publico necessarium esse

judicant; pater litteras filiorumfamilias præsertim minorum, superiores litteras subditorum, etc.; 4° si rationabiliter præsumatur eas nihil gravis momenti continere.

6° Superiores monasteriorum litteras inferiorum ad superiores majores, vel superiorum ad inferiores, pœnitentium ad confessarios et confessariorum ad pœnitentes, aperire, legere, impedire aut retardare non possunt, absque gravi peccato, quia per hoc fraterna charitas turbaretur, et bonum religionis impediretur. Unde Clemens VIII, decreto diei 26 maii 1593, recensuit inter casus reservabiles malitiosum impedimentum, retardationem aut apertionem litterarum a superioribus ad inferiores, et ab inferioribus ad superiores.

7° Scribere ad superiorem litteras anonymas quibus occulta alicujus subjecti delicta ei manifestentur, in spiritu charitatis, ad correctionem, nullum est peccatum, et superior sic admonitus ad disquisitionem delictorum sibi indicatorum procedere potest; sed idem facere ex odio aut vindicta, est peccatum ex genere suo mortale, ut expresse docet *Ferraris* cum aliis pluribus, et res clara videtur.

ARTICULUS TERTIUS.

DE DETRACTIONE JUDICIALI.

Detractio judicialis ea est quæ fit per sententiam criminalem vel correctionalem, qua scilicet fama alterius tollitur, minuitur vel læditur; quod fieri potest juste vel injuste : nobis igitur dicendum est de iis qui ad sententiam judicialem concurrunt, nempe 1° de judice, 2° de accusatore, 3° de testibus, 4° de reo, et 5° de advocato.

§ I. — De judice.

Judex, sic dictus quia jus dicit populo, est persona auctoritate publica constituta ad reddendam justitiam omnibus subditis juxta regulas legis et ordinem ab ea præscriptum.

Alius est ecclesiasticus, nunc apud nos de solis spiritualibus judicans; et alius civilis, judicans de temporalibus, id est de litibus inter privatos, de delictis et criminibus.

Lites moveri possunt circa ea omnia quæ pretio æstimantur, ut bona fortunæ, jura ad ea obtinenda, et fama.

Delicta, a verbo *delinquo,* sunt transgressiones legum et præscriptionum civilium; crimina sunt facta bonis moribus et ordini sociali opposita.

Tribunalia nunc apud nos existentia sunt justitia pacis, in unoquoque districtu (*canton*); tribunal primæ instantiæ, in singulis præfecturis et subpræfecturis, pro litibus judicandis et pœnis correctionalibus infligendis; curia imperialis in viginti septem civitatibus, ad quam fit appellatio a tribunalibus primæ instantiæ. In singulis præfecturis quater in anno sedet pro causis criminalibus curia dicta *d'assises,* cui præest membrum curiæ imperialis respective a Ministro justitiæ designatum. Existit præterea suprema curia Parisiis sedens, vulgo *cour de cassation,* quæ sententias curiarum *d'assises* et curiarum imperialium ad se per appellationem delatas ultima vice confirmat, vel nullas esse defectu formarum pronuntiat et in alia curia, quam designat, causam iterum judicandam esse decernit.

Omnes judices ab imperatore nominantur.

Pro judicandis criminalibus causis adhibetur corpus duodecim notabilium civium, vocatum gallice *jury,* cujus membra dicuntur *jurés,* a voce latina *juratus,* quia juramentum præstant. Pronuntiare debent circa existentiam facti et culpabilitatem accusati : postea judices pœnam decernunt.

His notatis, dicemus de obligationibus judicis 1° relative ad se, 2° relative ad leges, 3° relative ad accusatum, et 4° de obligationibus juratorum.

De obligationibus judicis relative ad se.

Ut judex officio suo sæpe valde difficili, illæsa conscientia, fungi possit, plures habere debet dotes non mediocres, videlicet : intelligentiam non communem, ut causas intricatas, argumentis colitigantium et advocatorum obscuratas, recte percipiat; 2° scientiam sufficientem ut omnes circumstantias juris et facti advertat : ignari igitur et hebetes officium judicis tuta conscientia suscipere non possunt; 3° animi fortitudinem, ut nec odio, nec amori, nec desiderio vindictæ, nec promissionibus, nec precibus, nec minis cedat, sed solum conscientiæ dictamen sequatur, juxta hæc Scripturæ verba, Eccli. VII, 6 : *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua;* 4° morum gravitatem et integritatem, ut alios in æquitate judicans, ipsis bonum præbeat exemplum.

Hinc qui ex imperitia, vel negligentia in discutienda et examinanda causa, male judicat, contra justitiam mortaliter peccat et ad reparationem totius damni inde secuti obligatur : nec absolvi potest, nisi aut muneri suo renuntiet, vel scientiam competentem acquirat, et sufficientem diligentiam se deinceps adhibiturum sincere promittat.

De obligationibus judicis relative ad leges.

1° Tenentur judices secundum leges et ordinem a legibus præscriptum sententiam ferre; non enim constituuntur ad leges mutandas aut reformandas, sed ad eas exsecutioni mandandas : ergo eas stricte sequi debent, nisi evidenter essent injustæ, quo in casu a judicando abstinere tenerentur. Hinc peccat judex qui, misericordia motus, absolvit nocentem, vel minorem imponit pœnam quam quæ a legibus fuit constituta. Secus tamen dicendum foret de judice qui spiritum legis potius quam verba sectaretur, habendo rationem ætatis, conditionis, fortunæ, etc., ut mitiorem vel graviorem decerneret pœnam.

2° Si, omnibus sedulo perpensis, crimen maneat dubium, accusatus condemnari non potest; melius est enim reum dimittere inultum quam punire innocentem. *Ita omnes.* In materia civili pronuntiandum est in favorem possidentis, juxta axioma : *Melior est conditio possidentis.* Si neuter adhuc possidet, res inter utrumque dividenda est.

3° In casibus a lege prætermissis vel obscure tantum expressis judices agere debent secundum dictamen legis naturalis, quæ est æterna et universalis, ac in multis supplere debet legibus positivis : falsum est igitur eos modo prorsus arbitrario judicare posse.

4° Gravis inter theologos movetur quæstio, an scilicet judex condemnare possit accusatum juridice convictum, cujus innocentiam scientia privata cognoscit. Fatentur 1° eum absolvere teneri accusatum non sufficienter convictum, quamvis certissime sciat illum esse reum, puta, quia propriis oculis eumdem vidit crimen patrantem; tenetur enim judicare secundum allegata et secundum formas a lege præscriptas : multo minus est periculum in dimittendo reum occultum, et multum adesset in violando formas judicandi consuetas. 2° Conveniunt eum damnare posse ac teneri accusatum juridice convictum, cujus innocentiam suspicatur, si eam non habeat ut certam, nec probationes allegatas destruere possit; nam judiciarius ordo subverteretur si magistratus, ob privatam et fallibilem notitiam, ab allegatis et probatis recedere posset.

Tota igitur difficultas est an judex, perfecte sciens accusatum esse innocentem, ad sententiam condemnationis ejus cooperari possit, supposito quod exterius plene sit convictus, et innocentiam ejus nulla ratione patefacere valeat. Affirmat S. Th. 2 2, q. 64, art. 6, ad 3, et cum illo Cajetanus, Sotus, Paludanus, *Covarruvias*, *Sanchez*, etc., *quia*, ut ait S. Th., non ipse *occidit innocentem*, *sed illi qui eum asserunt nocentem.* Aliunde, judex condemnans officio suo fungitur et gravissimam adimplet obligationem, videlicet obediendi formis lege statutis, sine

quibus ordo societatis turbaretur. Negant vero S. Bonaventura, Lessius, Sylvius, *Pontas*, S. Ligorius, l. 4, n. 208, et alii multi, dicentes damnare innocentem, ut talem certo cognitum, esse intrinsece malum et nulla ratione fieri posse licitum. Lex quidem nonnullas præscripsit formas ordinarie sequendas ne judex, aliter agendo, facilius erret et injuste pronuntiet. Sed dici non potest formas sapienter institutas ad protegendum injuste vel insufficienter accusatos, imponere obligationem judici sententiam damnationis pronuntiandi contra innocentem ut talem certo cognitum, licet injustis testimoniis juridice convictum. Cæterum, gravis hæc difficultas nunc apud nos non existit : *juratorum* enim est, et non judicum, accusatum declarare reum vel innocentem, et judices tantummodo pœnam lege determinatam applicant ei qui declaratur reus : supposito quod innocens a juratis declaratus fuerit reus, judices, pœnam ei, juxta legem, applicando, ferunt quasi speculativam decisionem circa casum *criminalitatis* sibi propositum, et damnum illius qui sic condemnatur eis imputari non potest. Jurati autem suam conscientiam semper sequi possunt et tenentur.

Multi, ut *Busenbaum* alios plures citans, *Ferraris*, S. Ligorius, arbitrantur in causis civilibus et criminalibus minoribus, ubi agitur tantum de pœnis pecuniariis, judicem judicare posse secundum allegata et probata, contra propriam scientiam, tum quia innocens per appellationem restitui poterit in integrum, tum quia bonum publicum cui cedere debet bonum privatum, exigit ut forma judiciorum publicorum non subvertatur. Hæc opinio est communior et sat probabilis videtur ut judex eam sequens inquietari non debeat.

De obligationibus judicis relative ad accusatum.

1° « Quoniam natura et ratio judicii illud exposcit ut » sententia in subditos duntaxat feratur, » ut ait concil. Trid., sess. 14, cap. 7, requiritur ante omnia ut judex habeat jurisdictionem in eos de quibus judicat, alioquin sententia non esset tantum illicita, sed nulla.

2° Judex tenetur quamprimum accusatum interrogare ac judicare, et lites ad se delatas terminare, quia partes habent jus ut judicium sine legitima causa non differatur : si ergo, ex dilatione injusta, damna vel majores sequantur expensæ ex justitia reparandæ sunt.

3° In examinandis ac terminandis litibus debitam adhibere debet diligentiam, ut, quantum in se est, rem cum omnibus circumstantiis suis apprime noscat : deinde ferre debet sententiam secundum suam conscientiam et absque ullo respectu ad personas; non despiciat pauperes, nec timeat divites aut potentes, sed judicet in æquitate, memor supremi Judicis cuncta judicia terræ aliquando reformaturi.

4° Judex nullum munus aut præmium accipere potest pro ferenda sententia, sive justa, sive injusta : non pro justa, siquidem eam debet, et acciperet sine titulo; nec pro injusta quæ nulla ratione vendi potest : idcirco quod sic acciperetur, procul dubio restituendum esset. Unde in Codice pœnali, art. 170 et seq., omnis magistratuum corruptio per dona aut promissiones gravibus plectitur pœnis, tum in corruptis, tum in corrumpentibus.

Communiter tamen excipiuntur levia munuscula sponte oblata in quibus non est periculum corruptionis, quia cessante causa prohibitionis, ipsa cessat prohibitio. Unde Clemens VIII, in Sexto, l. 1, tit. 3, cap. 11, § *Insuper*, statuit ut judices nullum munus vel quidquid aliud accipiant « nisi forsan esculentum, vel poculentum, mera libera- » litate oblatum, quod paucis consummi possit diebus. »

De obligationibus juratorum (jurés).

Institutio juratorum ab Anglis sumpta, in gratiam accusatorum fuit creata, ut factum a duodecim viris gravibus sorte designatis, nullo affectu maligno erga accusatum ut plerumque sibi ignotum ductis, examinatum ac ponderatum, certius agnoscatur, et securitas societatis cum juribus accusatorum tutius concilietur.

Qui in catalogo juratorum lege statuto inscripti sunt et

sorte ad sessionem curiæ dictæ *d'assises* designantur, munus sibi delatum summi esse momenti sciant, cum de maximis reipublicæ et privatorum commodis sæpe sibi oppositis simul agatur, et sententia judicum ex illorum declaratione necessario ferenda sit : studeant ergo tanti ponderis officio recte fungi, nihil advertentes aut considerantes, præter rei veritatem et propriæ conscientiæ dictamen : secus agentes, perjuri fierent, contra justitiam mortaliter peccarent, et onus damnum reparandi sæpe induerent.

§ II. — De accusatore.

1° Monitio fraterna, denuntiatio fraterna, denuntiatio juridica et accusatio, inter se differunt. Monitio fraterna fit ipsi delinquenti, ut monitus vel perterritus se emendet et offensis satisfaciat; denuntiatio fraterna fit superiori ut reum corrigat; denuntiatio juridica fit magistratui, v. g., procuratori imperiali, ut reus requiratur, puniatur, ad debitam satisfactionem adducatur, sine obligatione crimen aut delictum probandi : accusatio vero importat obligationem factum allegatum probandi.

2° In his quæ ad bonos mores et ordinem publicum spectant, solus procurator imperialis proprie est accusator coram tribunalibus vel curiis appellationis, et onus allegata probandi suscipit : si judices aut juratos convincere nequeat, reus absolvitur, et ipse non reprehenditur, nisi forte convinceretur ex mala fide egisse, corruptum fuisse, etc. Cod. pœn. art. 175 et seq.

3° Qui crimina vel delicta procuratori imperiali denuntiaverunt, citari solent ut testes, et, præstito juramento, quæcumque viderint, audierint vel aliter sciverint, ante tribunal declarare tenentur, atque si falsi deprehenderentur testes, ad gravissimas damnarentur pœnas in Cod. pœn. art. 361 et seq. statutas.

4° Olim quilibet privati lege non prohibiti (ut erant excommunicati, proditores, infames, filii erga parentes, servi erga dominos, et clerici in causa sanguinis) reum accusare poterant et quandoque tenebantur in conscien-

tia, sed in scriptis tantum et cum onere allegatum probandi, sub pœna talionis, id est, eamdem subeundi pœnam ad quam damnatus fuisset accusatus convictus. Hæc consuetudo fuit reformata.

5° Verum qui crimina vel delicta in detrimentum reipublicæ vergentia cognoscunt, et ea procuratori imperiali non denuntiant, graviter peccant, nisi legitima causa excusentur, ut filii respectu parentum, conjux respectu compartis, servi respectu dominorum, clerici ubi agitur de sanguine, et alii qui officium denuntiatoris exercere non possunt absque gravi sui vel aliorum detrimento : excipitur casus in quo majus adhuc esset malum impediendum, v. g., proditio patriæ vel principis.

6° Attamen privati denuntiationem, quam pro bono societatis ordine facere deberent, omittentes, contra justitiam non peccant ; secus vero procurator imperialis reum non requirens nec accusans, cum debeat ; item publici officiales principis, ut custodes sylvarum vel agrorum, vectigalibus præpositi, etc., quia ad damna in bonis sibi commissis impedienda aut præcavenda ex officio suo tenentur.

7° In causis civilibus pars quæ jus suum prosequitur vel satisfactionem postulat ut sibi debitam, probare tenetur quod affirmat, alioquin causa excidet et ad solvendas expensas damnabitur; hocque juri naturali maxime congruit, attento foro externo de quo hic tantum agitur.

§ III. — De testibus.

Hic non loquimur de qualitatibus et numero testium, de modo eos citandi et interrogandi, de valore testimoniorum, etc. ; hæc enim ad forum externum pertinent.

1° Qui in judicium non fuit appellatus, non tenetur ex justitia ad testificandum se offerre, ut omnes fatentur : sed quandoque tenetur ex charitate, v. g., si testimonio suo innocentem facile liberare possit, gravem injustitiam impedire, damni reparationem procurare, etc.

2° Testis legitime citatus tenetur sub peccato mortali

coram justitia se sistere, juramentum art. 75 Codicis de *instructione criminali* præscriptum emittere, videlicet totam veritatem et nihil præter veritatem dicendi, deinde interrogationibus simpliciter juxta suam conscientiam respondere. Si falsum scienter dicat, est perjurus, justitiæ violator, ad reparationem damni obligatus, et gravissimis pœnis art. 361 et seq. Cod. pœnalis statutis plectendus. Si autem fugiat ne citetur, aut citatus non compareat, aut comparens non respondeat, aut veritatem sibi notam taceat, graviter peccat contra charitatem, et, juxta multos, contra justitiam, aliis tamen multis negantibus, ut in Tractatu *de Restitutione* dicemus.

3° Jure naturali a ferendo testimonio eximuntur 1° qui rem sciunt sub secreto confessionis vel sub secreto naturali, ut medicus, advocatus, theologus, etc., et respondere possunt se nescire, subintelligendo, ad revelandum, *ut supra diximus;* 2° qui rem accepit a viris non fide dignis, quia testimonium suum nullius esset roboris : *ita communiter theologi :* rectius tamen agere nobis videretur si rem simpliciter narraret ut eam novit; 3° qui scit alterum mortaliter non peccasse, judex enim censetur interrogare de delicto graviter culpabili; 4° qui ex testificatione sua, grave sibi vel suis damnum prævidet adventurum, nisi avertendum sit damnum publicum, vel proximi longe gravius; 5° pater, filius, conjux, fratres et sorores aliique consanguinei et affines in primo et secundo gradu, ut generaliter docent theologi. Quidam volunt exceptionem admittendam esse usque ad quartum gradum : silent leges nostræ circa has exceptiones; quoad famulos et domesticos, tenet P. *Antoine* sequendam esse praxim in foro contentioso receptam, et citatos atque interrogatos respondere teneri; 6° infantes, pueri, amentes et ii omnes qui plenum rationis usum non habent, quia testimonii alicujus ponderis sunt incapaces. In Codice instructionis crim., art. 79, statuitur infantes utriusque sexus annos quindecim nondum natos, audiri posse per declarationis formam, absque juramenti præstatione.

4° Testis in supradictis casibus aliisque similibus ju-

dici interroganti respondere non tenetur; subterfugere, tergiversari potest et etiam dicere, si a responsione abstinere nequeat, se nescire, scilicet ad dicendum.

5° Qui falsum malitiose deposuit, tenetur ex justitia falsum testimonium revocare cum pari suo damno, etiam cum periculo vitæ, si accusatus, vi testimonii falsi, ad mortem fuerit damnatus. Qui vero ex ignorantia invincibili, inadvertentia aut oblivione inculpabili falsum declaravit, tenetur quidem id quod dixit retractare et damnum eo modo quo potest impedire, non vero illatum reparare, nec grave detrimentum ad tollendam causam inculpabiliter positam subire, cum non peccaverit. Si autem venialiter peccavisset, teneretur et testimonium reformare et damnum ex parte peccato veniali correspondenti reparare, secundum dicta in Tractatu *de Restitutione*.

2° Qui falsos adhibent testes, procul dubio contra justitiam peccant, et damnum, si quod inde sequatur, reparare primario tenentur; item qui falsa conficiunt instrumenta aut vera adulterant, sicque injustam obtinent sententiam. Res patet.

Qui scripturam, chirographum, apocham, supponit aut adulterat, etiam ad supplendos actus perditos et ad jus certum prosequendum, vel hujusmodi actibus falsis aut falsificatis utitur in judicio, mortaliter peccat, quia legem positivam id sub gravissimis pœnis prohibentem, Cod. pœn. art. 145 et seq., transgreditur, judices in re gravi decipit et bonam fidem in societate prorsus necessariam, quantum in se est, subvertit. Non tamen ad restitutionem tenetur, modo nihil ultra jus suum certum obtinuerit, et injustum damnum non intulerit. Secus teneretur, ut evidens est.

§ IV. — De reo.

1° Reus, sic dictus a *re* quæ petitur vel super qua convenitur, sive sit convictus, sive non, non tenetur ultro se accusare, nec scripturas aliave instrumenta contra se subministrare; imo potest ea occultare vel destruere, sicut potest se abscondere, fugere et sui apprehensionem

vitare, quia sic agendo tantummodo se defendit per media licita.

2° Apprehensus et incarceratus adhuc fugere potest, sive ante, sive post sententiam mortis, triremium, exsilii vel carceris perpetui, nisi forte bonum publicum contrarium postularet, quia repugnat aliquem, bono publico id non exigente, gravem teneri subire pœnam afflictivam quam vitare potest. *Ita communiter doctores.* Imo probabilius fugere posset, etiamsi custos carceris grave damnum inde passurus esset, nisi promisisset se mansurum esse, quia jure suo utitur, et in damnum alterius positive non influit, sed tantum occasionaliter. Sic Lessius, *Busenbaum, Lacroix, Ferraris*, etc., qui concedunt etiam illum artibus decipere posse custodem, modo non mentiatur; carcerem effringere, licet alii captivi per effractionem simul elabantur; nec probabiliter damnum ex effractione proveniens reparare teneri, quia cum finis sit licitus, ex suppositione, media quæ per se mala non sunt debent pariter esse licita. S. Ligorius idem sentit, excepto casu quo ipse carcer, non in momentaneam custodiam sed in pœnam fuisset per sententiam assignatus.

Plures tamen, inter quos Navarrus, Sylvester, Cajetanus, S. Ligorius, negant reum, cui carcer etiam perpetuus per sententiam fuit assignatus in pœnam tuta conscientia fugere posse, quia datur ipsi obligatio in pœna justa sistendi, nisi forte ei non subministrentur necessaria ad sustentationem, vel carcer sit nimis tristis, «quia » videtur supra vires humanas aliquem obligari ad se non » liberandum, cum possit sine vi et resistentia, a pœna » valde dura, » inquit S. Ligorius, l. 4, n. 280. Nos vero in utroque casu reum e carcere fugientem, absque vi et alterius injuria, damnare nollemus, præcise ob rationem a S. Ligorio allegatam, quæ in priori sicut et in posteriori applicanda nobis videtur.

3° Qui non sunt ministri justitiæ reum adjuvare possunt ut fugiat, non solum consilio et exhortationibus, sed instrumentis, puta, funibus, lima, vestibus ad habitus mutationem, etc., quia finem alicui licitum suadere

atque media licita ad eum consequendum proponere licet. Non tamen eum in effractione carceris adjuvare liceret, alioquin omnis securitas carcerum tolleretur. *Est communis sententia.*

Merito excipiuntur justitiæ ministri, qui contra suum officium agerent. Excipiendus est pariter confessarius, qui licentia carcerem introeundi abuteretur, si reos ad fugiendum quocumque modo adjuvaret.

4° Reus non legitime interrogatus crimen suum fateri non tenetur, sed verbis ambiguis aut aliqua restrictione mentali in bono sensu intellecta utendo, judicem eludere potest, modo stricte non vinciatur; quia judex non habet jus confessionem ejus obtinendi, nisi juridice procedat. Unde si judex non sit legitimus, si potestas ejus sit dubia, si a seipso et absque prævia accusatione saltem virtuali interroget, si non præcesserit semiplena probatio, aut infamia, et manifesta non exstent criminis indicia, reus non tenetur respondere, quia non legitime interrogatur, et prius exigere potest ut status causæ cum probationibus, indiciis, testibus, sibi manifestetur. *Sic omnes theologi.*

5° Si reus juridice quidem interrogetur, sed ex falsa delicti præsumptione, v. g., an tali nocte exierit cum ense, negare potest, delicto non admisso, subintelligendo se ad delictum non exiisse, aut delictum non commisisse, quia si judex veritatem sciret, eum damnare non posset: non ergo proprie decipitur. Ita *Busenbaum*, *La Croix*, *Ferraris*, S. Ligorius, etc., contra plures alios qui hic vident restrictionem stricte mentalem.

6° Reus juridice interrogatus de crimine aut delicto a se vere commisso, veritatem simpliciter confiteri tenetur sub mortali, si nulla sit spes evadendi, juxta omnes, et etiamsi alias esset spes evadendi, juxta communem sententiam; quia judex habet jus veritatem a reo petendi: repugnat autem reum simul habere jus eam negandi.

Probabile tamen videtur Lessio, *Busenbaum*, *La Croix*, S. Ligorio, etc., eum ad talem confessionem non obligari ubi aliqua spes evadendi affulget, et de gravi pœna agi-

tur; durior enim esset lex qua aliquis teneretur sub peccato seipsum ad gravissimam pœnam damnare, crimen suum confitendo, nisi bonum publicum id exigeret. Imo, in præsenti rerum statu apud nos viginti, ex quo rei ad juramentum non astringuntur, nec interrogantur ut ex confessionibus judicentur, bene vero ut in contradictionem injiciantur et judices vel jurati convictionem obtineant, qui mentitur mortaliter peccare non videtur; non enim peccat contra juramentum, sicut olim, cum non juret; nec contra obligationem veritatem fatendi, siquidem id ab ipso non exigitur nec postulatur.

Cæterum omnes fatentur confessarium relinquere posse et debere in bona fide reum crimen suum in eo casu negantem, si spes eum ad revelationem adducendi non affulgeat; tunc enim monitio obesset et prodesse non posset.

Item reus qui crimen suum injuste negavit, ad illius manifestationem non est addicendus post latam sententiam, quia finito judicio finitur obligatio, inquiunt cum *Layman* et aliis pluribus, *Busenbaum*, *La Croix* et S. Ligorius; et si, non obstante sua negatione, ad supplicium damnetur, confessarius probabilius exigere non potest ut publice vel private se retractet. *Ferraris*, v° *Reus*, n. 30.

Advertendum tamen quod, si ex negatione delicti injustum sequeretur damnum erga alterum, reparandum esset.

7° Reus qui metu tormentorum falsum sibi imposuit crimen quo plectendus est morte, mortaliter peccat, secundum P. *Antoine*, quia directe et positive in injustam sui occasionem influit; venialiter tantum peccaret, nempe mendacio, juxta multos alios, quia nemo tenetur cum tantis tormentis propriam tueri vitam. Verum hæc quæstio pure speculativa facta est apud nos, ex quo interrogatio per tormenta feliciter abolita est sicut et juramentum ab accusatis emittendum omnem dicendi veritatem. Bened. XII jam statuerat, in concilio Romano, juramentum per reos criminaliter inquisitos præstandum, tollendum et submovendum esse, sic præludens dispositioni in legibus nostris sapienter adoptatæ.

8° Si reus habuerit complices qui remanserint occulti,

et aliis indiciis vel testimoniis convinci non possint, eos manifestare non debet nec potest, nisi bonum publicum vel justitia erga tertium contrarium postularet. *Sic communiter theologi, et ratio patet.* Secus, non magis pro illis quam pro seipso veritatem celare posset.

9° Accusatus, etiam prorsus innocens et alias mortem injustam passurus, falsum crimen testibus sibi adversis imponere non potest ad elidendam eorum calumniam, quia non sunt facienda mala ut eveniant bona. Unde Innocentius XI hanc damnavit propositionem : « Probabile est non peccare mortaliter qui imponit alteri falsum crimen ut suam justitiam et honorem defendat. » Crimina vero realiter existentia, sed occulta, revelare posset, ad infirmandum eorum testimonium injustum. Hæc decisio probabilius extendi potest ad accusatum non innocentem, sed cujus crimen est occultum ; tunc enim jus habet ad suum honorem : illum ergo contra accusatorem aut testem ad probandum insufficientem etiam occulta crimina ejus revelando defendere potest, quia in eo casu accusans aut testis reputatur in jure calumniator. Ita S. Ligorius, cum pluribus, l. 4, n. 285.

10° Pœna autem capitis damnato non illicitum est, ut diutius vivat, appellationem interponere vel ad gratias recurrere, etiamsi sententia ipsi videretur justa. *A fortiori* si sententia ipsi appareret injusta aut extra formas legales lata, scilicet, non servatis regulis lege statutis, aut si dubia esset, quia in tali incertitudine licitum est judicio superioris tribunalis se committere. Sic *Busenbaum, La Croix,* S. Ligorius, l. 4, n. 285, etc.

§ V. — De advocato.

1° Non omnes indiscriminatim officium advocati exercere possunt ; quidam enim lege civili prohibentur; nempe ii omnes qui in elencho advocatorum non fuerint inscripti ; et alii qui legibus ecclesiasticis arcentur, scilicet monachi, clerici in sacris Ordinibus constituti, et etiam simplices clerici beneficium ecclesiasticum possi-

dentes, ut expresse habetur in Decret. l. 1, tit. 37, cap. 1 et 2, et omnes docent theologi, notanter Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 13, cap. 10, n. 12. Excipitur nisi propriam causam vel ecclesiæ suæ fuerint secuti, aut pro miserabilibus personis quæ propria negotia gerere non possunt, gratis causam agant, vel in causa criminali defensionem innocentis suscipiant.

2° In materia criminali, procurator imperialis reum dubium accusare non potest, et accusationem incœptam derelinquere tenetur; nam in dubio judices pœnam decernere non possunt: ergo nec minister publicus eam prosequi debet, alioquin judices ad iniquam sententiam impelleret.

3° In materia civili, nec dictus procurator nec alius advocatus causam certo injustam sustinere queunt, et si eam defendendo, injustam obtineant sententiam, onus damnum reparandi, defectu eorum in quorum gratiam cedit sententia, incurrunt, *ut patet*.

4° In dubio partem etiam minus probabilem suscipere possunt defendendam, modo judicent eam esse vere probabilem, quia sperare possunt fore ut veritas elucescat et judices eam judicaturi sint probabiliorem.

5° Advocatus a cliente interrogatus tenetur causam examinare cum diligentia rei gravitati proportionata, fidelitatem ei servare, causæ justitiam vel injustitiam aperire, probabilitatem eam obtinendi vel perdendi cum simplicitate indicare, alioquin sumptus ad quos eum impulisset resarcire teneretur.

6° Abstinere debet a fraudibus, falsis probationibus, conviciis aliisve mediis injustis contra partem adversam; nam tunc injuriam ei faceret eamque reparare deberet.

7° Si causam in bona fide susceperit saltem ut probabilem, et in decursu processus advertat eam esse certo injustam, clienti suadere debet ut desistat, si possit; sin autem, litigare potest ut honorem suum non lædat, sed ita ut judicibus fucum non faciat: nemo quippe talem illius agendi rationem merito redarguere potest.

8° In causa vero criminali advocatus defendere potest

accusatum cujus crimina certo cognoscit, quia sicut reus pœnam quam meruit tuta conscientia declinare potest, sic et advocato licitum est quærere media impediendi ne convincatur, modo nec mendacio nec aliis fraudibus utatur.

9° Advocatus tenetur ex justitia competentem scientiam habere, causam cum debita diligentia prosequi, ad eam defendendam convenienter se præparare, media eam defendendi parti adversæ non revelare, eam in dilationes clienti damnosas non protrahere, etc. Unde contra justitiam graviter peccat qui non peritus aut non satis idoneus, v. g., qui facultate loquendi modo ad persuadendum idoneo non est præditus, nihilominus officium advocati suscipit, aut susceptum negligit vel male adimplet.

10° Nihil accipere potest ultra justum pretium, scilicet taxatum ubi existit, et si non existat taxatum judicio prudentium determinatum, habita ratione negotii, peritiæ advocati, laboris quem impendit et consuetudinis receptæ : quod tale pretium excedit, est injustum, nec permittitur advocato pacisci cum cliente de aliqua rei parte si vincat, ne fraudibus detur locus. Sic cum *Busenbaum, La Croix*, S. Ligorius, P. *Antoine, Ferraris*, etc.

In extrema vel gravi necessitate pauperum, tenetur advocatus ex charitate et sub peccato mortali gratis eis patrocinari, sicut medicus et chirurgus opem eisdem ægrotantibus ferre debent. *Ita omnes.*

FINIS TRACTATUS DE DECALOGO.

TRACTATUS

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

Ex probatis in Tractatibus *de vera Ecclesia* et *de Legibus*, constat Ecclesiam accepisse a Christo potestatem condendi præcepta sub peccato mortali obligantia; constat insuper, ex variis juris canonici partibus, multas hujusmodi leges seu præcepta existere tum respectu fidelium, tum respectu clericorum, tum respectu omnium simul.

Præcepta Ecclesiæ generalia clericos et fideles simul obligantia reducuntur ad sex, quæ habent pro objecto festorum sanctificationem, auditionem Missæ diebus dominicis, confessionem annualem, communionem paschalem, jejunium Quatuor Temporum, Vigiliarum et Quadragesimæ, ac tandem abstinentiam a carnibus diebus veneris et sabbati.

Sufficienter egimus de auditione Missæ ubi de tertio Decalogi præcepto disseruimus, de confessione annuali et communione paschali in specialibus *de Pœnitentia* et *Eucharistia* Tractatibus. Restat igitur ut in triplici capite agamus 1° de festorum sanctificatione, 2° de jejunio ecclesiastico, et 3° de abstinentia a carnibus.

CAPUT PRIMUM.

DE FESTORUM SANCTIFICATIONE.

Hic breviter dicemus 1° de potestate instituendi festa, 2° de eorum objecto, 3° de præcipuorum Ecclesiæ festorum numero et institutione, et 4° de ritu ea celebrandi.

ARTICULUS PRIMUS.

DE POTESTATE INSTITUENDI FESTA.

1° Nullus catholicus dubitare potest quin sit in Ecclesia potestas instituendi festa sub peccato mortali obligantia; nam 1° Synagoga in veteri Lege plures sua auctoritate instituit solemnitates in commemorationem quorumdam factorum insignium, v. g., festum diebus 13 et 15 mensis *adar* celebrandum in memoriam liberationis Judæorum tempore Mardochæi et Esther, Esth. IX, 17 et seq.; festum ob victoriam ab Hebræis, post occisionem Holofernis, in Assyrios reportatam, Judith, XVI, 31, et festum Dedicationis templi post ejus purificationem sub Juda Machabæo, I Machab. IV, 59. Porro Ecclesia eamdem saltem habere debet potestatem circa festa quam habuit Synagoga. 2° Cum Ecclesia privilegio infallibilitatis gaudeat, sibi attribuere non potest potestatem quam non haberet : at semper sibi attribuit potestatem instituendi festa, etiam in primis suæ existentiæ temporibus; nam, præter dominicam, Pascha et Pentecosten ab ipsis Apostolis instituta, longe ante S. Aug., plura jam existebant festa auctoritate Ecclesiæ statuta, ut ipse ait S. Doctor his verbis, Epist. 54 : « Illa autem quæ non scripta, sed » tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe » servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel » plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima » auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti » quod Domini passio et resurrectio, et ascensio in cœ» lum, et adventus de cœlo Spiritus sancti anniversaria » solemnitate celebrantur. » 3° Martyres, etiam a primis sæculis, cultu religioso certis diebus honorati sunt, ut Historia ecclesiastica aperte constat; porro eorum cultus sola auctoritate Ecclesiæ fuerat approbatus et certis diebus assignatus : ergo.

Attamen voluit Ecclesia inter hæc festa, alia observanda esse sub gravi peccato, tum a clero, tum a populo,

alia tantum in officio canonico; alia vero simpliciter permisit in variis locis.

2° Papa et concilium generale festum pro universa Ecclesia instituere possunt, quia universalem habent jurisdictionem; episcopus autem, licet propria auctoritate novum condere non valeat officium, jure communi novum posse instituere festum supponitur in Decretal. l. 2, tit. 9, c. 5, ubi agitur *de solemnitatibus quas singuli episcopi in suis diœcesibus cum clero et populo duxerint venerandas.* Ex diuturna consuetudine nunc non requiritur consensus populi, sed consensus capituli, ubi festum instituendum a solo capitulo vel per totam diœcesim fuerit modo permanente celebrandum. Attamen, ne dies festi nimia facilitate ultra modum multiplicarentur, Urbanus VIII, Const. *Universa*, § 3, episcopos monuit in Domino ut futuris temporibus ab indictione novorum festorum de præcepto abstinerent.

Quamvis ad laicos non pertineat indicare festa religiosa cum obligatione ea sanctificandi, suprema civilis auctoritas tamen est consulenda, et consensus ejus est exquirendus, tum ad præcavendas turbas in populo, tum quia festum de præcepto retrahit populum a labore. Imo S. Cong. Rit. definiit, diebus 2 mart. 1602 et 21 aug. 1604, nova festa de præcepto servanda institui non posse invito populo, et simul populum, qui aliquod festum ab Ecclesia institutum, sed non præceptum, sponte voluerit observare, non esse prohibendum. *Ferraris*, v° *Festa*, n° 10. Collator Andeg. advertit, t. IV, p. 282, consensum principis, hodie gubernii, nunc exquiri loco consensus populi.

3° Qui facultatem festa instituendi habent, possunt eo ipso festa a se vel a prædecessoribus suis instituta mutare aut totaliter supprimere. Unde 1° card. *Caprara* optime potuit anno 1802, die 9 aprilis, ex speciali summi Pontificis Pii VII delegatione, omnia festa, extra dominicas, tunc in Galliis existentia, præter Nativitatem et Ascensionem Domini, Assumptionem beatæ Mariæ Virginis et festum Omnium Sanctorum, supprimere, declarando fideles ex tunc absolutos esse a præceptis audiendi Mis-

sam, vacandi ab operibus servilibus et jejunandi in diebus dicta festa præcedentibus seu vigiliis, ac statuere quod festa Epiphaniæ, Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli et SS. patronorum cujuslibet diœcesis et parochiæ, dominica proxime occurrente celebrarentur. Patet igitur quam absurde patroni sectæ vulgo dictæ *la petite Eglise,* talem festorum suppressionem et translationem ut causam separationis suæ allegaverint. 2° Episcopi sine dubio supprimere vel transferre possunt festa suis diœcesibus specialia. Idem dicendum est de festis in quibusdam locis ex pura devotione celebratis; v. g., S. Sebastiani, Stæ Barbaræ, etc.

Quoad festa universalis Ecclesiæ de præcepto, exstat Constitutio Urbani VIII *Universa,* in qua dies festi de præcepto exprimuntur. Sed praxis episcoporum semper fuit in Gallia ut tollere possent obligationem festorum non principalium, quod multis probatur factis in opere dicto *Mémoires du clergé,* t. v, p. 1278 et seq. relatis, pluribus conciliis provincialibus et synodis, et epistola cardinalis *d'Ossat* ad Henricum IV e Roma diei 18 januarii 1599 directa, in qua asserit summum Pontificem, a se nomine regis requisitum ut numerum festorum in Gallia reduceret, respondisse hoc ad episcopos pertinere et ipsorum discretioni relinquendum esse. Hoc fundamento innixus Philibertus Emmanuel *de Beaumanoir*, Cenomanensis episcopus, festa S. Jacobi Majoris, S. Mathiæ, S. Bartholomæi, S. Thomæ et feriæ tertiæ post Pentecosten suppressit, præscripto diei 1 decembris 1666. Idem multi alii episcopi fecerunt circa hæc et alia festa, et in primis episcopi provinciæ Turonensis per mandatum commune anni 1780, in quo statuerunt ut festum patroni respectivarum parochiarum ad proximam dominicam transferretur, sicut et festum patroni secundarii diœcesis, ubi existit.

Attamen Bened. XIV, de Canoniz., l. 4, part. 2, cap. 16, n. 11, affirmat episcopos nunc jure communi ea reducere non posse, quamvis supponat illos olim potuisse.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE OBJECTO FESTORUM.

De potestate Ecclesiæ circa beatificationem et canonizationem sanctorum diximus in Tractatu *de vera Ecclesia;* Christum, beatissimam Virginem, sanctos eorumque reliquias ac imagines cultu religioso honorari posse ostendimus in Tractatu *de Incarnatione.*

His positis, certum est Christum Dominum, beatam Virginem Mariam, sanctos solemni decreto canonizatos ac eorum reliquias authenticas sub variis titulis objecta festorum esse posse, ut praxis universalis Ecclesiæ testatur. Sed abs re non erit pauca dicere 1° de conditionibus beatificationis et canonizationis; 2° de cultu servis Dei et beatificatis exhibendo; 3° de requisitis ut reliquias publico cultu venerari liceat; 4° de variis titulis sub quibus sancti honorari possunt.

§ I. — De conditionibus beatificationis et canonizationis.

1° In quadruplici gradu considerari potest sanctus; appellatur primo *servus Dei*, deinde *venerabilis servus Dei*, postea *beatus*, et tandem *sanctus*. 1° *Servus Dei*. Quicumque sancte vivit, voce generica appellatur servus Dei; sed in stylo sacræ Cong. Rit. ille vocatur servus Dei qui cum laude vitæ decessit, et cujus beatificatio postulatur. 2° Si post vitæ discussionem, fama sanctitatis agnoscatur, et commissio procedendi ad beatificationem signata fuerit, dicitur *venerabilis*. 3° Si, ex novo examine, juxta regulas statutas, de sanctitate ejus adhuc constet, quanquam judicium non sit perfectum, id est, pro quarto gradu aliud necessarium sit judicium solemne et universali Ecclesiæ proponendum, declaratur et appellatur *beatus*, atque a summo Pontifice conceditur ut cultus publicus ei decernatur in aliquo loco, v. g., in regno, in provincia, in diœcesi, vel in ordine religioso aut familia, etc. 4° Si expressum concilii generalis vel summi Pontificis inter-

veniat judicium definiens eum esse *sanctum*, in cœlis gloria coronatum, in Albo seu catalogo sanctorum inscribendum, et totius Ecclesiæ militantis venerationi proponendum, tunc proprie et stricte est canonizatus.

2° Duplex distinguitur beatificatio et canonizatio, formalis scilicet et æquipollens. *Formalis* ea est quæ a summo Pontifice, servata forma judiciali, cum omnibus consuetis processus circumstantiis, sententia, cæremoniis et solemnitatibus pronuntiatur. *Æquipollens* vero ea est in qua summus Pontifex, post judicium Ordinarii aut delegati, vel etiam, secluso hujusmodi judicio, ex fama communi virtutum ac miraculorum et cultu immemorabili alicujus servi Dei, pronuntiat; si permittat ut in uno vel in pluribus locis particularibus, aut in ordine religioso vel familia, cultu publico honoretur, est beatificatio; si jubeat eum in universa Ecclesia cultu publico, per officii recitationem et Missæ celebrationem, die determinato honorari, est canonizatio. Sic multi coluntur sancti, qui publicæ totius Ecclesiæ venerationi propositi non fuerunt hoc solemni judicio quod theologi vocant canonizationem et docent communiter esse infallibile. At nihilominus eorum sanctitas constat, quando Ecclesia, saltem ex majori parte, eorum cultum et officium admisit, quia ipsam in hoc falli repugnat. Aliquando tamen beatificatio ad totam extenditur Ecclesiam, sed per modum simplicis facultatis, non vero per modum præcepti, ut canonizatio. Unde præcipua inter beatificationem et canonizationem differentia in eo præcise consistit quod una per indulgentiam et sine judicio finali feratur, et altera per definitivam sententiam ad omnes ecclesias directam pronuntietur. Bened. XIV, de Beatif. et Canoniz. l. 1, cap. 39, n. 14.

Inde videtur inferri posse eos omnes, quorum officium in Breviario Romano jussu Romani pontificis inseritur, cum præcepto universali illud recitandi, habendos esse ut sanctos. Non vero ita constat veritas factorum particularium, quæ in hujusmodi vel in aliis etiam sanctorum solemniter canonizatorum officiis referuntur; neque pariter constat sanctitas eorum omnium quorum

nomina in Martyrologio Romano inscribuntur, quia nec Romani pontifices, ut ipsi declararunt, nec Ecclesia intendunt hæc definire aut fideles ad hæc credenda obligare, nec ulla videtur repugnantia si in his quidam irrepserit error. Vide quæ jam diximus in Tractatu *de vera Ecclesia.*

3° Per multa Ecclesiæ sæcula episcopi, jure suo utentes in suis diœcesibus, cultum publicum decreverunt et decernere potuerunt, tum erga martyres vindicatos, tum erga confessores approbatos : illa episcopalis sententia a quibusdam dicta est canonizatio, sed ab aliis melius appellatur beatificatio, cum episcopus nihil præcipere possit ultra suæ diœcesis limites. Acta martyrum, nomina eorum ac etiam confessorum ad alias sæpe mittebantur Ecclesias, in sacris diptychis inscribebantur, et sic eorumdem cultus extendebatur. Frequenter consensus summi Pontificis, cujus examini acta sanctorum ab episcopis subjiciebantur, accedebat, ut Bened. XIV multis exemplis probat l. 1, cap. 7 et seq., et tunc cultus particularis fiebat universalis ; sicque non amplius simplex beatificatio, sed canonizatio æquipollens existebat. Ita canonizati fuerunt omnes Apostoli, multi martyres, ut SS. Stephanus, Laurentius, Xystus, Vincentius, Fabianus et Sebastianus, Joannes et Paulus, Gervasius et Protasius; plures confessores, v. g., SS. Sylvester, Antonius, Paulus eremita, Martinus, Nicolaüs, Gregorius Magnus, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, S[ta] Maria Magdalena, Martha, etc.

4° A tempore Alexandri III, die 3 augusti 1181 defuncti, prohibitum est episcopis habere quemcumque pro sancto, etiamsi per eum miracula plurima fierent, absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ, eumque publice venerari; Decretal. l. 5, tit. 45, cap. 1. Bellarminus, *Van-Espen, Mabillon, d'Achery* et alii plures censent hac decretali jus novum fuisse constitutum; alii vero plures, apud Bened. XIV, l. 1, cap. 10, n. 5 citati, contendunt jus novum ea lege non fuisse introductum, sed reservationem summo

Pontifici factam esse multo antiquiorem, siquidem Pontifex prohibitionem non exprimit, eam vero existentem supponit. Quidquid sit de illa controversia, certum est, fatente Bened. XIV, jus episcoporum potestate propria beatificandi sine subjectione summi Pontificis auctoritati, usque ad tempora Alexandri III perstitisse, et ab eo tempore hoc ipsis interdictum fuisse, solique pontifici Romano ita reservatum, ut, Sede Apostolica vacante, nec sacrum collegium nec concilium generale aliquem beatificare et canonizare valeat.

5° Notandum nomina martyris et confessoris olim promiscue sumpta fuisse, ita ut martyres dicerentur confessores. Verum mos invaluit ut inter hos et illos distinctio admittatur. Ii dicuntur martyres qui ob Dei honorem, vel violentam subierunt mortem, vel cruciatus lethales voluntarie perpessi sunt, vel a persecutoribus fidei varie vexati, in carcerem, in exsilium missi, ærumnis confecti, usque in finem perseverantes, propter fidei aut aliarum virtutum supernaturalium confessionem, naturalem subierunt mortem; qui vero post laudabilem vitam sancte obierunt morte naturali, et in Albo sanctorum inscripti sunt, vocantur confessores, quatenus per virtutum exercitium fidem confessi sunt.

6° Urbanus VIII stricte prohibuit variis decretis, notanter diebus 18 mart. et octobr. 1625, et Brevi diei 5 julii 1634, ne daretur initium causæ beatificationis cujuscumque servi Dei, nisi constaret nullum ipsi exhibitum esse cultum publicum, per imaginum depictionem cum aureolis et radiis gloriæ, per earum expositionem in ecclesiis vel oratoriis publicis aut privatis aliisve locis, per libros in ejus honorem confectos, etc., nisi summus Pontifex aliquem casum speciali concessione exceperit ob cultum immemorabilem vel aliam causam. Idem Pontifex expresse vetuit ne deinceps S. Cong. Rit. in causis servorum Dei procederet ad effectum beatificationis aut canonizationis, aut declarationis martyrii, nisi quinquaginta annis ab illorum obitu elapsis. Aliquando tamen Sua Sanctitas permittit ut, non habita ratione

quinquaginta annorum, ad informationem procedatur, ne tanta dilatione meliores pereant probationes : processus autem perfecti sacræ Rituum Cong. traduntur, eorum validitas tantum discutitur, postea per secretarium sigillo clauduntur, non aperiendi donec veniat plenitudo temporis quinquaginta annorum. *Ferraris*, v° *Veneratio*, n. 31.

7° Causa primo incipienda est ab Ordinario loci in quo est corpus beatificandi vel canonizandi, vel in quo patrata dicuntur miracula ei attributa, vel ubi resident testes audiendi : nomine Ordinarii intelliguntur Episcopus institutus, licet non consecratus; Vicarius generalis capitularis sede vacante, Vicarius Apostolicus ad gubernandam diœcesim a sede Apostolica missus, et ii qui jurisdictionem quasi episcopalem habent; non autem vicarius generalis episcopi, nuntius Apostolicus, religiosi etiam superiores et abbates respectu servorum Dei suorum ordinum, ut ostendit Bened. XIV, l. 2, cap. 2, n. 9 et seq.

8° Ordinarii est instruere propria auctoritate processum de fama sanctitatis, virtutum, miraculorum aut prophetiarum alicujus servi Dei, cujus beatificatio desideratur, eumque ad sacram Rituum Congreg. mittere; alter processus super non cultu, vel super casu excepto, juxta decretorum et Brevis Urbani VIII prohibitionem, omnino necessarius est antequam causa suscipiatur; instrui potest ab Ordinario qui, si illum omiserit et Sedes Apostolica commissionem ad illum faciendum alteri dederit, a jure suo penitus excidit. Forma hujusmodi processus instruendi a Bened. XIV, l. 2, cap. 43, traditur.

9° Deinde instruendus est processus Apostolicus, ad quem delegatur cardinalis vicarius, si in urbe Roma sit faciendus; si extra urbem, tres deputantur episcopi, inter quos est is in cujus diœcesi procedendum est. Interrogantur testes, examinantur facta, omnia stricte ponderantur, ne quilibet irrepat error, et accurate scribuntur. Scripta originalia remanere debent in archivis episcopi diœcesani, vel apud cardinalem Urbis vicarium, omnium

fit transcriptum exactissimum quod, innumeris characteribus authenticitatis munitum, ad sacram Rituum Congregationem mittitur; in ea legitur, examinatur; suffragia cardinalium et consultorum colliguntur, et decretum beatificationis instruitur. Summus Pontifex declarat suam esse voluntatem ad beatificationem procedendi, indicat preces fundendas ad opem divinam in re tanti momenti implorandam, et assignat diem quo de beatificatione sit pronuntiaturus, decretum S. Congregationis approbando. Publicatio hujus decreti olim fiebat sine ulla solemnitate, saltem in basilica Vaticana; at Alexander VII, advertens beatificationem esse canonizationem inchoatam, judicavit incongruum esse eam in ea non fieri basilica in qua facienda esset canonizatio, ac statuit ut deinceps omnia beatificationum decreta sub quibusdam precibus et cæremoniis in basilica Vaticana promulgarentur. Eo more promulgata est prima vice S. Francisci Salesii beatificatio, die 8 januarii 1662.

10° Nunc, ut ad solemnem servi Dei, sive confessoris, sive martyris, beatificationem deveniatur, necesse est ut, præter vitæ sanctitatem aut martyrium certe pro Christo perpessum, duo saltem bene probentur miracula; et etiam quatuor, ex decreto Benedicti XIV, diei 23 aprilis an. 1741, requiruntur, si per viam non cultus existentis procedatur.

11° Ad obtinendam canonizationem, prout fit hodie, novus instruendus est processus in quo saltem miracula intercessione beati, post ipsius beatificationem, patrata optime comprobentur. Nullum igitur determinatur tempus necessarium inter beatificationem et canonizationem. Exspectandum est donec Deus sanctitatem servi sui per nova miracula iterum manifestaverit, et tunc postulatores causæ preces porrigere possunt sacræ Rituum Congregationi pro *signatura commissionis reassumptionis* et expeditione *litterarum remissorialium*, ut super novis prædictis miraculis Apostolica auctoritate instruentur processus. Instructis processibus summa cum vigilantia, et ad Urbem missis, eorum fit traditio,

apertio et interpretatio juxta regulas statutas, ut omnis error ex fraude vel ex inadvertentia proveniens sit impossibilis. Judicio super validitate actuum completo, miracula in eis relata in triplici congregatione examinantur, in antepræparatoria, in præparatoria et in generali coram summo Pontifice habita, in qua discutitur dubium *an, stante approbatione miraculorum, tuto deveniri possit ad canonizationem;* colliguntur suffragia cardinalium et consultorum, auditur plena et distincta relatio de omnibus quæ ante et post beatificationem contigerunt, et summus Pontifex, declarationem suam differens, præscribit preces ut divinum imploretur adjutorium. Postea emittit decretum quo pronuntiat tuto procedi posse ad canonizationem.

12° Edito decreto de tuto ad canonizationem progressu, summus Pontifex exspectare solet ut novæ populorum, principum ac regum petitiones ad se dirigantur, et tunc primum indicit consistorium secretum, cui soli interveniunt cardinales; quæritur an deveniendum sit ad solemnem canonizationem, nec ne; singuli cardinales sententias suas aperiunt per verbum *placet* aut *non placet.* Si sententia sit quod ad canonizationem tuto procedi possit, solemne indicitur consistorium ad quod advocantur omnes cardinales, antiquiores Episcoporum assistentium et non assistentium, protonotariorum, auditorum Rotæ, clericorum cameræ Apostolicæ, votantium signaturæ justitiæ, abbreviatorum, advocatorum consistorialium, etc. In eo omnibus patet aditus: audiuntur orationes advocati consistorialis et promotoris fidei; prior loquitur pro canonizatione, et posterior contra. Deinde emittitur a præsule qui est a secretis Brevium, ad principes, summi Pontificis responsio, qua declaratur Suam Sanctitatem omnes hortari ut jejuniis ac precibus divinum implorent auxilium in re tanti momenti; et insuper Ipsam velle in proximo consistorio audire sententiam omnium Cardinalium et Episcoporum.

Tertium postea indicitur consistorium ad quod vocantur omnes cardinales omnesque episcopi Romæ tunc de-

gentes, et in ipsa convocatione monentur super canonizatione talis beati sententiam ferendam esse scriptam ac subscriptam : compendium vitæ et miraculorum canonizandi et totius causæ unicuique datur, ut omnes tempus habeant serius cogitandi quo sensu suffragari debeant. Summus Pontifex primum cardinales et episcopos alloquitur; sententias eorum exquirit, et, suffragiis datis, eosdem iterum alloquitur, se eorum aliorumque precibus commendat et indicat quo die ad solemnem canonizationem procedere velit. Die indicato maxima celebratur solemnitas in basilica Vaticana; recitantur litaniæ, cantatur *Veni Creator*. Advocatus consistorialis ter publice petit ut summus Pontifex judicet ac definiat talem beatum (*vel* tales beatos, nam plures simul canonizari possunt) catalogo sanctorum adscribendum (*vel* adscribendos) esse. Summus Pontifex fert sententiam, canitur hymnus *Te Deum laudamus,* postea Missa solemnis; deinde Pontifex maximus, facta commemoratione beati canonizati, dat absolutionem et benedicit populo.

13° Multæ communiter faciendæ sunt expensæ ut ad canonizationem perveniatur, nempe ad informationes obtinendas, processus instruendos, testes advocandos vel mittendos, ad sumptus pro itineribus faciendis solvendos, ad mercedem postulatoris, procuratoris, advocati, medici, scripturarum excussoris, promotoris fidei : pro solutione sacrario basilicæ S. Petri facienda, pro strenis quæ nonnullis officialibus curiæ Romanæ solvuntur; pro magnifico basilicæ Vaticanæ apparatu; pro vestibus pontificalibus pretiosis summo Pontifici offerendis, ut mos est, etc.

§ II. — De cultu servis Dei et beatificatis exhibendo.

1° Notandum triplicem distingui cultum, privatum scilicet, publicum, et solemnem. Cultus privatus ille est qui fit a persona privata, loco et modo privato; publicus, qui fit coram aliis et in loco publico, sed a persona privata ob causam particularem; et solemnis, qui ab Eccle-

sia fuit institutus, habet quasdam cæremonias ab ipsa determinatas et fit in Dei vel sanctorum honorem publice vel in particulari. Communius auctores hunc cultum ab Ecclesia sic determinatum vocant publicum; alium vero, quoquo modo fiat, appellant privatum; eo sensu utrumque hic sumpturi sumus.

2° Bened. XIV, cum innumeris doctoribus, tenet, l. 2, cap. 7, n. 4 et seq., licitum esse cultum privatum exhibere servis Dei etiam adhuc viventibus, v. g., eos invisere, ante eos procidere, pedes eorum deosculari, benedictionem ab eis petere, precibus eorum se commendare, etc. *A fortiori* eos post obitum privato cultu honorare licet, quando creduntur regnare in cœlis, et pie æstimari potest eosdem pro nobis intercessores esse apud Deum, sive hoc in secreto fiat, sive coram aliis, etiam in loco publico, et per actus externos ad cultum publicum pertinentes, sed absque intentione cultum ab Ecclesia determinatum exhibendi. Sic ex Bened. XIV, l. 2, cap. 12, n. 9, ad cultum privatum pertinere censentur extraordinarius populorum concursus in funere servi Dei cum opinione sanctitatis defuncti, cadaveris delatio super humeros magnatum, accessus ad deosculandos manus et pedes, vestimentorum direptio, picturæ præclara illius gesta repræsentantes parietibus affixæ, candelæ coram illis ardentes, orationes funebres, visitatio tumuli, oratio ad defunctum ut pro nobis ante Deum intercedat, etc.

4° Prohibetur vero omnis cultus publicus, id est nomine Ecclesiæ exhibitus, vel tanquam ab Ecclesia institutus, sive publice, sive privatim fiat, sive in ecclesia, sive in sacello domestico aliove loco privato : ad hanc cultus speciem, erga servos Dei prohibitam, revocantur altarium in eorum honorem erectio, illorum commemoratio in divinis officiis, officium sive proprium sive de communi, Missæ celebratio, illorum invocatio in litaniis ab Ecclesia approbatis vel consuetis, cellarum, habitaculorum vel ædium in quibus nati sunt, conversio in ædiculas sacras vel ecclesias, picturæ cum aureola gloriæ et radiis luminis, etc.

4° Urbanus VIII, multis abusibus occurrere volens statuit, decretis diei 18 martii 1625 et diei 2 octobris ejusdem anni, ac Constitutione *Cœlestis Jerusalem,* diei 5 junii 1634, ne deinceps quorumvis hominum cum sanctitatis aut martyrii fama defunctorum tabellæ, imagines, lampades, luminaria, figuræ ex cera, argento, ære vel ex alia quacumque materia, aliave signa sanctitatem, miracula aut prophetias eorum attestantia, exponerentur in ecclesiis vel oratoriis publicis aut privatis ante recognitionem Ordinarii a Sede Apostolica probatam. Permisit tamen ecclesiasticis viris tabellas, imagines aliaque fidem facientia quamdam gratiam ope alicujus servi Dei obtentam fuisse sibi oblata suscipere, cum eorum qui facti exstitissent conscii attestationibus, modo ea ad Ordinarios statim deferrent, approbationes illorum obtinerent, atque hæc sanctitatis indicia, cum Ordinariorum approbationibus, in loco secreto ab ecclesia distincto collocarent ac custodirent, « ut si quando Dominus talium » virorum merita beatificationis seu canonizationis ho- » nore in terris decorare voluisset, exstarent hujusmodi » sanctitatis qualescumque probationes Apostolicæ Sedis » judicio examinandæ. » Sunt ipsamet dicti Pontificis verba.

5° Decretum beatificationis alicujus hominis, cum fama sanctitatis aut martyrii defuncti, permittit ut cultus publicus ei exhibeatur, sed intra limites determinatos, sive quoad actus permissos, sive quoad loca, sive quoad personas, v. g., in tali ordine religioso. Limites ita decreto beatificationis assignatos prætergredi non licet, ne quidem ex auctoritate episcopi, ut manifestum est. Longum decretum S. R. Cong. diei 27 sept. 1659, ab Alexandro VII approbatum, enumerat honores qui beatificatis exhiberi non possunt. *Gardell.* n. 1855.

6° Consuetudo immemorialis, vel ex decreto citato, centum annorum, summo Pontifici aut locorum Ordinariis nota, quosdam venerandi sanctos in particularibus ecclesiis vel regionibus, beatificationi æquivalet, et cultus illis exhiberi solitus nulla lege est prohibitus : in

decretis et Constitutionibus quibus beatificatio et canonizatio sanctorum Sedi Apostolicæ reservatæ sunt, semper fuit exceptus; sed ad alias ecclesias vel regiones extendi non posset, inconsulta sacrorum Rituum Cong. et absque summi Pontificis concessione. Cuncti honores erga servos Dei prohibiti, prohibentur etiam erga beatificatos in locis non permissis.

7° E contra, sancti aliqui ex modis ab Ecclesia approbatis vere canonizati, ubique cultu publico honorari possunt, id est, altaria et templa in eorum memoriam per totum orbem erigi possunt; ipsi assumi in patronos; imagines eorum cum radiis et diademate seu circulo depingi ac in ecclesiis publici exponi, cum episcopi approbatione, similiter et eorum reliquiæ. In publicis Ecclesiæ precibus nominari et invocari possunt, non tamen eo ipso officium, sive proprium, sive de communi et Missam in honorem eorumdem celebrare licet, nisi speciale intercesserit Romani pontificis decretum a bulla canonizationis distinctum, juxta Bened. XIV, de Canoniz. l. 1, cap. 38, n. 3 et 4, neque nomina eorum in litaniis ab episcopo inseri queunt, secundum eumdem Pontificem, de Canoniz. l. 4, part. 2, cap. 20, n. 3.

Ii soli jure proprio in Martyrologio Romano inscribi possunt, qui ab ultima editione fuerunt canonizati, vel reperti sunt ut vere canonizati, et huc usque prætermissi, in novis editionibus inscribendi sunt. Beatificati vero, sive beatificatione formali, sive beatificatione æquipollenti, in eo describi nequeunt, nisi ex speciali sacræ Cong. Rituum concessione, ut docet Bened. XIV, l. 4, 2ª part., cap. 18, n. 12 et seq.

Ubi tamen publica fit Martyrologii lectio, nomina beatorum, in locis in quibus cultus eorum ex consuetudine immemorabili vel ex decreto est licitus, legi possunt cum laude, et idcirco in ecclesiis et communitatibus hujusmodi locorum fit supplementum ad Martyrologium Romanum.

Hinc Bened. XIV concludit lectionem Martyrologii in choro non stricte pertinere ad illum cultum publicum,

qui nomine Ecclesiæ universalis exhibetur; sed nomina eorum qui in illo describuntur cum elogio pronuntiantur, ut audientes excitentur ad imitationem, et ad reddendum eis cultum qualem disciplina ecclesiastica permittit.

§ III. — De conditionibus requisitis ut reliquiæ sanctorum cultu publico venerari possint.

1° Per reliquias sanctorum et beatorum intelliguntur eorum corpora et corporis partes etiam minimæ, nempe caput, manus, digiti, dentes, ossa, capilli, cineres, pulveres, insuper et eorum vestes, panni, vela quibus in vita usi sunt, vel quibus eorum corpora vel corporis partes post mortem fuerunt involuta; instrumenta pœnarum et mortificationum quibus utebantur, et alia hujusmodi, ut scripta, etc.

2° Probavimus in Tractatu *de Incarnatione* reliquias sanctorum cultu relativo duliæ honorari posse; illorum autem cultus potest esse privatus vel publicus, eodem modo ac cultus personarum ad quas referuntur. Unde reliquiæ servorum Dei solo cultu privato dignæ sunt; reliquiæ beatorum, cultu publico, sed limitato; et reliquiæ sanctorum canonizatorum, cultu publico illimitato. Reliquiæ sanctorum in catacumbis inventorum, qui vulgo dicuntur *baptizati*, venerationi fidelium publice exponi possunt, si ab episcopo fuerint recognitæ cum licentia eas exponendi, sed absque officio et Missa. *Gardell.* n. 3097 et 3157.

3° Reliquiæ noviter inventæ aut productæ cultu publico honorari non possunt, nisi ad beatos aut sanctos canonizatos pertineant, et a Papa vel ab episcopo recognitæ et approbatæ fuerint, ut patet ex Decretal. l. 3, art. 45, c. 2, et ex concil. Trid., sess. 25, de Invocatione et Reliquiis sanctorum, statuente «nulla admittenda esse nova mira-
» cula, nec novas reliquias recipiendas, nisi recognoscente
» et approbante episcopo, qui simul atque de iis aliquid
» compertum habuerit, adhibitis in consilium theologis
» et aliis piis viris, ea faciat quæ veritati et pietati con-

» sentanea judicaverit. » Si ad servos Dei, neque canonizatos, neque beatificatos, pertinerent, a Papa vel a S. Congregatione Indulgentiarum recognosci deberent ut eas cultu publico venerari liceret; sic docent Benedictus XIV, *Ferraris* aliique theologi, eo sensu caput Decretalium superius citatum interpretantes.

4° Quæ a Papa fuerunt approbatæ, non ideo publicæ venerationi exponi possunt etiam in ecclesiis regularium, nisi prius Episcopo fuerint præsentatæ et ab illo recognitæ ut authenticæ. Ita fuit decisum a S. Cong. Rituum diebus 26 junii 1627 et 19 oct. 1691, idque decreto concilii Trid. optime congruit. Episcopus autem, visis litteris et sigillis, eas esse authenticas testatur, ac venerationi fidelium in sua diœcesi vel in aliqua ecclesia exponendas permittit. Vide *Gardellini*, n. 4392 ad 8um, notam.

Partes ex hujusmodi reliquiis extrahere, in thecis collocare et sigillare potest, testari per scriptum eodem sigillo munitum eas de locis authenticis fuisse extractas et venerationi fidelium exponi permittere. Reliquiæ sigillis alicujus episcopi munitæ in aliena diœcesi cultu publico honorari non possunt, quin prius ab Ordinario loci recognitæ fuerint. Reliquiæ a superiore regularium recognitæ, litteris authenticis et sigillo munitæ, non ideo exponi possunt etiam in propria regularium ecclesia, donec ab episcopo fuerint approbatæ et sigillo ejus obsignatæ. In recognoscendo hujusmodi reliquias, in eas extrahendo et in alias thecas transferendo, Episcopi non tenentur theologos et alios pios viros concilio Trid. præscriptos sibi adjungere, sed tantum ubi agitur de reliquiis noviter inventis sanctorum canonizatorum vel beatificatorum, ut explicant communiter doctores; et si quoddam circa id emerserit grave dubium, nihil novum vel in Ecclesia inusitatum inconsulto summo Pontifice decernere possunt, ut in fine decreti concilii Trid. habetur.

Notat *Ferraris*, v° *Veneratio Sanct.*, n. 161, antiquas reliquias habendas esse in ea veneratione, in qua hactenus fuerunt, quod intelligendum est si adhuc existat sigillum episcopale, aut saltem testimonium unius personæ

fide dignissimæ, quæ declaret cum juramento se olim vidisse reliquiam habitam ut authenticam et identitatem ejus perfecte agnoscere.

5° Corpora et insignes reliquiæ sanctorum vel beatorum, post eorum beatificationem, aut servorum Dei nondum beatificatorum, quando in causis eorum beatificationis Sedes Apostolica jam manum apposuit, nec de civitate in civitatem, nec de ecclesia in ecclesiam, nec de capsa in capsam transferri possunt inconsulta Sede Apostolica vel sacra Rituum Cong. Sic expresse et fuse Bened. XIV, l. 4, 2a part., cap. 22. Hæc reservatio locum non habet in translatione servorum Dei in quorum causis Sedes Apostolica manum nondum apposuit, id est, commissionem pro beatificatione procedendi nondum emisit; solius Ordinarii loci licentia sufficit, ut idem tenet Pontifex et alii cum illo. Concipimus corpora et insignes reliquias beatificatorum et servorum Dei, quando in causis eorum Sedes Apostolica manum apposuit, non debere transferri absque dictæ Sedis aut S. Cong. consensu. At generalis est consuetudo, saltem in Gallia, ut quæcumque sanctorum reliquiæ cum approbatione Episcopi, de capsa in capsam, de ecclesia in ecclesiam, de civitate in civitatem et de diœcesi in diœcesim transferantur.

6° Triplicis generis distinguuntur reliquiæ sanctorum, scilicet *insignes*, *notabiles* et *parvæ*. S. R. Cong. declaravit pluries, et notanter 8 aprilis 1628 et 13 januarii 1631, apud *Gardellini,* n. 593 et 745, insignes reliquias sanctorum esse caput, brachium, crus, aut aliam partem corporis, in qua passus est martyr, modo sit integra, et non parva, ac legitime ab Ordinariis approbata. Reliquiæ insignes eo ipso sunt notabiles : sed quædam reputantur notabiles, quæ non sunt insignes, ut digitus, costa, vel grandioris membri pars non modica, puta capitis, brachii, etc. Episcopi est judicare an reputari debeant notabiles. Parvæ reliquiæ sunt particulæ quæ in parvulis orbibus includuntur et a piis hominibus religiose a collo gestantur, in oratorio servantur, etc.

Pro solis reliquiis insignibus permitti potest officium :

solæ insignes et notabiles solemniter, cum licentia Episcopi, transferri queunt. Vide *Catalani*, in Rituali Roman. t. II, p. 287.

7° Reliquiæ sanctorum vendi, emi, pro re pretio æstimabili commutari, aut per furtivam subtractionem auferri nequeunt, etiam devotionis causa, nisi apud infideles existant, quia sunt res sacræ et ideo pretio æstimari non possent absque sacrilegio. *Ita omnes*. Si Barenses corpus S. Nicolai, Cenomanenses corpus S. Scholasticæ per furtum abstulerint, aut peccaverunt, aut probabilius bona fide excusati fuerunt.

8° Bened. XIV longe disserit, l. 4, 2ª part., cap. 27 et 28, de corporibus et reliquiis sanctorum martyrum e cœmeteriis vel catacumbis quæ sunt Romæ vel prope Romam extractis, sine indicatione nominis proprii, et quibus nomen appellativum imponitur, quod vulgo dicitur *baptizare sanctum*. Notat 1° multa in catacumbis et cœmeteriis Romanis sepulta fuisse martyrum corpora, quæ omnia nondum fuerunt effossa; 2° hæc loca sacra accurate custodiri, et quibuslibet personis prohibitum esse, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, vel minimas reliquias ex illis extrahere aut extrahentibus auxilium præbere; 3° sacras reliquias extrahi non posse, nisi adsit sacerdos a cardinali vicario Urbis delegatus, qui diligenter inquirere et recognoscere debet signa quibus, juxta S. Congreg. Indulg. decreta, certissime constabit eas ad martyrem pertinuisse, v. g., inscriptiones, supplicii instrumenta, symbolum significans *pro Christo*, palmas incisas, phialas seu vascula sanguinis in tumulis deposita, etc.; 4° eas in capsis statim reponi, sigillari, nec venerationi exponi nisi prius cardinalis vicarius vel alii quibus hæc cura demandata est, easdem examinaverint, et a summo Pontifice vel a sacra Cong. Indulg. et Reliquiarum fuerint recognitæ et approbatæ; 5° statutum esse ut conficiatur liber in quo describantur, tum corpora e cœmeteriis recenter extracta, tum nomina personarum et ecclesiarum quibus conceduntur; 6° usum a primis sæculis invaluisse ut sanctis ignotis nomen sub

quo designari possent imponeretur, ut patet exemplo athletæ qui S. Felici in ipso martyrio se adjunxit et vocatus est Adauctus, exemplo quatuor fratrum quorum nomina ignorabantur, et dicti sunt quatuor Coronati : privilegium sanctum ignotum nunc nominandi, vulgo baptizandi, ad solum cardinalem vicarium pertinet; 7° morem semper usitatum nomina sanctis ignotis assignandi esse laudabilem, quia experientia constat fideles ferventiori affectu ad reliquias sanctorum nomen habentium quam nomine carentium ferri vel inclinari; 8° nomina imponenda debere esse appellativa et omnibus sanctis martyribus communia, ut sunt Felix, Fortunatus, Deodatus, Theophilus seu Dei amicus, Justus, Candidus, Fortis, Victor, Vincentius, etc.; non vero propria, v. g., Petri apostoli, Pauli, Laurentii martyris, Francisci Assisii, etc.; quia tunc verum esset mendacium et populus deciperetur, dum in priori casu nulla est deceptio, modo a circumstantiis individuum designantibus abstrahatur.

9° Reliquias etiam sanctorum canonizatorum authenticas unusquisque apud se habere aut secum deferre potest, cum reverentia debita et devotionis causa : eas igitur mediate vel immediate tangere non est prohibitum, nisi ubi publicæ venerationi fidelium exponuntur vel in processionibus deferuntur : tunc ad solos clericos in sacris Ordinibus constitutos et sacris vestibus ac præsertim stola indutos eas tangere aut deferre pertinet.

10° Ex decisione S. Cong. Rit. diei 22 januarii 1701, quando reliquiæ exponuntur, præter lampadem, duo accendenda sunt luminaria, vel non exponantur. Non sunt incensandæ in Missa, nisi cum incensantur oblata; eadem S. Cong. die 24 aprilis 1602. In altari pro ejus consecratione locandæ debent esse reliquiæ sanctorum ab Ecclesia approbatorum; S. Cong. Rit. die 13 sept. 1503; non legitur autem eas pro altarium consecratione iisdem munitas esse oportere authenticitatis characteribus qui ad publicam expositionem requiruntur; sufficit ut episcopus judicet eas esse veras.

11° Non licet falsas reliquias ad venerationem exponere : esset peccatum gravis deceptionis, et etiam superstitionis, propter cultum qui eis indebite redderetur; nec ossa sanctorum radere, ut rasura cum potu detur infirmis, ex decisione S. Cong. Episc. et Regul. diei 17 decembris 1691; nec reliquias, præsertim insignes, ad ægrotos deferre, ex Concil. Mediol. V; nec eas etiam authenticas exponere in altari in quo sanctissimum Sacramentum exponitur, ex instructione de mandato Clementis XI, die 20 januarii 1725 edita; nec eas in tabernaculo ubi sanctissimum asservatur Sacramentum deponere et retinere, ex responsione S. Cong. Rit. diei 22 februarii 1593; nec eas exponere super tabernaculum sacram Eucharistiam continens, vel ad eam continendam destinatum, ex decisione S. R. Cong. 3 aprilis 1821; nec, ut videtur, ante hujusmodi tabernaculum.

Qui plura de sacris reliquiis scire voluerit, adeat Instructionem nostram gallicam cui titulus : *Instruction et Ordonnance touchant les reliques de la vraie Croix et des Saints,* in qua totam hanc materiam fuse et multis citatis auctoritatibus tractamus.

§ IV. — De variis titulis sub quibus sancti et eorum reliquiæ honorari possint.

1° Sancti in cœlo regnantes et ab Ecclesia honorati in varios dividuntur ordines seu classes : numerantur videlicet, in ritu Romano, Apostoli, martyres, confessores pontifices, doctores, confessores non pontifices, abbates, virgines et non virgines; adduntur lectiones ac responsoria pro doctoribus qui sunt confessores, pontifices vel non pontifices.

Præter duodecim Apostolos a Christo electos, tres alii in Actibus Apostol. recensentur, nempe S. Mathias loco Judæ proditoris suffectus, B. Paulus et S. Barnabas instinctu Spiritus sancti ad apostolatum vocati. Hi omnes, Juda excepto, in universa Ecclesia sub ritu Apostolorum honorantur, quia electi et cooptati fuerunt ut Evangelium mundo universo annuntiarent. Nullus alius talem habuit

missionem, nec sub eodem titulo absolute honorari potest. Attamen non repugnat aliquem cognominari apostolum talis gentis aut talis provinciæ quam ab infidelitate convertit ad Christum, et in regione honorari sub titulo Apostoli, sive ex usu immemorabili, ut patet exemplo B. Martialis Lemovicensis, cui, post multas disputationes, titulus Apostoli fuit adscriptus in undecimo sæculo; vel ex summi Pontificis concessione, ut docet Bened. XIV, l. 4, 2ª part., cap. 11, n. 3. Necessitas hujus concessionis de novi usus inductione intelligenda est; nam ecclesiæ quæ, ex antiquo usu, aliquem venerantur ut proprium Apostolum, hunc morem titulo possessionis retinere possunt. Ibid., n. 7. Extra ritum Ecclesiæ et officium celebrandum, v. g., in sermonibus, in Martyrologio, in libris asceticis, ii promiscue nomine apostolorum decorantur, qui populos infideles vel hæreticos Christi doctrina, suis prædicationibus, imbuerunt.

Doctorum mentio habetur in Ep. B. Pauli ad Ephes. IV, 11: in Act. Apost. XIII, 1, et in libris SS. Patrum: ad constituendum autem Ecclesiæ doctorem tria requiruntur, scilicet eminens scientia, insignis vitæ sanctitas et summi Pontificis aut Concilii generalis declaratio. Bonifacius VIII, in Sexto, l. 3, tit. 22, cap. unico, quatuor numerat insignes Ecclesiæ doctores, nempe S. Gregorium Magnum, S. Aug., S. Ambrosium et S. Hieronymum, his additi sunt S. Thomas de Aquino a S. Pio V, et S. Bonaventura a Sixto V. Bened. XIV, l. 4, part. 2, cap. 12, n. 9, tenet 1° « individuam præcessisse concessionem tituli » doctoris concessioni officii et Missæ sub eodem titulo in » universa Ecclesia quoad sanctos tantum Gregorium, » Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Thomam de » Aquino et Bonaventuram; 2° alios in universa Ecclesia » eumdem habere titulum, quamvis nulla præcesserit for» malis declaratio admissionis ipsorum inter Ecclesiæ » doctores, qui sunt sancti Joannes Chrysostomus, Gre» gorius Nazianzenus, Anselmus, Isidorus et Petrus Chry» sologus; 3° nonnullos alios sanctos in universa Ecclesia, » nulla quoque prævia formali declaratione, quemdam

» obtinere cultum sub titulo Doctoris, sed sine antiphona » *O doctor optime*, et tantum vel cum evangelio et ora- » tione, uti est S. Hilarius, vel cum antiphona tantum, » uti sunt SS. Athanasius et Basilius; 4° aliquem ex præ- » dictis et alios nonnullos in particularibus Ecclesiis ha- » bere integrum officium doctoris : sanctus enim Hilarius » hoc integro officio potitur in Ecclesia Pictaviensi, Pari- » siensi, Andegavensi aliisque, etc.; » sic etiam venerabilis Beda apud Benedictinos et Cisterciences; 5° S. Cong. Rit. titulum Doctoris aliquando concessisse pro officiis recitandis, in aliquibus diœcesibus in honorem aliquorum sanctorum, habita ratione eximiæ eorum scientiæ, insignis sanctitatis, et immemorabilis cultus in his locis sub titulo Doctoris, cum tacita Sedis Apostolicæ permissione. Ibidem ait dolendum sibi videri quod usque adhuc cogitatum non fuerit de sancto Bernardo, tot meritis eximio, cœlestique doctrina referto, sub titulo Doctoris in universa Ecclesia colendo. Pius VIII, anno 1829, eum per speciale decretum ad hanc elevavit dignitatem, ac constituit ut omnes per totam Ecclesiam illum sub titulo Doctoris colerent. Leo XII idem fecerat anno præcedenti, nempe 1828, pro S. Petro Damiano, Sic etiam Pius IX anno 1851 relative ad S. Hilarium Pictaviensem.

Qui sint martyres, qui confessores, jam supra diximus. Disputatur an bonus latro, cujus sanctitas non est dubia, sit martyr; sed pars negativa sola tenenda est, siquidem non passus est ob Christum, quem ante mortem feliciter confessus est.

Ecclesia solas feminas sanctas et immaculatas sub ritu et titulo Virginum colit; non viros, etsi virginitatem etiam cum majori merito servaverint, quia hi sub pluribus aliis titulis honorari possunt : in Ecclesia vero triumphante communem fore mulieribus ac viris aureolam virginitatis docent auctores post S. Thomam, his Apocalypsis verbis innixi, cap. XIV, 4 : *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit.*

« Pro concessione officii et Missæ sub ritu virginum

» non interponit Ecclesia judicium definitivum quoad » qualitatem seu statum et classem personarum, sed » satis ei est si apta adsint fundamenta quæ faveant virgi» nitati. » Sunt verba Bened. XIV, l. 4, 2ª part., cap. 12. Unde sub titulo Virginum coluntur etiam mulieres quæ matrimonio junctæ sunt, quando sufficientibus testimoniis asseritur eas in matrimonio virgines remansisse.

2° Memoria alicujus sancti aut ejus festum ordinarie anniversaria die obitus ejus celebratur, et hæc dies vocatur natalis, quia in illa sanctus pro vita gloriæ natus est. Fundamentum officium et Missam pro universali Ecclesia concedendi suppeditant etiam inventiones arcarum reliquiarum, insignes eventus, apparitiones, specialia charismata sanctis a Deo concessa, peculiares circumstantiæ; apud Græcos eumdem titulum habet res memorabilis, ut concilii generalis celebratio.

Notandum autem non esse locum concessioni officii et Missæ pro universali Ecclesia in honorem sanctorum quorum nomina in Martyrologio Romano non sunt descripta. Bened. XIV, l. 4, 2ª part., cap. 6, n. 14. Excipiuntur sancti post ultimam Martyrologii editionem solemniter canonizati, ut supponit decretum S. R. Cong. 10 januarii 1631.

3° Fundamenta concessionis officii et Missæ, pro ecclesiis particularibus, in honorem sanctorum, beatorum aut canonizatorum, sunt reliquiarum illorum inventio vel translatio etiam in aliam capellam intra eamdem Ecclesiam, insignia beneficia eorum intercessione obtenta, etc.

4° Ad hoc ut officium et Missa celebrari vel recitari possint occasione alicujus sancti reliquiæ, requiritur: 1° ut sanctus sit canonizatus formaliter vel æquipollenter; 2° ut descriptus sit in Martyrologio Romano, sicut modo diximus; 3° ut sit nominis proprii (S. R. C. 30 julii 1689 et 14 martii 1693); 4° ut reliquia sit stricte insignis, ita ut notabilis non sufficeret (23 nov. 1602). Una ex his conditionibus deficiente, officium in honorem hujus reliquiæ fieri non potest, nisi ex speciali Sanctæ Sedis concessione. Iis vero existentibus, Episcopus concedere

potest ut officium celebretur singulis annis die determinato. Non sufficit quod Episcopus reliquiam agnoverit eamque venerationi fidelium exponi permiserit : speciale exigitur decretum episcopale officium permittens.

Hoc officium est simpliciter duplex. In eo, juxta *Romsée,* dicitur *Gloria* et *Credo.* Non habet octavam, seclusa speciali concessione. (S. R Cong. 12 aug. 1613.)

Concessio hujus officii est tantum pro ecclesia sacram reliquiam possidente) 12 martii 1618 et 20 nov. (1677). Tunc clerici ad recitationem Breviarii obligati hoc officium recitando satisfaciunt, si ecclesiæ reliquiam possidenti addicti sint; secus, non (20 nov. 1677). Dies ad celebrandum officium in honorem alicujus reliquiæ insignis concessum non debet esse dominica (S. R. Cong. 3 junii 1662). Si in honorem ejusdem sancti jam fiat unum officium duplex, aliud duplex institui non potest ratione reliquiæ (15 febr. 1659).

ARTICULUS TERTIUS.

DE PRÆCIPUORUM ECCLESIÆ FESTORUM NUMERO ET INSTITUTIONE.

In tres classes naturaliter dividuntur festa ab Ecclesia instituta et celebrata; alia quippe habent pro objecto Deum aut Christum, alia beatissimam virginem Mariam, et alia cæteros sanctos.

§ I. — De præcipuis Festis in honorem Dei et Domini nostri Jesu Christi institutis.

1° *Dominica,* sabbato veteris Legis substituta, de qua sufficienter diximus agendo de tertio Decalogi præcepto.

2° *Adventus.* Annus ecclesiasticus a prima dominica Adventus incipit : Adventus vero, sic dictus quia præcedit adventum Domini nostri Jesu Christi in mundum, id est Nativitatem ejus, initium habet die dominica quæ festo S. Andreæ proxima est, ac proinde a die 27 novembris ad 3 decembris : quatuor semper complectitur domini-

cas. Benedictus XIV, Inst. 11, n. 7, affirmat ejus institutionem ad sæculum sextum referendam esse et S. Gregorio Magno adscribendam. In Sacramentario S. Gregorii quatuor dominici dies Adventus nominantur, quibus deinde in aliquibus locis quintus et sextus accesserunt, ut in ritu Mozarabico, in ritu Ambrosiano, et in religiosis Ordinibus : tunc Adventus incipit dominica post festum S. Martini, et olim dicebatur Quadragesima S. Martini; per plura enim sæcula abstinentia a carnibus erat præscripta, et jejunium in usu generali erat usque ad duodecimum sæculum, modo ad devotionem, modo ex præcepto, sicque adhuc viget apud Græcos.

Nunc in tota Ecclesia Latina, exceptis quibusdam religiosis Ordinibus, obligatio abstinentiæ et jejunii cessavit, etiam in Mediolanensi Ecclesia, quæ tamen suum ritum incipiendi Adventum dominica post festum S. Martini retinuit. *Gloria in excelsis* et *Te Deum* supprimuntur in Missa et officio de tempore, et adhibetur color violaceus.

3° *Nativitas Domini.* S. Aug., Epist. 55, de more hoc festum die determinato celebrandi ut recepto et antiquo loquitur. S. Chrysost., Sermone de Christi Nativ. 33, ait Romanos ex antiqua traditione hanc sanctam Nativitatem die 25 decembris celebrare, et illius notitiam ad Græcos transmisisse. Benedictus XIV ostendit hanc festivitatem ex antiquissima traditione in Occidentali Ecclesia die 25 decembris jam celebratam, in quarto sæculo transiisse ad Græcos, qui huc usque illius memoriam faciebant die Epiphaniæ. Romani facile potuerunt cognoscere, ex publicis commentariis quibus recensio sub Augusto facta continebatur, quo præcise die natus esset Salvator mundi, ut optime notat S. Chrysost. Valde igitur credibile est esse diem 25 decembris.

Maxima hæc solemnitas incipit a Laudibus vigiliæ, quæ sunt de ritu duplici : officium nocturnum cum solemnitate celebratur, et quilibet sacerdos habet facultatem tres dicendi Missas, quod olim fieri solebat in magnis solemnitatibus, ut in Tractatu *de Eucharistia* notavimus; et allegatio triplicis nativitatis Christi in sinu

Patris, in utero matris et in cordibus nostris, honorandæ, motivum ternæ illius celebrationis fuisse nullo modo videtur.

4° *Circumcisio.* In codice sacramentorum Ecclesiæ Romanæ a venerabili Thomasio cardinali edito, quem Bened. XIV S. Leoni Magno et prædecessoribus ejus tribuendum esse putat, in calendario Romano abhinc nongentis annis et amplius scripto, et in corpore juris canonici, nempe in Decreto, 3ª part., dist. 3, can. 1, hoc festum appellatur Octava Nativitatis Domini ; sed, cum ex Evangelio constet eum die octavo fuisse circumcisum, erat simul festum Circumcisionis. Unde in Martyrologio Romano sic annuntiatur : *Circumcisio D. N. J. C. et Octava Nativitatis ejusdem;* in Decretal. l. 2, tit. 91, cap. 5, simpliciter dicitur Circumcisio. Bened. XIV æstimat et probat hoc festum ante finem quarti sæculi fuisse institutum. Et quoniam eodem die gentiles festum profanum et valde turpe Jano et Streniæ deæ dicabant, viri muliebribus et feminæ virilibus personis susceptis, comessationes et aleas agitabant, velut insani currebant, etc., fideles ad ecclesias convocabantur, et jejunium cum oratione miscentes, ante nonam nihil comedebant.

5° *Epiphania*, græce Θεοφάνεια, id est, Dei manifestatio. Tres manifestationes Christi in eo die simul honorantur, videlicet manifestatio Magis, et, in eorum personis, gentibus ; manifestatio Judæis, cum, eo suscipiente baptisma a Joanne, vox de cœlo dixit : *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite*; et manifestatio divinitatis ejus discipulis in Cana Galilææ, quando aquam mutavit in vinum. Certum est hanc festivitatem semper fuisse celebrem in utraque Ecclesia, Orientali scilicet et Occidentali, ac ipsius institutionem ad Apostolos, juxta quosdam, et saltem ad tertium sæculum ascendere. In ea, post evangelium, solemniter annuntiatur populo quo die hoc anno celebrandum sit Pascha Domini.

6° *Festum sanctissimi Nominis Jesu.* Mos erat apud Judæos nomen imponendi puero in ipsamet circumcisionis solemnitate, octavo die, ut patet exemplo Joannis Bap-

tistæ, de quo legitur, Luc. I, 59 : *Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam*, etc. ; et cap. II, 21, de Christo habetur : *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus.* Sanctissimum illud nomen ab Angelo prænuntiatum, qualitatem Salvatoris exprimit; omnibus est venerabile, et in illo omne genu flectitur, *cœlestium, terrestrium et infernorum*, Philip. II, 10. S. Bernardinus Senensis, anno 1444 mortuus, zelo pro conversione peccatorum flagrans, et pœnitentiam in Italia prædicans, ut compunctionem cordium excitaret, instituit ut, sacra concione habita, oculis auditorum exponeretur tabella in qua radiatum nomen Jesu depictum erat. Quidam hujusmodi cultui restiterunt, alii illum approbaverunt. Postea Sedes Apostolica illum approbavit cum officio pro tota S. Francisci familia, ad quam S. Bernardinus Senensis pertinebat, et anno 1721, die 29 nov., pro universali Ecclesia, et statuit hoc festum dominica secunda post Epiphaniam celebrandum fore.

7° *Quadragesima*, quæ ad Apostolos ascendit, et tanquam præparatio ad magnum Paschatis festum fuit instituta. De illa fusius agemus ubi de jejunio. Tres eam præcedunt dominicæ, Septuagesima, Sexagesima et Quinquagesima, in quibus Ecclesia fideles ad pœnitentiam præparare intendit, bacchanalibus tunc grassantibus opponens signa tristitiæ in suis vestibus et ornamentis, in cantibus et cæremoniis, et in officiis suis ad memoriam revocans quæ Deus contra Adamum peccatorem, contra terræ incolas tempore Noe, et contra Sodomitas gessit.

8° *Dominica Palmarum.* Constat, ex S. Joanne, XII, 1, Jesum venisse Bethaniam *ante sex dies Paschæ*, id est, die sabbati in quo ramos cædere non licebat : in crastino die, dominicæ nostræ respondenti, venit Hierosolymam, et turba multa *acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant : Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel.*

In memoriam triumphalis hujus Christi ingressus in Jerusalem, solemnis instituta est processio quæ in usu est

saltem a quinto sæculo in Ecclesia Orientali, et ab octavo in Occidentali, juxta *Grancolas :* in ea deferuntur palmæ quas celebrans benedicit et distribuit clericis, nobilibus et magistratibus, qui a digniore ad ultimum successive veniunt, duo genua coram celebrante flectunt, palmas ab eo accipiunt, manum ejus et ipsam palmam in una parte deosculantes. Mulieres, si veniant, palmam tantum deosculantur. Cenomani palmæ a celebrante vel ab epispoco, si sit præsens, benedicuntur, et postea clericis et quibusdam tantum laicis in choro assistentibus per nonnullos clericos distribuuntur. Cæteri fideles eas tenent manibus benedicendas.

Hymnus *Gloria, laus et honor,* etc., qui in dicta processione canitur, et initium carminum a Theodulpho, Aurelianensi Episcopo, in nono sæculo compositorum, ut a pueris in die Palmarum canerentur, reperiuntur inter multa ejusdem auctoris carmina, lib. 2, § 3, in Bibliotheca Patrum, t. XIV, p. 37. Fertur Theodulphum, ab imperatore Ludovico Pio Andegavis in carcere detentum, hunc hymnum a se compositum cecinisse dum imperator in die Palmarum processioni assistens, prope carcerem transiret, et idcirco veniam ab illo obtinuisse. Vide Bened. XIV, de Dominica Palmarum, n. 18.

A dominica Palmarum ad dominicam in Albis quodlibet officium occurrens, post quindenam paschalem transfertur in diem festo duplici aut semiduplici non impeditum : si esset festum in populo, solum transferretur officium, remanente obligatione abstinendi ab operibus servilibus, et Missam audiendi, excepto Parasceve in quo non est obligatio audiendi Missam quæ celebrari non potest, nec assistendi officio hac die celebrato, quia non est proprie missa, nec per se de præcepto; in eo casu indulgentia in feriam secundam post dominicam in Albis transfertur cum officio et feriatione, quia hæc feria tali anno censetur dies propria festi et habet privilegium quodvis officium translatum et omnia officia in dictam feriam occurrentia removendi, modo non sint altioris gradus. In cæteris diebus in quibus remanet obligatio fe-

riandi, indulgentia cum solo officio non transfertur, ut S. Cong. Rit. declaravit 2 julii 1614, et tenent omnes auctores.

9° *Officium tenebrarum.* Hoc officium recitatur vel cantatur quando sol tres partes diurni cursus absolvit, et non ante : dicitur *tenebræ,* quia olim in medio tenebrarum noctis habebatur, vel quia nunc sub vespera absolvitur. Incipit absolute, sine *Domine, labia mea aperies; Deus, in adjutorium, Gloria Patri, Invitatorio,* etc.; et hæc forma quæ ex antiquo more officium nocturnum recitandi fuit conservata, ad plangendam Christi passionem et mortem maxime convenit. Quindecim in triangulari candelabro ponuntur cerei flavi coloris, quorum unus post finem cujuslibet psalmi exstinguitur, ad significandum discipulos Christi unum post alium magistrum suum dereliquisse. Ultimus ad canticum *Benedictus* post altare defertur, absconditur, et finito officio, exstinguitur. Completa oratione *Respice, quæsumus,* fit fragor et strepitus aliquantulum, et populus discedit. Superior manu percutit librum aut scabellum, et omnes clerici idem faciunt; non vero laici. Hic fragor spiritualiter significat commotionem naturæ in morte Christi.

10° *Feria quinta in cœna Domini.* Hæc feria omni tempore fuit celebris; in ea enim 1° pœnitentes publici olim ante Missam solemniter reconciliabantur ab Episcopo; 2° imperatores christiani, exemplo Ecclesiæ ducti, indulgentiam concedentes captivis, eos solvebant a vinculis; 3° celebratur institutio sanctissimæ Eucharistiæ : ex pluribus S. Cong. Rit. decisionibus, unus celebrat et omnes sacerdotes sacram synaxim de manu ejus suscipiunt; 4° fit solemnis consecratio S. Chrismatis, olei catechumenorum et olei infirmorum; 5° sanctissimum Sacramentum processionaliter defertur ad locum ubi usque ad posteram diem asservatur; 6° lavantur in cathedralibus et in aliis quibusdam ecclesiis pedes duodecim pauperum (in Ecclesia Romana tredecim, quod sat difficile explicat Bened. XIV), ad exemplum Christi qui humilitatis causa lavit pedes discipulorum eisque mandavit ut

idem facerent; 7° denudantur altaria, ad significandum Christum per lapidem altaris repræsentatum, in cruce fuisse nudum; 8° sonus campanarum, dicto hymno *Gloria in excelsis*, suspenditur usque ad initium ejusdem hymni in sabbato sancto, et interea fit strepitus per aliquod ligneum instrumentum, ut mos fuit faciendi in primis Ecclesiæ sæculis. Silentium campanarum mystice exprimit silentium Apostolorum, qui, relicto Christo, abierunt.

11° *Feria sexta in Parasceve.* Parasceve apud Græcos idem sonat ac præparatio, et sic vocabatur dies immediate præcedens sabbatum, quia in illa parandi erant cibi in sabbato sumendi. Cum in ea die Christus passus, crucifixus et mortuus fuerit, viri Apostolici eamdem passionum et mortis Christi memoriæ specialiter consecrarunt, retento nomine eo tempore et Evangeliis usitato.

In hac die qua recolitur Christus ut mortuus, 1° non celebratur Missa proprie dicta, sed tantum Missa præsanctificatorum; 2° cantatur vel recitatur Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Joannem; 3° pro diversis Ordinibus Ecclesiæ, et etiam pro iis qui non sunt de Ecclesia, ut sunt schismatici, hæretici, Judæi, pagani, specialiter oratur, ad expressius significandum Christum pro omnibus mortuum esse : ante orationem pro Judæis omittitur *Oremus* et *Flectamus genua,* quia, ait Alcuinus, auctor noni sæculi, Judæi flexis genibus illuserunt Christo; 4° solemnis adoratio crucis fit sequenti modo : crux, cum imagine Christi in ea affixi, super pulvinum violacei coloris deponitur; celebrans, depositis calceamentis, manibus junctis et demissis oculis, in certa a cruce distantia se constituit, duobus genibus flexis et inclinato capite, crucem adorat, mente vel ore secreto dicens : *Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum;* surgit, incedit, et in medio loco, inter primam adorationem et crucem, idem facit, deinde tertio ante ipsam crucem quam postea deosculatur, non in faciem Christi, nec in manus, nec in latus, sed, ex reverentia, in solos pedes. Accedunt deinde diaconus et sub-

diaconus, et sic ordinate, ut dum celebrans secundam facit adorationem, diaconus faciat primam, et dum facit tertiam, diaconus faciat secundam et subdiaconus primam. Postea veniunt clerici, incipiendo a dignioribus, et laici idem facientes : si præsens esset Episcopus, primus post celebrantem accederet. Ubi major est numerus fidelium ut omnes tres faciant adorationes, sicut clerici, digniores tantum et in choro assistentes hunc sequuntur modum; cæteris præbetur crux quam successive deosculantur genuflexi.

Plures parochi arbitrati sunt se hac die reliquias veræ crucis loco crucis ordinariæ fidelibus præbere posse adorandas. Errabant, nam ubique in liturgia fit adoratio crucifixi, id est imaginis Christi cruci affixi.

12° *Sabbatum sanctum.* Sabbatum judaicum in festa Paschalia incidens magnum valde dicebatur, hoc sabbatum semper fuit celebre apud Christianos tanquam præparatio ad maximam festivitatem Paschæ, et dictum est sanctum. In eo die 1° catechumeni olim baptizabantur; 2° non dicebatur Missa, ne quidem præsanctificatorum : officium incipiebat ad vesperam; protrahebatur in noctem dominicæ, ita ut Missa versus diem nascentem celebraretur. Paulatim tempus hujus officii fuit anticipatum, donec sabbato mane cum Missa fuerit celebratum; et ideo adhuc dicitur in præconio *O beata nox*, in præfatione *in hac potissimum nocte*, in canone *noctem sacratissimam.* 3° Novus benedicitur ignis qui ope instrumenti e silice eruitur : die præcedenti cuncta fuerunt exstincta luminaria ecclesiæ, in signum mortis Christi luminis mundi; e lapide, qui est figura Christi, novus educitur, profertur et benedicitur ignis, ex quo accendendus est cereus paschalis, ad significandum Christum esse resurrecturum et habere in se principium luminis et vitæ. 4° Benedicitur solemniter cereus paschalis, qui totus debet esse ex cera, pondere cereis communibus major, et sat altus ut in cunctis officiis publicis usque ad Ascensionem accendi possit. In basilica Lateranensi octoginta est librarum; quidam volunt eum esse debere saltem decem vel octo

librarum : id quidem optimum est, sed tamen in plerisque ecclesiis minoris est ponderis, ex usu recepto. Repræsentat Christum ex mortuis suscitatum, lumen mundi et idcirco quinque grana incensi in eo figuntur ad significandas quinque illius plagas. Diaconus magnificum cantat præconium, quod quidam S. Aug., alii S. Leoni tribuerunt, sed cujus auctor remansit ignotus; cum autem diaconus non sit alicujus benedictionis ecclesiasticæ minister, dicendum est cereum paschalem quem laudat et exaltat, ab illo præcise non benedici, et benedictionem ipsi communicari per accensionem luminis et insertionem granorum incensi a sacerdote celebrante benedictorum. 5° Fit benedictio solemnis aquæ baptismalis, et si sint catechumeni baptizandi, statim baptizantur : cantantur litaniæ, quas celebrans et ministri, juxta rubricam, prostrati, recitare non tenentur.

13° *Pascha* seu *Resurrectio Christi*. Hoc maximum festum appellatur in Martyrologio *Solemnitas solemnitatum* : est institutionis Apostolicæ, et præ cæteris Ecclesiæ solemnitatibus gaudium et lætitiam excitat, fidem corroborat et æternæ jubilationis pignus ineffabile nobis præstat; quia si Christus, factus nobis similis, a mortuis suscitatus, in gloriam intraverit, et nos debemus in fine sæculorum resurgere et cum illo in æterna gloria regnare.

In hujus diei officio, quod antiquam redolet simplicitatem, omissione hymni, capitulorum et responsoriorum brevium, continuo resonat lætissimum verbum *Alleluia*, quod per vicos Jerusalem cœlestis æternaliter cantabitur, Tob. XIII, 22, et in fine cujuslibet horæ ponitur hæc festivissima antiphona : *Hæc dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea.* Tres tantum dicuntur lectiones per octavam.

In vesperis fit apud nos processio ad fontes, in qua cantantur psalmi *Laudate pueri* et *In exitu*, ad significandum recenter baptizatos transiisse quasi per mare Rubrum et de Ægypto seu de captivitate dæmonis exiisse.

Dominica sequens vocatur *in Albis*, seu potius post albas

depositas, quia vestes albæ, quibus neobaptizati Sabbato sancto induebantur, sabbato sequenti deponebantur.

Tempus paschale est octava hebdomadarum et terminatur vigilia sanctissimæ Trinitatis.

14° *Ascensio Domini.* Quadragesimo die a Resurrectione hoc celebratur festum, quod ideo in Constitutionibus Apostolicis, l. 8, cap. 3, dicitur dies Assumptionis Domini, et a S. Aug.. Serm. 271, *dies quadragesimus Ascensionis Domini* nominatur. Idem S. Doctor dicit, Epist. 54 : « Illa autem quæ non scripta sed tradita custo- » dimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, da- » tur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conci- » liis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, » commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini » passio, et resurrectio, et ascensio in cœlum, et adven- » tus de cœlo Spiritus sancti anniversaria solemnitate ce- » lebrantur, et si quid aliud tale occurrit quod servatur » ab universa, quacumque se diffundit, Ecclesia. » Magnæ ergo illæ festivitates ab universa servabantur Ecclesia tempore S. Aug., sicut tempore nostro, et velut ex Apostolica traditione descendentes habebantur.

Hæc festivitas octavam non habebat tempore Rodulphi de Rivo, Tongrensis decani, qui de officio divino anno 1390 scribebat; sed mox habuit, et duo dies inter hanc octavam et Pentecosten intercedentes, velut continuatio octavæ habentur, ac ritu semiduplici celebrantur. In loco evangelii istius festi, ubi legitur : *Assumptus est in cœlum,* cereus paschalis exstinguitur ac aufertur, ex decreto S. Pii V, sicque ascensio Christi exprimitur.

Vigilia Pentecostes semper eodem ritu servata est ac vigilia Paschæ, excepta cerei paschalis benedictione.

Ex Tertulliano dicente, lib. de Corona, cap. 3 : *Eadem immunitate* (jejunandi) *a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus,* atque ex pluribus aliis primis Patribus, constat primitus nullum exstitisse jejunium ob temporis paschalis lætitiam, inter Pascham et Pentecosten; sed quoniam mos prævaluit jejunare, saltem ex devotione, feriis Rogationum seu supplicationum, quæ a S. Mamerto, Vien-

nensi Episcopo, versus 469 fuerunt institutæ ad iram Dei placandam, similiter contigit ut vigilia Pentecostes etiam jejunaretur : at jejunium Rogationum obsolevit, sola retenta a carnibus abstinentia, dum jejunium vigiliæ Pentecostes fere ubique factum est de præcepto.

15° *Pentecostes.* Die quinquagesimo post egressum de Ægypto, Lex vetus promulgata est in monte Sinai, per ministerium Moysis, et memoria hujus diei fuit celebris apud Judæos : similiter quinquagesimo die post resurrectionem Christi. Lex nova seu Evangelica fuit sua vice promulgata per admirabilem Spiritus sancti effusionem in omnes Apostolos, et per sensibiles effectus inde sequentes. Concordia tam perfecta casui fortuito tribui non potest : unde dies Pentecostes, seu quinquagesimus, semper fuit solemnis in Ecclesia, et eumdem habet ritum ac ipsa Pascha.

16° *Festum sanctissimæ Trinitatis.* In Decretal. l. 2, tit. 9, cap. 2, refertur Constitutio Alexandro III tributa, quam Bened. XIV affirmat esse Alexandri II, anno 1061 ad dignitatem pontificiam evecti : ille Pontifex testatur varias tunc exstitisse consuetudines circa celebrationem festi sanctissimæ Trinitatis, secundum diversitatem regionum; a quibusdam in octava Pentecostes celebrari ab aliis dominica prima ante Adventum, et Ecclesiam Romanam usum non habere speciale festum sanctissimæ Trinitati consecrandi, cum ei quotidie dicatur : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Hæc glorificatio, in fine psalmorum, in fine responsoriorum et etiam hymnorum, verbis tantum mutatis, recitari aut cantari solita, a quibusdam magno concilio Nicæno tribuitur; ab aliis habetur ut anterior, et tantum additio *Sicut erat in principio*, etc., ad hoc concilium refertur; alii tandem judicant eam ab Orientali Ecclesia in Occidentalem non fuisse introductam, sed initium habuisse in Gallia Narbonensi, in sexto sæculo.

Quidquid sit, hæc consuetudo est antiquissima et universalis; attamen plures ecclesiæ judicarunt, saltem a decimo sæculo, conveniens esse peculiare festum insti-

tuere in honorem sanctissimæ Trinitatis mysterii, quod est fundamentum fidei nostræ : sic ortum habuerunt variæ consuetudines, quas Alexander II in sua decretali commemorat. Ecclesia Romana has consuetudines non improbavit, et tandem Joannes XXII, qui anno 1334 obiit, primus decrevit ut festum sanctissimæ Trinitatis prima die dominica post Pentecosten ab universali Ecclesia celebraretur. Bened. XIV, de Festo sanctiss. Trin. n. 10.

Videtur tamen ejus institutionem non evasisse generalem nisi posterius, ut legi potest apud Thomassinum, *Bergier*, etc.

17° *Festum Corporis Christi*. Pia virgo, nomine Juliana, in pago diœcesis Leodiensis anno 1193 nata, et monialis in conventu montis Cornelii, singulari devotione flagrabat erga præsentiam Domini nostri Jesu Christi in sacra Eucharistia. Cœlesti visione frequenter donata, intellexit Christum optare ut solemnis institueretur festivitas ad recolendam divinæ Eucharistiæ memoriam, et ipsam ad procurandam hanc institutionem fuisse electam. Obstupuit humilis virgo, judicans se tanto perficiendo operi esse prorsus imparem. Verumtamen, supernis auxiliis confisa, plures consuluit viros pietate et scientia conspicuos, qui responderunt ejus propositum nihil præ se ferre nisi laudabile, Deo ac Ecclesia dignum : tunc secretum suum aperuit; multas difficultates, tribulationes ac persecutiones passa est, et nihilominus obtinuit, anno 1246, a Roberto, Leodiensi episcopo, edictum quo postulata solemnitas instituebatur per totam diœcesim, feria quinta post festum sanctissimæ Trinitatis quotannis celebranda, cum jejunio in vigilia. Canonici ecclesiæ collegiatæ S. Martini, intra muros civitatis, soli paruerunt edicto, cæteris reclamantibus, et primi hoc festum anno 1247 solemniter celebrarunt, Juliana adhuc vivente.

Ea circa annum 1260 mortua, Eva, altera pia mulier Leodii habitans, cui Juliana totum negotium suum communicaverat, ab Henrico, Roberti successore, efflagitare non destitit ut Romanum pontificem exoraret quod nova festivitas ad universalem extenderetur Ecclesiam. Urba-

nus IV, Sanctam Sedem tunc occupans, archidiaconus fuerat Leodiensis, Julianam noverat, audierat et propositum ejus ut bonum et probandum laudaverat : precibus multiplicatis hac de re susceptis ac diu perpensis, edidit, die 11 augusti 1624, bullam qua prædictam instituit solemnitatem feria quinta post primam dominicam Pentecostes in universa Ecclesia celebrandam.

Duplex editum fuit officium pro hac solemnitate, unum a quodam Joanne, clerico Leodiensi, quod per plures annos in Ecclesia S. Martini Leodiensis fuit celebratum; et alterum jussu Urbani IV a S. Thoma de Aquino compositum, in Breviario Romano insertum, et nunc existens. Plures arbitrantur multa ex priori officio servata fuisse, et S. Thomam ea ad formam Breviarii Romani redegisse.

Solemnis sanctissimi Sacramenti processio, cujus nulla fit mentio in bulla Urbani IV, ex devotione paulatim fuit introducta, ut ostendit *Fleury, Hist. eccl.*, l. 95, n. 9, et facta est universalis.

Sacra Rituum Cong. definiit, die 23 martii 1709, sanctissimum Sacramentum in hac processione et in ea quæ fit dominica sequenti, deferendum esse a sacerdote qui celebraturus est Missam. Si Episcopus processioni intersit et ex causa non celebraverit, debet tamen, ex Cæremoniali episc., l. 2, cap. 3, venerabile Sacramentum portare.

18° *Inventio S. Crucis.* Adrianus imperator, ex odio Christianorum, sanctum Christi sepulcrum terra oppleri, et in eo loco templum Veneri dedicatum exstrui jussit. Constantinus ad fidem conversus magnificentissimam ecclesiam in eodem loco erigere studuit, et mater ejus, sancta Helena, Jerusalem, circa finem anni 326, adventa cuncta in circuitu loca everti jussit, et tres inventæ sunt cruces sibi invicem adjacentes. Crux Christi agnita est ex titulo : *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*, juxta S. Ambrosium, et ex miraculosa sanatione mulieris ad tactum sanctæ illius crucis, juxta Ruffinum, Socratem, Sozomenum et Theodoretum, vel ex ejusdem aut alterius jam mortuæ resurrectione, secundum S. Paulinum Nolanum, in epistola ad Sulpitium Severum. Quidquid sit, dubitari

non potest quin certa adhibita fuerint media veritatem cognoscendi.

Bollandistæ referunt crucis partem S. Macario Hierosolymitano Episcopo traditam, ac postea in templo a Constantino Hierosolymæ exstructo locatam esse, et alteram ab Helena missam fuisse Romam, ut in templo S. Crucis in Hierosolyma poneretur : templum istud in memoriam crucis quam Constantinus viderat in cœlo exstrui curaverat Helena. Verisimile est, aiunt Bollandistæ, festivitatem Inventionis Crucis a die quo portio sanctæ Crucis in hac basilica posita est incœpisse, atque inde a summis Pontificibus in alias ecclesias Romæ et postea totius orbis catholici invectam esse. Jussu Gregorii XI, anno 1377 defuncti, compositum fuit officium inventionis et Exaltationis S. Crucis; Clemens VIII hoc officium ad ritum secundæ classis promovit, et Urbanus VIII voluit ut hæc Inventionis solemnitas die 3 maii celebraretur de præcepto.

Multæ nunc existunt particulæ de ligno S. Crucis per varias ecclesias dispersæ, quibus specialis exhibetur cultus variis decretis ordinatus, ut fuse explicavimus in Instructione nostra diei 5 aug. 1845.

19° *Transfiguratio Christi*. Constat, ex tribus Evangelistis, Matthæo, Marco et Luca, Christum secum assumpsisse discipulos Petrum, Jacobum et Joannem, eos duxisse in montem excelsum et coram ipsis transfiguratum esse. In memoriam hujus facti mirabilis institutum est festum, cujus origo et initium assignari non potest; sed Bened. XIV demonstrat illius institutionem, quæ vulgo Calixto III, anno 1457 mortuo, tribuitur, esse anteriorem, et hunc Pontificem illius officium composuisse, edidisse, recitari præcepisse, indulgentias ei annexuisse, et solemnitatem, die 6 augusti celebrandam, ad universalem Ecclesiam extendisse. Eo tamen tempore consuetudo jam erat ejusdem mysterii memoriam faciendi, sicut hodie, sabbato primæ hebdomadæ Quadragesimæ et dominica sequenti.

20° *Exaltatio S. Crucis*. Chosroes, Persarum rex, Hie-

rosolymam anno 624 expugnatam incendit, plurimos Christianos cum Zacharia patriarcha captos Hebræis vendidit, sanctam crucem cum sua theca argentea abstulit eamque tanquam monumentum pretiosissimum honorifice custodivit. Heraclius imperator magnam victoriam adversus Persas anno 627 reportavit : Siroes, Chosroæ filius et successor, pacem ab Heraclio petiit; inter conditiones quas Heraclius posuit, exegit ut sibi restitueretur crux Domini, eamque recepit in eadem theca argentea in qua S. Helena ipsam recludi curaverat. Sanctissimum pignus maximo cum triumpho susceptum est, et inde nata est occasio in solemniori ritu habendi Exaltationis sanctæ Crucis festivitatem quæ a multo tempore jam existebat, in memoriam eorum quæ sub Constantino Magno acciderant, ut probat Bened. XIV, et fixa erat diei 14 septemb.

De festo sacratissimi Cordis Jesu alibi diximus.

Sunt alia festa minora, aut recentius instituta, ut festum de *Pretiosissimo sanguine D. N. J. C.* Ea brevitatis causa omittimus.

§ II. — De festis in honorem beatæ Mariæ Virginis.

Gratianus, in Decreto, 3ª parte, dist. 3, can. 1, citat concilium quoddam Lugdunense ex quo tres tantum numerat festivitates in honorem sanctissimæ Virginis institutas, Purificationem, Assumptionem et Nativitatem. S. Bernardus quatuor recenset, tres præcedentes et Annuntiationem. Ab eo tempore plures aliæ fuerunt institutæ, quas breviter indicaturi sumus, sequendo ordinem anni civilis.

1° *Desponsatio B. Mariæ cum S. Joseph*, die 23 januarii. Constat enim, ex dictis in Tractatu *de Matrimonio*, verum exstitisse matrimonium inter B. Mariam Virginem et S. Joseph. Bened. XIV, de hoc festo disserens, statuit 1° a nota temeritatis excusari non posse qui veritatem hujus matrimonii nunc negaret; 2° communem esse sententiam B. Virginem quatuordecim circiter annis nupsisse; 3° opinionem quæ tenet S. Josephum priorem ha-

buisse uxorem ex qua suscepisset liberos esse falsam, et eum non fuisse ætate valde provectum, ut illum repræsentare solent pictores; 4° in decimo quinto sæculo festum Desponsationis B. Mariæ cum S. Joseph notum fuisse in Ecclesià Carnutensi, et Gersonem officium pro illo scripsisse; 5° Paulum III, in decimo sexto sæculo, commissario generali Fratrum Minorum concessisse facultatem ut fratres et sorores officium Desponsationis, ex officio Nativitatis desumptum, mutata voce *Nativitatis* in vocem *Desponsationis*, recitarent; 6° Benedictum XIII, edicto diei 22 augusti 1725, hoc festum ad omnes ditiones ecclesiasticas extendisse, die 23 januarii celebrandum; 7° annulum apud Perusinos asservatum, qui pie creditur B. Mariæ inserviisse quando nupsit, licet ab Innocentio VIII Perusinis præ Clusinis in magna lite adscriptum, non ideo esse certe authenticum. Sancta quippe Sedes pronuntians tale objectum ad hunc vel ad illum pertinere, de veritate ejus intrinseca non ideo judicat; quod pluries evenit ubi de identitate reliquiarum agebatur.

2° *Purificatio*, die 2 februarii. Certum est beatam Virginem Mariam, quæ more consueto non conceperat nec pepererat, veteri Legi circa purificationes mulierum non fuisse obligatam; ei tamen humilitatis causa se subjecit et 1° quadraginta diebus ab ingressu templi abstinuit; 2° primogenitum suum obtulit Domino, sicut præceptum erat in lege Moysis, et illum quinque siclorum oblatione redemit, secundum præscriptum Legis, quamvis S. Lucas de hoc sileat; 3° obtulit pro sua purificatione hostiam Lege statutam et pauperibus permissam, scilicet par turturum aut duos pullos columbarum, loco agni anniculi in Levitico, cap. XII, 6, præscripti.

Simul occurrunt in templo venerabilis senex nomine Simeon et prophetissa Anna, qui exsultaverunt præ gaudio, Deum benedixerunt et diversa vaticinati sunt. Unde hoc festum dicitur apud Græcos ὑπάνθήσις, *occursus*, a verbo ὑπαντᾷν, *occurrere* : habetur etiam apud illos, sicut et in ritu Ambrosiano, ut Festum Domini nostri Jesu Christi, qui hac die in templo fuit præsentatus; verum, juxta

Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, inter B. Virginis solemnitates sub nomine Purificationis ejus numeratur.

Institutionem hujus festi assignare non possumus : scimus tantum eam antiquissimam esse, siquidem Gelasius papa I, S. Eligius, S. Sophronius Hierosolym., S. Cyrillus Alex., etc., loquuntur de more suo tempore recepto benedicendi cereos eosque in processione deferendi, ut publice significetur vera esse hæc verba de Christo prolata : *Lumen ad revelationem gentium.*

3° *Annuntiatio*, quæ 25 martii celebratur, ad recolendum ineffabile Verbi divini Incarnationis mysterium, quod angelus Gabriel annuntiavit Mariæ Nazareth degenti, ut narratur Luc. I, 26 et seq. Si Bollandistis fides adhibeatur, beatissima Virgo, tanti beneficii gratam semper conservans memoriam, hanc diem quotannis singulari devotione colebat; Apostoli, cum hujusmodi piissimæ gratitudinis consuetudinem in sancta Dei Genitrice vidissent, eam observarunt et ubique servandam esse sanxerunt; sicque dicta festivitas esset traditionis Apostolicæ.

Certum est illam ad minus in septimo sæculo solemnem exstitisse, siquidem synodus in Trullo, anno 692 habita, præcipit ne per quadragesimam integrum Missæ sacrificium peragatur, *præterquam sabbato, dominica et sancto Annuntiationis die.* Verum Bened. XIV rectissime notat synodum Trullanam de institutione festivitatis non agere, illam vero supponere, e contra, ut existentem et universalem. S. Aug. et S. Gregorius Thaumaturgus, juxta eumdem doctissimum Pontificem, de illa festivitate non obscure loquuntur, quamvis non præcisis verbis.

4° *Compassio*, feria sexta post dominicam Passionis. Certum est B. Virginem crucifixioni divini Filii sui adfuisse, et ad stupendum hujusmodi spectaculum animam ejus incredibili dolore fuisse affectam, juxta Simeonis oraculum, *et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, Luc. II, 35. Theodoricus, Coloniensis episcopus, synodum provincialem in sua civitate anno 1418 agens, et comprimere volens audaciam Hussitarum, qui sanctissimas

Christi et B. Virginis dolore perfusæ imagines fœdabant, statuit ut deinceps festum commemorationis præfatæ angustiæ et doloris B. Mariæ Virginis, singulis annis feria sexta post dominicam Passionis, in omnibus ecclesiis suæ provinciæ in choro tantum celebraretur. Bened. XIII jussit per decretum 22 augusti 1725 ut officium ejusdem festi in tota ditione ecclesiastica recitaretur, et per aliud decretum, 22 augusti 1727, illud ad universalem Ecclesiam extendit sub nomine festi Dolorum beatissimæ Virginis, quod etiam dicitur festum Septem Dolorum B. Mariæ Virginis, quia septem præcipue numerantur circumstantiæ in quibus B. Virgo Maria vehementer doluit, et ideo pictores sanctam Deiparam septem gladiis perfossam depingunt.

5° *Auxilium Christianorum*, die 24 maii. Pius VII, libertatem feliciter adeptus anno 1814, post quinque annos duræ captivitatis quæ nullum finem habitura videbatur, declaravit suam liberationem tribuendam esse, juxta animi sui persuasionem, auxilio speciali beatissimæ Mariæ cui in tribulationibus suis confidebat, et decreto diei 16 septembris 1815 instituit, pro ditionibus ecclesiasticis, festum in honorem ejusdem sanctissimæ Virginis sub titulo Auxilii Christianorum. Plures ecclesiæ, notanter in Belgio, facultatem hoc celebrandi festum petierunt ac obtinuerunt. Confraternitas sub eo titulo, in ecclesia parochiali S. Nicolai civitatis Namurci a Leone XII, per Breve diei 17 nov. 1826, fuit erecta et multis indulgentiis plenariis ac particularibus locupletata. Erectionem alterius confraternitatis sub eodem titulo, die 17 martii 1835, pro cathedrali Cenomanensi pariter obtinuimus.

6° *Visitatio* B. Virginis, die 2 julii. Postquam discessit angelus qui Verbi incarnationem B. Mariæ Virgini annuntiaverat, ea, iter ingressa, venit in quamdam civitatem Judæ in montibus sitam, ad cognatam suam Elisabeth, sciens per testimonium Angeli eam, licet sterilem, in senectute concepisse et sextum decurrere mensem illius graviditatis; eam salutavit, mirabilia ab ea Spiritu sancto

repleta audivit, *mansit cum illa quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam*, Luc. I, 56. Negari non potest memoriam sanctissimæ hujus visitationis dignam esse speciali cultu; officium in illius honorem celebratum fuisse ab ordine fratrum Minorum, anno 1263, testatur Benedictus XIV, n. 9, et ejus institutionem, pro tota Occidentali Ecclesia, tribuit Urbano VI, quo mortuo, Apostolicas ejus litteras nondum editas Bonifacius IX, illius successor, promulgavit per Const. anni 1389. Concilium Basileense, anno 1414, in sess. 43, statuit ut dictum Visitationis Mariæ festum die 2 julii in omnibus Christiani orbis ecclesiis solemniter celebraretur. *Labbe*, t. 12. Licet concilium Basileense tunc non fuerit œcumenicum, nihilominus festivitas Visitationis facta est universalis pro choro, non pro foro.

Recenti decreto, nempe pridie calendas julii 1850 edito, S. P. Pius IX, in memoriam Urbis a perditorum hominum jugo, die 2ª julii, liberatæ et, aliquot post dies, civilis Apostolicæ Sedis principatus restituti, festi Visitationis gradum auxit, duplicemque secundæ classis pro universa Ecclesia effecit.

7° *Festum B. Mariæ de Monte Carmelo*, die 16 julii. Mons Carmelus, inter Judæam et Syriam, fuit illustratus præsentia Eliæ et miraculo quo ignis de cœlo in prophetas Baal descendit. Existit celebris ordo religiosus, dictus de monte Carmelo ab Elia et Eliseo, quos ut primos patriarchas suos veneratur. Fertur Simeonem Stock, virum eximiæ sanctitatis, generalem totius ordinis Carmelitarum, in tredecimo sæculo visionem habuisse, multo ante suum obitum, in qua B. Virgo Maria ei apparuit ostenditque scapulare tanquam peculiare signum suæ protectionis in Carmelitarum ordinem; deinde quinquaginta post annis eamdem Virginem apparuisse Joanni XXII, summo Pontifici, eumque monuisse de pluribus indulgentiis quas a Jesu Christo filio suo fratribus et sororibus Carmelitani ordinis impetrasset, et eas ab illo Pontifice fuisse promulgatas, die 3 martii anni 1322, per bullam quæ vulgo dicitur *Sabbatina*.

Hæc bulla non modicas patitur difficultates, ut videre est apud Bened. XIV, de Festis, l. 2, cap. 6, n. 9 : Paulus V eas non dirimens, permisit « patribus Carmelita-» nis prædicare quod populus christianus pie credere » possit de adjutorio animarum fratrum et confratrum » in charitate decedentium, qui in vita habitum gestave-» rint, etc.

» Quapropter, ait Bened. XIV, cum ea omnia quæ tum » in B. Stockii visione, tum in Sabbatina bulla difficulta-» tem creare poterunt, sapientibus doctorum virorum » animadversionibus et Romani pontificis decreto sublata » sint ; cumque gliscentibus maxime contentionibus, » nemo unquam cultum erga B. Virginem de monte Car-» melo ausus sit improbare, quem Romani Pontifices tot » tantisque indulgentiis locupletarunt ; cum denique, » B. Virgine intercedente, plura Deus miracula ediderit » in eorum utilitatem qui huic devoto cultui sunt ad-» dicti..... quisque fateatur necesse est festivitatem de » monte Carmelo non sine gravi institutam esse judicio, et » in universali Ecclesia cum officio et Missa propria cele-» brari. Eam pro Carmelitarum ordine anno 1587 appro-» bavit Sixtus V, et ex decreto S. Rit. Cong. novis auxit » lectionibus a venerabili card. Bellarmino recognitis. »

Eamdem festivitatem, diversis successive temporibus, Romani pontifices ad aliquot civitates, provincias et regna extenderunt, ut populorum, episcoporum aut principum devotioni satisfieret, et Bened. XIII ad universalem Ecclesiam.

8° *Festum S. Mariæ ad Nives,* die 5 augusti. Est anniversarium dedicationis celebris basilicæ nunc dictæ S. Mariæ-Majoris, Romæ existentis, quæ vocata est *ad Præsepe,* quia præsepe Domini, quod ex Bethleem dicitur asportatum, in ea cum honore servatur ; appellatur etiam *basilica Liberiana,* quia sub Liberio summo Pontifice in quarto sæculo fundata est ; et S. Maria *ad Nives*, ex pia populari traditione, quæ tenet, referente Bened. XIV, de Festis, l. 2, cap. 7, n. 6, nonis augusti, quo tempore gravissimi Romæ sunt calores, nivem noctu in Enquili-

num collem decidisse, et eadem nocte Joannem, patricium Romanum, atque ejus uxorem in somnio a B. Virgine, cui erant addictissimi, monitos fuisse ut in parte collis nive tecta templum in ipsius honorem exstruerent; Liberium idem simul habuisse somnium quod Joanni communicavit, ad collem cum populi et cleri concursu processionaliter ivisse, eum nive tectum invenisse, ac in eo locum templi designavisse, quod deinde Joannis et uxoris ejus sumptibus exstructum est. Hoc miraculum consignatur in Martyrologio Romano dicente : *Romæ, in Exquiliis, dedicatio Basilicæ sanctæ Mariæ ad Nives;* deinde factum nivis miraculosæ narratur. Constat festivitatem hujus dedicationis celebratam duodecimo sæculo in ipsamet basilica, in quarto decimo sæculo ad totam urbem extensam esse, et a Pio V ad universalem Ecclesiam. Postea eadem basilica, ob maximam ejus celebritatem, dicta est *S. Maria-Major*.

Quando summus Pontifex in Palatio Quirinali residet, Brevia sua et bullas inscribit de S. Maria-Majori.

9° *Assumptio B. Mariæ in cælo,* die 15 aug. S. Epiph., Hæresi 78, dubitat an B. Maria mortua fuerit : alii id expresse negarunt, ob privilegium immaculatæ conceptionis, quia mors est pœna peccati originalis, a quo B. Maria fuit exempta. Sed opinio totius Ecclesiæ est sanctissimam Deiparam, sicut cæteros Adami filios, obiisse. Disputatur de anno et loco mortis ejus : communius asseritur eam, annis septuaginta duobus natam, mortuam esse Hierosolymis juxta quosdam, Ephesi juxta alios. Bened. XIV, neutram ex his sententiis amplectens, statuit cap. 8, n. 12, « exploratum esse B. Virginem ex hac vita migrasse, ejus animam a corpore fuisse sejunctam, statimque, nulla vel minima mora interjecta, non solum beata visione fuisse præditam, sed sublatam ad empyreum et exaltatam super choros angelorum; » et postea addit corpus ejus peculiari privilegio revixisse et simul cum anima in cœlum gloriose translatum esse.

Non conveniunt doctores quo die et tempore B. Maria revixerit et in cœlum assumpta fuerit : quidam mortem

seu dormitionem ejus ab assumptione distinguunt, et alii volunt utramque eodem die contigisse.

Magna Assumptionis solemnitas in universa celebratur Ecclesia, saltem ab octavo sæculo, et probabilius a sexto, ut probat Benedict. XIV, de Festis, cap. 8, n. 29; olim celebrabatur die 16 januarii, sub titulo dormitionis; die 18 januarii, sub titulo Depositionis; et tandem die 15 augusti, sub nomine Assumptionis B. Mariæ.

Non tamen de fide est, ut omnes fatentur, dictam Virginem resurrexisse et in cœlum corporaliter elevatam esse.

10° *Nativitas B. Mariæ,* die 8 septembris. Dies natalis aliorum sanctorum est dies mortis, quo in beatitudine æterna nascuntur. Celebrabatur natalis Domini et natalis S. Joannis Baptistæ tempore S. August., ut patet ex seq. ipsius verbis, Sermon. 287 : « Natales dies carnis nulli » Prophetarum, nulli Patriarcharum, nemini Apostolo- » rum celebravit Ecclesia : solos duos natales celebrat hu- » jus (Joannis Baptistæ) et Christi. » Unde merito infertur nativitatem B. Mariæ nondum exstitisse ut festum. Conveniens tamen postea visum est eam instituere; ignoratur quo præcise tempore. Nonnulli putant eam primo institutam fuisse sæculo duodecimo in Gallia, et inde in Italiam commeasse. Verum constat eam exstitisse tempore Ildephonsi, sæculo septimo scribentis et dicentis, Bibliotheca Patrum, t. XII : « Nullius igitur nativitas celebra- » tur in mundo, nisi Christi et ejus (Mariæ) atque beati » Joannis. Joannes autem qui et ipse in utero sanctificatus » legitur; sic et beata Virgo Maria, nisi in utero matris » sanctificata esset, minime ejus nativitas colenda esset. »

In Codice sacramentorum Romanæ Ecclesiæ, qui creditur esse S. Leonis Magni aliorumque prædecessorum Pontificum, habetur Missa in Nativitate S. Mariæ cum propriis orationibus; in Sacramentario S. Gregorii a Menardo edito, p. 128, sunt orationes ad matutinum, processionem et Missam in Nativitate B. Virginis Mariæ. Probabile nihilominus videtur hanc festivitatem in Ecclesia Romana antiquiorem, in Gallia ante nonum sæculum non fuisse introductam, ut infertur ex multis testimoniis a Bened. XIV

citatis. Nunc, et a duodecimo sæculo, celebris est tam apud Græcos quam apud Latinos, et die 8 septembris habetur.

11° *Festum Nominis B. Mariæ*, dominica infra octavam Nativitatis. Venerandum semper fuit nomen S. Mariæ, et diu prohibitum fuit ne, præ reverentia, alteri feminæ imponeretur; serius hoc concessum est, et mos invaluit ut multis etiam viris ex devotione daretur. Deinde factum est ut cultus illi sancto nomini exhiberetur, qui anno 1513 diplomate Pontificio pro civitate et diœcesi Conchiensi in Hispania fuit approbatus, a Pio V sublatus, et a Sixto V restitutus. Innocentius XI jussit, anno 1683, ut officium Nominis Mariæ ab universali Ecclesia die dominica infra octavam ejusdem Nativitatis recitaretur in memoriam celebris victoriæ qua, ope beatissimæ Mariæ, exercitus Turcarum urbem Viennam obsidentium profligatus est.

12° *Festum B. Mariæ de Mercede*, die 24 septembris. B. Virgo Maria apparuit S. Petro Nolasco, S. Raymundo de *Peñafort*, et Jacobo regi Aragoniæ; eosque monuit sibi ac filio suo gratum fore, si in ipsius honorem institueretur ordo religiosorum qui operam darent liberandis Christianis e captivitate Turcarum. Tunc institutus est ordo regularis sub invocatione B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum. Hinc nata est festivitas ad exhibendum specialem cultum B. Mariæ, pro isto singulari beneficio, sub titulo de Mercede redemptionis captivorum. Officium primo soli ordini fuit concessum, deinde ad omnia Hispaniæ regna, ac postea ad Gallias propagatum; deinde Innocentius XII jussit illud die 24 septembris ab universali Ecclesia recitari.

13° Pius VII anno 1814 festum *Septem Dolorum B. Mariæ* de novo instituit, in memoriam suæ captivitatis, et statuit ut illud tertia dominica septembris per universam Ecclesiam celebraretur. Officium est prorsus distinctum ab officio Compassionis.

14° *Festum Rosarii sanctissimæ Virginis*, dominica prima octobris. Die 7 octobris 1571, quæ fuit prima dominica octobris, commissum est prælium navale ad Nau-

pactum, Pio V regnante, cui victoria Christianorum adversus Turcas divinitus eodem momento quo obtinebatur revelata est. S. Pontifex jussit quotannis S. Mariæ de Victoria commemorationem fieri, ut in Martyrologio habetur ad hunc diem. Gregorius XIII, advertens quod memorabilis victoria reportata esset dum piæ sodalitates sanctissimi Rosarii, de more suo et instituto processione incedentes, Deum devote precarentur, ita ut pie æstimari potuerit ejusmodi preces, intercedente B. Virgine Maria, ad eam victoriam plurimum contulisse, statuit, die 1 aprilis 1573, solemnem deinceps prima dominica octobris festivitatem peragendam fore, sub nomine Rosarii, in iis tantum ecclesiis in quibus capella vel altare erectum esset sub invocatione B. Virginis Rosarii. Die 26 octobris 1671 Clemens X, precibus Mariannæ Hispaniarum reginæ inclinatus, hoc festum celebrari permisit in cunctis regionibus catholicis regi Hispaniarum subjectis, etiam ubi nullum esset sacellum vel altare sub invocatione B. Mariæ Virginis Rosarii erectum.

Sub Innocentio XII delatæ sunt preces, nomine Leopoldi imperatoris, S. Rit. Cong. ut ad universalem Ecclesiam officium et Missa Rosarii propagarentur; sed Pontifex, morte præventus, rescriptum quo precibus Leopoldi satisfiebat, approbare non potuit. Clemens XI, ejus successor, decretum illud approbavit, die 3 octobris 1716, ac mandavit ut in universali Ecclesia prædictum Rosarii officium recitaretur et Missa celebraretur.

15° *Festum de Patrocinio B. Mariæ*, dominica tertia novembris. Certum est B. Virginem pro nobis apud Deum intercedere, et patrocinium ejus feliciter invocari. Illam ergo merito ac convenienter invocare possumus ut potentem patronam nostram; ac proinde non mirum si festum in honorem ejus sub titulo ipsius patrocinii fuerit institutum. Colligitur ex decreto S. Cong. Rit. diei 6 maii 1679, illud festum omnibus provinciis regi Hispaniarum subjectis fuisse concessum, deinde aliis regionibus, et a Bened. XIII omnibus ditionis ecclesiasticæ provinciis.

16° *Præsentatio B. Mariæ in templo*, die 21 novembris,

Pia et antiqua est traditio B. Mariam adhuc teneram, tribus annis natam, ut communius habetur, a parentibus in templo præsentatam fuisse et educatam, donec matrimonio Joseph fuerit conjuncta. Bened. XIV affirmat de ipsa præsentatione nullam esse rationem dubitandi, quamvis de illius tempore et modo multa narrentur incerta : festivitas in honorem ejus præsentationis vetus erat in Ecclesia Orientali, siquidem imperator Comnenus, qui regnare cœpit anno 1143, eam inter alias festivitates commemorat. Gregorius XI, Avenione degens, precibus Philippi Mazerii, regis Cypri cancellarii, annuens, officium ab illo sibi oblatum accepit, diligenter examinandum curavit, ac decrevit, anno 1374, ut hæc dicta festivitas in tota Ecclesia Occidentali die 21 novembris celebraretur.

17° *Immaculata Conceptio beatæ Mariæ Virginis*, die 8 decembris. De mysterio immaculatæ conceptionis beatæ Mariæ et festo in illius honorem instituto sufficienter diximus in Tractatu *de Peccatis*.

18° *Translatio sanctæ domus Lauretanæ*, die 10 decembris. Bened. XIV, in magno opere de Canoniz. Sanctorum, l. 4, 12ª part., cap. 10, et in Tractatu de Festis, lib. 2, cap. 16, erudite probat, ex traditione, ex Constitutionibus plurimorum summorum Pontificum, nempe Pauli II, Julii II, Leonis X, Pauli III, Pauli IV et Sixti V; ex Martyrologio Romano in quo ad diem 10 decembris sequentia inserta sunt verba, ex decreto S. Cong. Rit. diei 31 augusti 1669 : « Laureti, in Piceno, translatio sacræ » domus Dei Genitricis Mariæ, in qua Verbum caro factum est; » et ex celebriorum criticorum sententiis, inter quos numerantur Bollandistæ, ad 25 martii, § 4, Natalis Alexander, Hist. Eccl. decimo tertio sæculo, Theophilus Reynaldus, *Baillet*, P. Honoratus a Sancta Maria, Gravesonus, Guido Grandus, abbas Camaldulensis, D. *Calmet*, Muratorius, etc. ; — probat, inquam, domum natalem beatæ Virginis, divinis mysteriis consecratam, ab infidelium potestate ereptam, in Dalmatiam prius, deinde in agrum Lauretanum, Picenæ provinciæ, in ditionibus

ecclesiasticis, translatam fuisse ministerio Angelorum, sedente S. Cælestino V, vel sub Bonifacio VIII, versus annum 1294. Refert Clementem VII tres misisse viros qui magnitudines et mensuras domus Lauretanæ cum mensuris locorum in quibus ante fuisset conferrent, eosque, loco Dalmatiæ et fundamentis domus Nazareth visitatis, reperiisse mensuras cum magnitudinibus domus Lauretanæ collatas optime sibi esse concordes. Certum est domum Lauretanam in universo orbe catholico celebrem esse, multo populi concursu frequentari, et innumeris illustratam fuisse miraculis.

His omnibus permotus Innocentius XII, ut cultus fidelium erga beatissimam Virginem magis excitaretur, permisit ut dies anniversaria translationis sanctæ domus ejus cum officio et Missa solemniter, die 10 decembris, celebraretur in tota Piceni provincia. Officium istud, cum propria Missa, in Piceno limitatum, die 9 maii 1719, ad omnem Etruriam propagatum est; deinde a Bened. XIII ad omnes ditionis ecclesiasticæ provincias, et tandem ad cunctas regiones Hispaniarum regi subjectas, ex decretis 23 augusti 1722 et 10 novembris 1729.

19° *Festum Exspectationis partus B. Mariæ,* die 18 decembris. Sciendum est festum Annuntiationis olim in Hispania celebratum esse die 18 decembris, ex decreto conc. Toletani in septimo sæculo celebrati, *Labbe*, t. VI, eo quod 25 martii semper in Quadragesima vel in Paschate incidat. Attamen, sequentibus temporibus, Hispaniarum Ecclesiæ ad constantem Ecclesiæ Romanæ usum Annuntiationem die 25 martii celebrandi devenerunt; sed huic solemnitati alteram substituerunt, die 18 decembris, sub titulo Exspectationis partus B. Mariæ, quam Gregorius XIII anno 1573 approbavit. Hæc festivitas appellatur etiam beatæ Mariæ de *O*, cujus nominis origo ducta est ab antiphonis per *O* incipientibus, suspiria, gemitus et desiderium veterum Patrum adventum Redemptoris advocantium exprimentibus, quia prima harum antiphonarum in primis hujusmodi festi Vesperis dicitur.

Officium hujus festi cœpit recitari in regionibus reipublicæ Venetorum subjectis, ex indulto S. Cong. Rit. diei 3 septembris 1695, et ad omnia ditionis ecclesiasticæ loca extensum est decreto Bened. XIII, diei 22 augusti 1725.

20° *Festum B. Mariæ in sabbato.* Constat vetustum esse pium morem exhibendi in sabbato B. Mariæ Virgini peculiarem quemdam cultum, et Missas in ejus honorem hac eadem die celebrandi. B. Petrus Damianus, anno 1073 vita functus, dicit in Opusc. 33, cap. 3 et 4, pium inolevisse morem ut per omne sabbatum Missarum officia in honorem B. Mariæ celebrarentur, nisi forte festivitas aut feria Quadragesimalis obsisteret. Cardinalis *Bona,* in Tractatu de divina Psalmodia, cap. 12, § 2, contendit officium B. Mariæ in sabbato trecentis annis ante B. Petrum Damianum in Ecclesia tam Græca quam Latina recitari consuevisse. Urbanus II, in concilio Claromontano, anno 1095, statuit « ut Horæ B. Mariæ dicerentur » quotidie officiumque ejus diebus sabbati fieret. » Micrologus de ecclesiastic. Observationibus, in undecimo sæculo scriptus, cap. 60, dicit : « Et sabbato de sancta » Maria pene usquequaque servatur, non tam ex aucto» ritate quam ex devotione. » Bibl. Patr., t. XVIII.

Postea duplex nata est obligatio relative ad regulares et ecclesiasticos in sacris constitutos : una recitandi quotidie cum officio divino, parvum B. Mariæ officium; et altera, in ejus honorem celebrandi sabbatum. S. Pius V, quando vetus Breviarium ex mandato concilii Trid. emendavit, obligationem sustulit recitandi extra chorum officium parvum B. Mariæ, officiumque componi jussit de B. Maria in sabbato, ad quod omnes tenerentur.

§ III. — De præcipuis festis Sanctorum.

Inter Sanctos religioso cultu in Ecclesia honoratos, sunt Angeli, Sancti Veteris Testamenti et Sancti Novi Testamenti.

De Angelis.

Ex Scriptura sacra, traditione et Ecclesiæ interpretatione, constat multos esse Angelos beatos, qui propterea cultu religioso honorari possunt, sine ullo dubio. Novem numerantur Angelorum ordines in triplici hierarchia distributi, scilicet Seraphim, Cherubim et Throni, Dominationes, Virtutes et Potestates, Principatus, Archangeli et Angeli.

Tres tantum, ex Scriptura, nominatim designantur angeli, nempe Michael, Gabriel et Raphael. Quatuor alia nomina, *Uriel, Salathiel, Jehudiel, Barachiel*, a Judæis accepta, nulla fide digna traditione nituntur, et in Ecclesia non admittuntur. Imo concilium Laodicenum, in Capitularibus Caroli Magni, apud Baluzium, stricte prohibuit ne ignota Angelorum nomina fingerentur aut nominarentur, præter Michaelem, Gabrielem et Raphaelem; et in concilio Romano, sub Zacharia papa anno 745 celebrato, expresse dicitur nomina Angelorum, Michaele, Gabriele et Raphaele exceptis, non esse Angelorum, sed dæmoniorum.

His positis, plura notanda sunt ex praxi Ecclesiæ licita et consueta, nempe : 1° ut corporeos pingere licet Angelos, licet incorporeos, quia sub figura hominis apparuerunt justis. 2° Michael, Gabriel, Raphael, omnes Angeli et Archangeli, omnes sancti beatorum spirituum ordines publice et universaliter invocantur in Litaniis : item incensum, ad offertorium, *per intercessionem beati Michaelis archangeli, stantis a dextris altaris incensi*, benedicitur. 3° Dedicantur ecclesiæ et capellæ in honorem aut omnium Angelorum, aut singulorum, S. Michaelis, S. Gabrielis, vel S. Raphaelis; aut in honorem Angelorum Custodum, vel insignis apparitionis alicujus Angeli, v. g., S. Michaelis in monte Gargano, in Italia, anno 356, juxta Baronium, vel notabilis beneficii ministerio ejus obtenti. 4° Ecclesiæ pariter dedicari possunt Angelis Custodibus in genere, non vero Angelo Custodi talis homi-

nis, quia eo moriente, Ecclesia non haberet patronum nec titulum. 5° Ecclesiæ non dedicantur Deo in honorem omnium Cherubim, Seraphim aliorumve Angelorum ordinum, *cum hoc non sit usu receptum*, inquit Bened. XIV, de Canoniz., l. 4, part. 2, cap. 30, n. 10. 6° In universali Ecclesia officium celebratur, die 8 maii, in commemorationem apparitionis S. Michaelis in monte Gargano, et die 29 septembris, pro dedicatione templi in eo monte constructi; die 2 octobris celebratur officium Angelorum Custodum, quod, petente Ferdinando imperatore, concessum est a Paulo V, et deinde a Clemente X, decreto 13 septemb. 1670, positum est in præcepto pro universali Ecclesia. 7° In regionibus Hispaniæ subjectis et in pluribus ordinibus religiosis, ex variis summorum Pontificum decretis, recitatur officium S. Gabrielis, octavo die ante vel octavo die post Annuntiationem, id est 18 martii vel 1 aprilis, et officium S. Raphaelis die 2 maii. Cum enim sanctitas eorum constet Scriptura et ex praxi Ecclesiæ eorum nomina publice invocantis, laudabile est ut in eorumdem honorem templa Deo dicentur et officia celebrentur. 8° Sixtus V concessit, die 5 februarii 1590, ut in regno Portugaliæ et in cunctis regionibus ei subjectis recitaretur officium in honorem Angeli Custodis ejusdem regni : communis enim est theologorum sententia singula regna, provincias, civitates, diœceses, ecclesias, etc., suos habere Custodes Angelos : licet ergo eos speciali cultu honorare, et nihil vetat quominus summi Póntifices publicum officium in illorum honorem fieri permittant.

Unusquisque proprium Angelum Custodem cultu personali honorare potest, imo eum singulari devotione semper prosequi debet, ut sanctum, Dei visione gaudentem, suum comitem, amicum, protectorem, etc, : certum est enim et etiam de fide, juxta multos, omnes Christianos habere Angelum Custodem. Non ita constat, quamvis communis opinio id teneat, infideles suos etiam habere Custodes Angelos qui salutem eorum procurare intendant, eosque non deserant nisi momento quo illorum damnatio consummatur.

Plures etiam contendunt principem dæmoniorum, Deum imitari volentem, speciales deputavisse diabolos, qui singulos homines tentarent, et ad malum, quantum possent, inducere quærerent. Hæc sententia nullo innixa est fundamento ex Scriptura aut traditione clare deducto; id unum habemus certum, multos existere angelos malos, nos circumstantes et ad malum inclinantes, a quibus præcavere et abhorrere debemus.

De Sanctis Veteris Testamenti.

Controversia movetur inter theologos an viri sancti Veteris Testamenti canonizari possint. Bened. XIV advertit, de Canoniz. Sanct., l. 1, cap. 13, n. 2, hanc controversiam esse inutilem, quia Sancti Veteris Testamenti ii sunt qui ante Christum viventes, in ipsum ut mediatorem et Redemptorem credentes, virtutibus aut martyrio illustres Deo placuerunt, et quos Deus sanctos esse in divinis Scripturis manifestavit; in eo autem casu absona esset summi Pontificis sententia qua definiretur eos esse sanctos et in universali Ecclesia colendos. Verum summi est Pontificis decernere an cultus et qualis cultus publicus eis præstandus sit.

Notandum est omnes sanctos ante Christum defunctos ad Vetus Testamentum non pertinere; Bened. XIV enim cum pluribus aliis, l. 4, part. 2, cap. 29, n. 2, ostendit S. Joannem Baptistam, S. Joseph, Innocentes ab Herode occisos, Zachariam, Elisabeth, Simeonem senem, Annam prophetissam, Joachim et Annam ad Novum Testamentum pertinere, quia ab Evangelistis laudati sunt, aut Christum viderunt, aut ipsum propinquitate seu carnis affinitate proxime attigerunt.

Nemo inter catholicos dubitat quin summus Pontifex cultum exhibendum Sanctis iis qui post mortem Christi obierunt decernere valeat. Potest similiter permittere cultum, instituere festa cum officio et Missa, in honorem aliorum Sanctorum ad Vetus Testamentum certo pertinentium, et quorum sanctitas constat. Id sequitur ex na-

tura rei et ex praxi Ecclesiæ : apud Græcos enim honorantur ut sancti Abraham, Loth, qui, licet in vino turpiter egerit, laudatur a B. Petro, II Epist. II, 7, ut justus, quia aut non peccavit, aut pœnitentiam egit ; tres pueri fornacis, Ananias, Azarias et Misael ; prophetæ Isaias, Jeremias, Daniel, Amos, Abdias, Jonas, etc. Apud Latinos ex Sanctæ Sedis concessione, honorantur in aliquibus locis plures Sancti Veteris Testamenti, officia, Missæ, templa, altaria eis dedicantur, v. g., Eliæ, præsertim apud Carmelitas ; Abraham et Job, apud patres congregationis Oratorii Domini Jesu.

Existit difficultas circa cultum Enoch et Eliæ exhibitum ; quia, ut Bened. XIV probat, l. I, cap. 14, cultus religiosus decerni non potest hominibus adhuc viventibus, quantumvis habeantur ut sancti, et duo illi patriarchæ non mortui sunt, sed translati fuerunt, ut patet ex IV Reg. II pro Elia, et Epist. ad Hebræos, XI, 5, pro Enoch. Verum illustris Pontifex respondet Ecclesiam non celebrare festum Eliæ ut beati, sed ut divinitus rapti, et aliunde dici posse ambos in gratia et perseverantia esse confirmatos ; in hac autem hypothesi evanescit difficultas.

De Sanctis Novi Testamenti.

De iis solum pauca dicemus quorum publicum nunc fit officium in Ecclesia Gallicana.

1° *S. Marcus*, die 25 aprilis. Erat Evangelista, B. Petri discipulus, et Alexandrinus Episcopus. Die 23 aprilis, anno 68, post multa tormenta, occubuit martyr pro Christo. Reliquiæ ejus diu religiose asservatæ sunt Alexandriæ, unde translatæ sunt, ut fertur, versus annum 815 Venetiam, et ideo Venetiarum respublica hunc Sanctum elegit pro patrono.

Hac die fit processio et magna cantatur Litania seu supplicatio a S. Gregorio Magno instituta pro obtinenda pestis cessatione : in septimo sæculo jam affixa erat diei 25 aprilis ; concilium Aquisgranense, anno 836 celebratum, et Capitularia Caroli Calvi illam eodem die facien-

dam in Gallia præscripserunt. Olim in variis locis jejunium erat illo die de præcepto. Nunc, propter tempus paschale, non est obligatio jejunandi, sed tantum a carnibus abstinendi, et non ubique, v. g., Romæ.

2° *S. Joannes Baptista,* die 24 junii. S. Joannes ministerio archangeli Gabrielis annuntiatus, per miraculum in utero sterilis ex viro sene conceptus, ad præsentiam Domini exsultavit, sanctificatus fuit, et inter mirabilia natus est; vitam cœlestem duxit, pœnitentiam prædicavit, Christum annuntiavit, indigitavit, baptizavit et magnum humilitatis præbuit exemplum; fortiter obstitit Herodi in commercio incestuoso viventi, dicens, Marc. xvi, 18 : *Non licet tibi habere uxorem fratris tui;* propterea in carcerem missus, petente Herodiade, fuit decollatus, et meruit ut Christus de illo diceret, Matth. xi, 11 : *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista.*

Dies ejus Decollationis est celebris; sed præcipua ejus solemnitas fit die ipsius Nativitatis, et antiquissima est in Ecclesia : S. Aug. septem habet sermones pro illa solemnitate, quam supponit jam esse antiquam et universalem; hæc habet Serm. 290, 4, in natali Joannis Baptistæ : « Quia in magno sacramento natus est Joannes, » ipsius solius justi natalem diem celebrat Ecclesia. Et » natalis Domini celebratur, sed tanquam Domini. Date » mihi alium servum, præter Joannem, inter Patriar- » chas, inter Prophetas, inter Apostolos, cujus natalem » diem celebret Ecclesia Christi. Passionum diem servis » plurimis celebramus; nativitatis diem, nemini nisi » Joanni. »

3° *SS. Petrus et Paulus,* die 29 junii. Petrus, ex piscatore factus discipulus Christi, Apostolus et princeps ac caput Apostolorum, sedem prius habuit Antiochiæ, deinde Romæ, ubi eam per viginti quinque annos tenuit, juxta Eusebium, S. Hieron., et Calendarium Romanum a Bucherio editum. In carcerem Mamertinum sub Nerone conjectus cum B. Paulo, ibi manserunt octo mensibus, ut fertur; Processum et Martinianum, custodes, et quadraginta septem alias utriusque sexus personas ad fidem

adduxerunt : postea damnati, Petrus ad crucem ut Judæus, et Paulus ad capitis amputationem ut civis Romanus, mortem die 29 junii subierunt extra muros civitatis. Petrus humilitatis causa petiit et obtinuit ut capite deorsum posito crucifigeretur. Corpora utriusque Apostoli religiosissime servantnr Romæ, unum in Basilica Vaticana S. Petri, et alterum in basilica S. Pauli, juxta viam Ostiæ, a Constantino Magno constructa et anno 1823 infauste igne incensa, nunc autem cum mira magnificentia restaurata. Eorum capita in figuris argenteis inclusa in basilica Lateranensi custodiuntur. Sanctæ ac pretiosæ illæ reliquiæ a peregrinantibus totius orbis catholici visitantur.

Percelebris semper fuit Romæ memoria Petri : *Ostendatur mihi Romæ,* inquit S. Aug. Enarrat. in Psal. XLIV, *in honore tanto templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri.* Idem S. Doctor plures habet sermones in Natali Petri et Pauli. Tertium ex his sermonibus sic incipit : *Hodiernum nobis diem festum fecit sanguis Apostolorum.* Hinc sequitur hanc festivitatem utriusque Apostolorum esse perantiquam et summa veneratione nostra dignam.

4° *Festum Omnium Sanctorum*, die 1 nov. Imperator Honorius prohibuerat ne Christiani templa idolorum everterent, volens ea conservare tanquam artium monumenta : Bonifacius IV, videns celebre Pantheon a Marco Agrippa sub imperio Augusti exstructum adhuc exstare, illud mundare et reparare statuit; solemniter illud, anno 607, B. Mariæ et omnibus martyribus ac confessoribus dedicavit, illucque transferri jussit plus quam viginti et octo plaustra ossium sanctorum martyrum, quæ divisa in variis Romæ cœmeteriis jacebant. Unde hæc ecclesia dicta est Sancta Maria Rotunda, ob ipsius formam, et etiam Sancta Maria ad Martyres.

Tale fuit exordium solemnitatis Omnium Sanctorum, quæ celebrabatur Romæ die 13 maii, die anniversaria prædictæ dedicationis : Gregorius III eam ad Ecclesiam universalem propagavit, et Gregorius IV diem 13 maii

in 1am nov. mutavit, eo quod abundantior esset annona in mense nov. quam in mense maio; tunc enim innumeri advenæ confluebant Romam ut solemnitati assisterent. Hic ultimus Pontifex, cum venisset in Galliam anno 837, regnante Ludovico Pio, festivitatem Omnium Sanctorum secum introduxit, quæ brevi fuit adoptata et facta est universalis in Galliis sicut in aliis regionibus.

5° *Commemoratio fidelium Defunctorum*, die 2a nov. Consuetudo orandi pro defunctis venit a traditione Apostolica; et fundamentum habet in praxi totius Ecclesiæ, in decretis Conciliorum et in sacris paginis, tum Novi, tum Veteris Testamenti, ut alibi probavimus : nulla autem erat dies specialiter destinata ad orandum pro omnibus fidelibus defunctis. S. Odilo, abbas Cluniacensis, anno 1048 mortuus, statuit ut in cunctis monasteriis sibi subjectis, sicut die 1a nov. omnes coluntur Sancti, ita 2a die pro omnibus oraretur defunctis : quidam putant eum exemplar hujus generalis commemorationis omnium defunctorum ab Amalario, ducentos annos ante ipsum vivente, accepisse, monasteriis suis præcepisse, et, eo suggerente, Joannem papam XIX hanc praxim ubique servari mandavisse. Joannes autem XIX, anno 1024 electus, anno 1033 mortuus est.

6° *S. Stephanus protomartyr*, die 26 decembris. Unus fuit e septem primis diaconis; *plenus erat gratia et fortitudine, et faciebat prodigia et signa magna in populo,* Act. VI, 8 : quidam de Judæis surrexerunt, *disputantes cum Stephano, et non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur,* ibid. Adhibitis falsis testibus, eum accusarunt blasphemiæ adversus Moysen et Deum : ille autem mirabili sermone, in cap. VII Actuum relato, judicibus suis locutus est; Judæi eum audientes ipsis exprobrantem quod legem Dei non custodirent, *dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum.* Ille vero cœlesti visione donatus, ait : *Ecce video cælos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei.* Tunc Judæi exclamaverunt eum blasphemare; sententia non exspectata, traxerunt eum tanquam blasphemum extra civitatem, et

lapidaverunt illum Deum invocantem et pro lapidantibus orantem.

Passus est ergo et obiit, juxta Chronica cum Operibus Eusebii a Scaligero publicata, die 26 decembris ejusdem anni quo Christus fuit crucifixus. Cultus ejus semper fuit celebris : S. Aug., a sermone 314 ad 325 de illo mirifice loquitur, de ejus natali, de ejus solemnitate, de mirabili corporis ejus inventione, de reliquiarum translatione, de manifestis miraculis intercessione ejus patratis, etc.

7° *Dedicatio Ecclesiarum*, dominica post octavam Omnium Sanctorum. In Veteri Testamento triplex solemnis describitur templi Jerusalem dedicatio, una sub Salomone, secunda post captivitatem Babylonicam sub Esdra, et tertia sub Juda Machabæo, qui post impietates Antiochi, templum et altare purificari ac de novo dedicari voluit. Dies anniversaria harumce dedicationum solemnis erat, et per dies octo celebrabatur. Sub nova Lege, ubi deferbuit persecutio, ingentes cœperunt ædificari ecclesiæ quæ solemni ritu dedicabantur, ut in toto historiæ ecclesiasticæ decursu legitur : anniversarium hujusmodi dedicationum erat ubique festum solemne, et, cum variæ ecclesiæ diversis temporibus fuerant dedicatæ, contigerat ut anniversaria eodem die non celebrarentur, ideoque card. *Caprara*, mandante Pio VII, statuit, « ut anniversarium » dedicationis templorum quæ in Gallicanæ reipublicæ » territorio erecta sunt, in dominica quæ octavam festivi- » tatis Omnium Sanctorum proxime sequitur, in cunctis » Gallicanis ecclesiis celebretur. » Indult. diei 8 aprilis 1802. Hinc omnes, sive privatim in officio, sive publice, hanc festivitatem eodem die et eodem ritu celebrant, sive propria ecclesia fuerit consecrata, sive fuerit tantum benedicta. Simplex olim benedictio jus non dabat ad officium dedicationis quotannis celebrandum.

Notandum 1° festum Dedicationis Ecclesiæ habendum esse ut festum Domini, ex decreto S. Rituum Cong. diei 27 martii 1779. *Romsée*, edit. 1838, t. v, p. 201, aliam citat ejusdem S. Cong. responsionem, 4 jun. 1825, in sensum oppositum.

Quidquid sit de illa responsione, *Gardellini*, qui eam non refert, ait, t. VII, p. 57 : « Invaluerat opinio quod anniversarium Dedicationis ecclesiæ, ut pote *festum Domini*, alia omnia præstaret, tam in occurrentia quam in concurrentia ; sed quoniam rubrica nihil decernit, imo in tabella concurrentiæ vix illud ponit solummodo ante patronum loci vel titularem ecclesiæ ; quoniam insuper ex ea opinione plura oriebantur dubia, re maturius discussa, S. Rit. Cong. satius duxit se conformare tum præfatæ tabellæ dispositioni, tum decretis antiquis, quæ prælationem dant aliis festis æqualis ritus, uti illa sunt S. Joannis Baptistæ et omnium Sanctorum. » Ratio ab illo allegata est, quia in eo festo Dominus generaliter tantum respicitur, quod fit etiam in festis Sanctorum.

Notandum 2° in ipsomet die Dedicationis alicujus ecclesiæ, officium a clero ecclesiæ consecrandæ addicto recitandum, quod, ex resp. S. Rit. Cong. 7 maii 1746, ab episcopo consecratore recitari potest, esse ipsum anniversarii officium. Ex responsione 7 dec. 1844 ad nos directa, *inchoandum est peracta consecratione, ab Hora minori tertia. A fortiori* Missæ privatæ ante completam consecrationem celebrari nequeunt. *Merati*, t. III, p. nobis 202 et expressius 306. Vide quæ diximus, t. III.

ARTICULUS QUARTUS.

DE RITU CELEBRANDI QUÆDAM FESTA.

Singulas officium recitandi et festa celebrandi regulas hic certe non intendimus referre aut explanare : unusquisque eas legere debet in rubricis tum generalibus, tum particularibus. Quædam tantum paucis verbis dicemus, 1° de festis suppressis, 2° de festis translatis, et 3° de festo patroni et titularis.

De festis suppressis.

Cardinalis *Caprara*, per indultum modo citatum, diei 9 aprilis 1802, ex mandato summi Pontificis, quatuor tantum reservavit festa præter dies dominicos, videlicet Nativitatem Domini nostri Jesu Christi, ejus Ascensionem, Assumptionem B. Virginis Mariæ, et festum Omnium Sanctorum : « ita ut posthac, in reliquis festis diebus » omnes Gallicanæ reipublicæ incolæ non solum a præ» cepto audiendi Missam vacandique ab operibus ser» vilibus, sed a jejunii etiam obligatione in diebus qui » festa hujusmodi præcedunt prorsus absoluti censeantur » et sint. »

Eam tamen legem adjectam esse voluit summus Pontifex « ut in festis diebus vigiliisque eos præcedentibus, » quæ suppressæ decernuntur, in omnibus ecclesiis nihil » de consueto divinorum officiorum sacrarumque cære» moniarum ordine ac ritu innovetur, sed omnia ea pror» sus ratione peragantur qua hactenus consueverunt, » exceptis tamen festis Epiphaniæ Domini, sacratissimi » Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et » sanctorum patronorum cujuslibet diœcesis et parœciæ, » quæ dominica proxime occurrente in omnibus ecclesiis » celebrabuntur. »

Itaque in festis simpliciter suppressis, quæ sunt saltem in tota provincia Turonensi, Circumcisio Domini, Purificatio B. Mariæ Virginis, Annuntiatio, feria secunda et tertia Paschæ, feria secunda Pentecostes, Nativitas S. Joannis Baptistæ, Nativitas B. Mariæ Virginis, Commemoratio omnium Defunctorum, Conceptio B. Mariæ Virginis, et festum S. Stephani, remanet obligatio officium privatim recitandi et solemnitatem publice in ecclesiis celebrandi, nulla vero Missam audiendi et ab operibus servilibus vacandi. Quoniam tamen plurimis in locis fideles ab operibus servilibus abstinebant his diebus, dum alii eis vacabant, et nociva inde nascebatur varietas inter diœceses, parochias et familias, cardinalis

Caprara, rogante gubernio, die 6 julii 1806, omnibus scripsit episcopis, in memoriam revocans obligationem audiendi Missam et ab operibus servilibus abstinendi in diebus festis suppressis sublatam esse, et expedire ut parochi aliique viri ecclesiastici a sono campanarum et alia exteriori pompa in festis de præcepto consueta temperarent. Plures episcopi, v. g., Cenomanensis, Andegavensis, a ministro cultuum et præfectis vexati, ex consilio legati *a latere* hujusmodi festa ad dominicam proximam remiserunt, excepta Circumcisione Domini quam gubernium agnoscebat ut festum civile, et ideo celebrationem officii non impediebat. Ab anno 1814 ubique propriis diebus, juxta indulti verba, celebrata fuerunt ut festa devotionis. Nunc autem in pluribus diœcesibus, et specialiter in Cenomanensi, virtute concessionum Sedis Apostolicæ, publicum non fit officium diebus propriis, et sola solemnitas ad diem dominicam proxime occurrentem transfertur.

Obtinuimus ut indulgentias his festis annexas lucrari possint fideles diebus officii et solemnitatis.

De festis translatis.

Festa Epiphaniæ, Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, ac patroni diœcesis et parœciæ non fuerunt suppressa, sed ad dominicam proxime occurrentem translata, ut patet ex verbis indulti supra citatis. Plura inde nata sunt dubia, quæ a diversis episcopis cardinali legato *a latere* proposita soluta sunt per responsiones speciales eumdem sensum habentes ac sequens ad episcopum Camberiensem : Priusquam dubiis propositis « respondeam, » opportunum duco quasdam explicationes præmittere, » quæ nonnullis jam Galliarum episcopis datæ sunt, » ut quæstionibus fieret satis quæ super intelligentia » indulti diei 9 aprilis 1802 quoad aliquorum festorum » translationem fuerant ab illis expositæ.

» 1° Officia Epiphaniæ Domini, sacratissimi Corporis » Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et SS. patro-

» norum cujuslibet diœcesis et parochiæ, recitanda erunt » a clero, tam privatim quam publice in ecclesiis, et » Missa de iisdem dicenda in suo proprio die.

» 2° In dicto proprio die fideles neque ad audiendam » Missam, neque ad abstinendum ab operibus servilibus » obligati erunt.

» 3° Sola solemnitas præfatorum festorum differtur in » dominicam subsequentem, in qua officium quidem a » clero tam publice quam privatim, et Missa recitabitur » de dominica seu de festo occurrente, juxta calenda- » rium. Canetur tamen una Missa solemnis de festis illis » more votivo cum unica oratione : minime omissa in » cathedralibus aliisve ecclesiis, in quibus officium pu- » blice agatur, et adsit sufficiens numerus ecclesiasti- » corum, alia Missa conventuali de dominica vel festo » occurrente.

» Quibus positis, venio ad dubia proposita, quibus hoc » sit responsum :

1° Si in unam eamdemque dominicam incidat solem- » nitas translata, prout supra n° 3 declaratum est, tum » anniversarii Dedicationis, tum patroni, ea solemnitas » celebranda erit de digniori, scilicet de Dedicatione, » translato minus digno, id est festo patroni, ad primam » dominicam non impeditam, juxta rubricas.

» 2° Si dominica ad quam, juxta indultum reductionis » festorum diei 9 aprilis 1802, transferenda esset solem- » nitas patroni, sit dies propria S. Joannis Baptistæ, tunc » solemnitas patroni transferenda erit ad primam domi- » nicam non impeditam, juxta rubricas, ne scilicet, cum » festum S. Joannis sit ejusdem ritus, nec transferri pos- » sit, duplex solemnitas primæ classis eadem die in una » ecclesia peragatur.

» Novis apud plurimos exortis dubiis, eo quod, juxta » istud responsum, transferri debeant in dominicam sub- » sequentem festa quæ indultum decrevit celebranda *in* » *dominica proxime occurrente*, quæ a permultis credeba- » tur dominica proximior, opportunum ductum est denuo » consulere Apostolicam legationem, cujus responsum

» omnem tulit difficultatem, et quod dubium videbatur » explanavit declarando hæc verba indulti, *in dominicam » proxime occurrentem*, intelligenda esse de dominica » proxime sequente, quoniam dominica quæ occurrit est » illa quæ supervenit. » Hæc responsio refertur in Rituali Bellicensi, t. IV, p. 217, 5æ edit. sine epocha seu data. Conformis est alteri responsioni ejusdem cardinalis, diei 21 junii 1804, apud *Romsée* relatæ, t. v, pag. nobis 232.

Cum in indulto card. *Caprara* agatur tantum de translatione festorum patronorum cujuslibet diœcesis et parochiæ, sequitur episcopum ordinare posse quod respicit ad festa patronorum secundariorum, et titularium non patronorum, festa patronorum capellarum, communitatum, etc.

Octava igitur festi translati ipsomet die in quem cadit incipit, non vero die quo celebratur ipsius solemnitas pro populo.

Indulgentia cum solemnitate ad diem dominicam transfertur, ex Rescriptis ad archiepiscopum Mechliniensem, die 21 junii 1804, et ad episcopum Camberiensem directis, et ex Brevi Pii VII ad archiepiscopum Lugdunensem, die 13 aug. 1805 : an ista Rescripta sint actus jurisdictionis ad proprias Mechliniensem, Lugdunensem et Camberiensem diœceses limitati, an vero decisiones generales, hæremus dubitantes, et probabilius æstimamus indulgentiam non transferri jure communi, nisi officium simul cum solemnitate transferatur, ut notavimus in Tractatu *de Indulg.*

Notandum 1° quod si dominica proxime sequens sit 1æ classis, non magis admittat solemnitatem festi translati quam admitteret festum 1æ classis occurrentis. Solemnitas igitur in aliam rejicienda est dominicam non impeditam. Idem dicendum est si ipsa dominica occurrat aliquod festum ex iis quæ memorabimus infra agendo de patrono. Cum autem dominicæ 2æ classis, ex rubricis Breviarii, admittant festa 1æ classis occurrentia, et cum, virtute indulti 9 april. 1802, illæ dominicæ occurrentes sint proprie dies solemnitatis festorum translatorum,

quæ omnia sunt primi gradus, videtur quod solemnitas hujusmodi festorum dictis dominicis celebrari debeat, sicut apud nos fieri consuevit.

Variæ decisiones romanæ supponunt solemnitatem semper transferendam esse in posterum, et nunquam anticipandam. Attamen auctoritate Episcopi diœcesani quandoque anticipatur, si nempe diutius exspectanda esset dominica non impedita.

Notandum 2° quod, ex decreto S. Cong. Rit. diei 26 nov. 1735, officia Sanctorum quæ de mense decembri aliquando supersunt, ad dies anni sequentis non impeditos transferri non debeant, nisi tamen ad dies qui sint intra octavam festi, juxta *Romsée* (t. v, p. 27 et 218); igitur vel eorum tantum fit commemoratio, si rubricæ permittant, vel prorsus omittuntur hoc anno.

De Festis Patroni et Titularis.

1° Patronus, a *pater* derivatus, ille communiter intelligitur qui alios suscipit defendendos: verbum igitur *Patronus*, maxime in liturgia ecclesiastica, ideam importat inferioris protegendi et superioris placandi, vel orandi aut supplicandi. Unde personæ divinæ, mysteria Dei aut Salvatoris, aut B. Mariæ, v. g., Conceptio, Nativitas, Assumptio, proprie dici non possunt patroni, quia non habent superiorem orandum aut placandum, vel spectari non possunt ut intercessores. Sanctissima vero Maria, considerata ut persona, omnes Sancti et Angeli in cœlo regnantes et in Martyrologio Romano inscripti, eligi possunt ut patroni, quia nos inferiores apud Deum superiorem protegere possunt. Universali autem ac perpetua consuetudine sancitum est ut quævis ecclesia in honorem alicujus mysterii vel Sancti aut Sanctæ erigeretur: si prius, persona divina aut mysterium dicitur titulus aut titularis ecclesiæ; si posterius, Sanctus vel Sancta vocatur Patronus vel Patrona Ecclesiæ et loci ab ea dependentis. Si non esset locus ab ecclesia dependens, aut si alius esset patronus loci, Sanctus vel Sancta sub cujus

invocatione erecta esset ecclesia, illius titularis, et non proprie Patronus nuncuparetur.

2° Ex decreto S. R. Cong. ab Urbano VIII 23 martii 1630 approbato, nullus constitui potest civitatis vel alicujus loci patronus, nisi 1° sit sanctus ab universali Ecclesia titulo Sancti excultus, non autem simpliciter beatificatus; 2° sit electio totius populi per secreta suffragia; 3° cleri et Ordinarii loci accesserit consensus; 4° electio a sacra Rituum Congreg. fuerit examinata et appobata. Hæc autem stricte non applicantur electioni titularis neque patroni secundarii, quos in populo feriari non est obligatio. (V. *Gav.* et *Merat.*, t. III, p. 96 et seq.) Cæterum hoc decretum non servatur apud nos, sed patroni locorum ab Ordinariis, ex voto cleri et populi, absque electione proprie dicta, eis manifestato, assignantur.

Videtur etiam episcopum posse, quando judicat sufficientem adesse rationem, patronum secundarium assignare ecclesiæ quæ nondum habuit.

S. Rit. Cong. respondit anno 1658, die 6 april., non licere electionem S. Patroni immutari. *Gardell.*, t. II, p. 85 et 91. Eadem S. Cong., die 11 martii 1843, sequenti quæstioni : *Utrum semel assignato titulari patrono alicui ecclesiæ, liceat episcopo, rationabili ex causa, illum in alium mutari?* respondit *non licere.*

3° Patronus et titularis in duobus potissimum differunt : 1° in eo quod patronus loci per se importet festum in populo, ex consuetudine et legibus Ecclesiæ ; non item titularis : unde in civitatibus et oppidis communem pro toto loco patronum habentibus, ecclesiæ in iis existentes solum patronum titularem habent, et olim in sola die festi patroni loci erat obligatio audiendi Missam et ab operibus servilibus abstinendi ; nunc autem, cum solemnitas patroni ad dominicam occurrentem transferatur, nulla est difficultas in populo, et præcedens differentia amplius non existit, stricte loquendo ; 2° in eo quod locus communiter non habeat nomen patroni, dum ecclesia sub nomine sui titularis designari soleat, v. g.,

ecclesia Sanctæ Crucis, S. Salvatoris, Conceptionis, Visitationis B. Mariæ, etc.

4° S. Rit. Cong. die 13 sept. 1632 et die 21 junii 1720 definierat festum sive patroni, sive etiam titularis simplicis ecclesiæ parochialis aut capellæ tantum benedictæ, celebrandum esse sub ritu duplicis 1æ classis, utrumque cum octava a clero facienda.

5° Episcopi provinciæ Turonensis, in suo communi mandato, die 8 maii 1780, statuerant 1° festum patroni principalis diœcesis propria die sua celebrandum esse; 2° festum patroni secundarii, ubi esset, ad dominicam proximiorem transferendum; 3° festum patroni principalis uniuscujusque parochiæ ad dominicam præcedentem remittendum fore, si feria secunda, aut tertia, aut quarta incideret, et ad dominicam sequentem, si feria quinta, aut sexta, aut sabbato adveniret; 4° ex hypothesi quod dominica præcedens aliquo solemni festo in tota diœcesi celebrato impediretur, festum patroni ad dominicam sequentem transferendum esse, et si dominica sequens esset impedita, dominica præcedente anticipandum fore. Vidimus autem quid indultum diei 9 aprilis 1802 statuerit. Nulla est differentia in modo celebrandi festum patroni et festum titularis : utrumque est duplex primæ classis cum octava.

6° Officium patroni locum habere non potest dominicis 1a Quadragesimæ, Passionis, Palmarum, in albis, Paschatis, Pentecostes et Trinitatis, nec dominicis in quibus celebrantur festa Circumcisionis, Epiphaniæ, Præsentationis Domini, Annuntiationis, Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis, Nativitatis B. Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, Dedicationis, Nativitatis Domini, Vigiliæ Nativitatis et Epiphaniæ Domini. Excipiuntur adhuc Octava Epiphaniæ et Nativitas S. Joannis Baptistæ.

7° Octavæ prohibentur a die 17 decembris usque ad diem Epiphaniæ inclusive, exceptis iis quæ cum solemnitate Nativitatis Domini celebrantur, scilicet SS. Stephani, Joannis et Innocentium, et a feria quarta Cinerum usque

ad dominicam in Albis inclusive; pariter a Vigilia Pentecostes inclusive usque ad dominicam Trinitatis: octavæ jam incœptæ cessant, nec tamen dies octavæ anticipantur.

8° Si festum patroni alicujus parochiæ vel titularis ecclesiæ quotannis in diem prohibitum incidat, recurrendum est ad episcopum, qui providebit ut alius determinetur dies in quo officium ejus cum integra octava celebrari possit.

9° Ad officium patroni regni, provinciæ, diœcesis, oppidi, tenentur omnes clerici sacris Ordinibus initiati et in territorio ejus degentes, quod videtur etiam intelligendum, saltem ex consuetudine, apud nos de patrono *parochiæ*, qualem supra definivimus: ad officium titularis tenentur clerici servitio Ecclesiæ adscripti vel quovis beneficio, etiam tenui, in ea fruentes. (S. Rit. Cong. 15 septembris 1742 et 16 maii 1744.)

Notandum quod, ex diversis S. Rit. Cong. decisionibus, omnes hi patroni non possint simul stricte obligare, sed ordinarie duo tantum (*Merati*, t. III, p. 99), v. g., provinciæ et oppidi. In Galliis communiter dantur solummodo patroni diœcesis et parochiæ. Quandoque tamen sive parochiæ sive diœcesis duplex est patronus principalis, æquali obligatione celebrandus.

10° Regulares obligantur ad officium patroni regni, provinciæ, diœcesis, civitatis vel oppidi in quo morantur, ex decreto S. Rit. Cong. diei 20 martii 1683, sed absque octava. Non vero tenentur ad officium patroni parochiæ in qua demorantur, nec *a fortiori* titularis ecclesiæ parochialis, nisi sit cathedralis, ut respondit S. Rit. Cong. die 20 martii 1683 et 14 septembris 1705; neque patronorum minus principalium regni, diœcesis, oppidi, si qui sint, ex decis. 10 julii 1698.

11° Pastor duarum aut plurium ecclesiarum peræque unitarum sub jurisdictione sua, omnium patronorum festa et octavas ritu 1æ classis celebrare tenetur, prout S. Rit. Cong. declaravit 5 julii 1698. Si vero præfectus sit uni ecclesiæ parochiali quæ alias sub se habeat ecclesias annexas vel capellas, vel istæ specialem habent sa-

cerdotem sibi adscriptum, vel non : in priori casu, parochus non tenetur ad officium patronorum particularium, imo illud recitare non potest aliter quam in suo Breviario notatur. In posteriori casu, plures affirmant parochum ad officium et octavam patronorum teneri, quia rubricæ volunt patronum et titularem cujusvis ecclesiæ aut capellæ saltem benedictæ celebrari. Hæc autem obligatio, aiunt, in dicto casu soli parocho incumbere potest. Sciendum tamen quæ sit praxis in unaquaque diœcesi recepta et ab episcopo approbata. Cum nulla hac de re existat lex generalis nobis nota talem celebrationem præscribens, dubium nobis non videtur quin episcopus statuere possit quod magis expedire judicabit. In nostra diœcesi parochus habens in sua parochia capellas benedictas quibus non præficiuntur speciales sacerdotes, officium et octavas patronorum non celebrat.

In nullo casu celebrantur festa patronorum capellarum domesticarum.

12° Qui ecclesiæ annexæ vel capellæ deservit, tenetur ad officium et octavam patroni vel etiam titularis ejus, siquidem ei adscriptus est. An autem ad officium et octavam patroni vel titularis ecclesiæ matricis teneatur, distinguendum est : vel in ea ecclesia ministerium sacrum exercet, beneficium aut jus aliquod casuale obtinet, vel nullo modo ei adscriptus est. In priori casu tenetur, ex dictis, ad officium cum octava, tum patroni, tum etiam titularis; in posteriori vero, si agatur de titulari, non tenetur, ut patet ex dictis et ex responsione S. Rit.Cong. 17 augusti 1709, nisi forsan Ecclesia matrix sit ipsa Cathedralis : si autem agatur de patrono, probabilius est eum teneri, quia, ex consuetudine apud nos communiter recepta, patronus principalis ecclesiæ parochialis est eo ipso patronus loci, nisi forsan alius sit pagi vel oppidi patronus de quo fiat officium; quo in casu, prior habetur ut titularis ecclesiæ. Saltem episcopus pronuntiare potest quid agendum sit.

Hæc, ut nobis videtur, applicanda sunt capellanis seu eleemosynariis hospitiorum, collegiorum, respectu pa-

troni ecclesiæ seu parochiæ in cujus territorio existunt. Ab illa autem obligatione eximuntur regulares, nisi ecclesia principalis loci sit cathedralis, ut respondit S. Rit. Cong. 14 feb. 1705. Hinc, non solum in ecclesiis Benedictinorum, Trappensium, Patrum societatis Jesu, etc., sed et in capellis monialium non cantatur Missa patroni parochiæ. Sed Missa sine cantu a capellano coram monialibus celebrata debetne esse de patrono? Si capellanus principali ecclesiæ sit adscriptus, affirmative; secus, non. In dubio, quid faciendum sit dicat episcopus.

13° Alia restat difficultas solvenda, an scilicet, in capellis ad regulares non pertinentibus, festum patroni eodem ritu celebrandum sit ac in ecclesia parochiali, et an solemnitas debeat pariter in dominicam occurrentem transferri? Sententia affirmans sola videtur sequenda, nisi aliquod festum gradus saltem æqualis et eidem capellæ proprium, celebrandum occurreret : nam 1° S. Rit. Cong. respondens, 17 aug. 1709, officium et Missam *titularis* ecclesiæ parochialis non debere celebrari in capellis, supponit non ita esse de principali *patrono;* 2° festum patroni loci, v. g., provinciæ, oppidi vel pagi, ritu solemni et die dominica, quoad solemnitatem, celebraretur : et, ex more apud nos recepto, patronus ecclesiæ parochialis est simul patronus loci; ergo, etc. Hoc videtur pariter intelligendum de octava, tum in officio recitando aut cantando, tum in Missa celebranda.

14° Quæ præcedunt ad patronum proprie dictum restringenda sunt, et non extenduntur ad patronum secundarium : officium patroni secundarii, ritu duplicis majoris (*Rub. de occurrentia, Gavantus et Merati*, t. III, p. 97 et 99), recitari debet ab omnibus et solis clericis ecclesiæ servitio vel beneficio adscriptis : ratio est quia patronus secundarius ordinarie non reputatur patronus loci; idcirco a clericis in territorio parochiæ degentibus, sed ecclesiæ non adscriptis, officium ejus regulariter non recitatur. Consulenda est tamen consuetudo locorum.

CAPUT TERTIUM.

DE JEJUNIO.

Jejunium in sua generali significatione importat abstinentiam a cibo. Quadruplex distinguitur : spirituale, morale, naturale et ecclesiasticum.

Jejunium spirituale est abstinentia a vitiis, juxta Prophetæ verba, Isai. LVIII, 6 : *Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? dissolve colligationes impietatis.* Unde S. Aug. Tract. 17 in Joannis Evang. : « Jejunium magnum et » generale est abstinere ab iniquitatibus et illicitis vo- » luptatibus sæculi, quod est perfectum jejunium. »

Jejunium morale est continentia in cibi potusque sumptione juxta temperantiæ regulas; jejunium naturale est abstinentia ab omni prorsus cibo et potu, quale est jejunium ad susceptionem sanctæ Eucharistiæ requisitum; et jejunium ecclesiasticum est abstinentia a pluribus refectionibus certoque ciborum genere, juxta Ecclesiæ regulas. De illo solo hic agitur, et dicemus 1° de potestate Ecclesiæ jejunia præcipiendi; 2° de jejuniis ab Ecclesia præceptis; 3° de conditionibus ad jejunandum requisitis; 4° de causis a jejunio excusantibus, et 5° de iis qui ratione jejunii et abstinentiæ peccant.

ARTICULUS PRIMUS.

DE POTESTATE ECCLESIÆ JEJUNIA PRÆCIPIENDI.

Plures veteres hæretici non solum jejunia non negabant, sed falsis quibusdam momentis innixi, ea ultra modum multiplicabant vel rigidiora faciebant; recentiores vero, ut Lutherani et Calvinistæ fatentes jejunia in veteri Lege fuisse præscripta, negant Ecclesiam habere

potestatem obligandi Christianos ad jejunandum : contra quos sit

PROPOSITIO.

Ecclesia habet potestatem obligandi Christianos ad jejunandum.

Probatur Scriptura sacra, praxi Ecclesiæ, testimoniis Patrum, et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Multa reperiuntur jejunia in Veteri Testamento a Deo præscripta : sed insuper 1° Synagoga instituit jejunium in memoriam liberationis filiorum Israel a persecutione Aman, Esther, IX, 31 : 2° Jonadab, filius Rechab, filiis et nepotibus suis prohibuit usum vini usque in sempiternum, Jerem. XXXV, 6, et Deus eos laudavit eo quod omnia mandata patris sui custodirent : 3° Apostoli, in concilio Jerusalem, omnibus præceperunt ut a suffocato et sanguine abstinerent : porro Ecclesia eamdem saltem habet potestatem quam habuerunt Jonadab et Synagoga, eamdem quam Apostoli exercuerunt ut legislatores : ergo.

2° *Praxi Ecclesiæ.* Ex antiquis canonibus, v. g., 69 eorum qui Apostolis tribuuntur, 19 concilii Gangrensis, anno 324 celebrati, aliisque pluribus apud Gratianum, 3ª part., dist. 3, relatis, nec non ex toto Historiæ ecclesiasticæ decursu, constat Ecclesiam semper habuisse jejunia, ea commendasse, præcepisse et observari jussisse : Ecclesia autem talem exercere non potuit potestatem si eam a Christo non acceperit : ergo.

3° *Testimoniis Patrum.* Quicumque enim opera Patrum legerunt, negare non possunt eos jejunia ecclesiastica agnovisse, observasse et ab omnibus legitime non impeditis observanda docuisse : plures de jejunio expresse scripserunt, ut Tertullianus, l. de Jejunio; vel sermones ad populum habuerunt, ut S. Basilius, S. Augustinus, S. Chrysostomus, etc. : ergo.

4° *Ratione.* Jejunium ab Ecclesia præcipi potest si sit

bonum et ad fines bonos dirigi possit : atqui hoc utrumque verum est. 1° Jejunium est bonum in se et laudabile, ut ipse fatetur Calvinus, alioquin Deus illud non præcepisset in Veteri Testamento, Christus illud non commendasset in Novo, tum proprio exemplo, tum dicendo, v. g., Matth. VI, 16 : *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes,.... Cum autem tu jejunas, unge caput tuum*, etc. 2° Ad fines bonos dirigi potest, nempe ad iram Dei placandam, ut fecerunt Ninivitæ, ut sæpe exhortantur Prophetæ; ad dæmones expellendos, juxta hæc Christi verba, Matth. XVII, 20 : *Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem et jejunium ;* ad se humiliandum, sicut David pœnitens, Ps. XXXIV, 13 : *Humiliabam in jejunio animam meam ;* ad concupiscentias refrenandas, carnem affligendo, etc. : ergo.

Objiciunt Protestantes et hodierni increduli : 1° Deum pluries manifestasse per Prophetas, v. g., per Jeremiam, XIV, 12, dicendo : *Cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum*, jejunia sibi grata non esse; 2° verba Christi, Matth. XV, 11, dicentis : *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem ;* 3° verba Pauli, I Cor. X, 25 : *Omne quod in macello vænit manducate, nihil interrogantes propter conscientiam;* I Tim. IV, 1 et 3 : *Spiritus... manifeste dicit quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris.... prohibentium nubere, abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione*, etc.

Respondetur autem ad primum, Deum non manifestare jejunia in genere sibi grata non esse, cum contrarium sæpe ostenderit, sed jejunia, preces, holocautomata peccatorum impœnitentium sibi non placere; *ad secundum,* cibos ex natura sua animam non coinquinare, sed ubi sumuntur contra præceptum, violationem præcepti coinquinare, ut patet exemplo Adæ et uxoris ejus; *ad tertium,* beatum Paulum loqui contra illos qui cæremonias Judaicas adhuc observare volebant, et prohibet ne fideles interrogarent an cibi in macello expositi essent lege Mosaica

permissi vel idolis oblati, nec ne; *ad quartum*, Apostolum designare Marcionem, Tatianum aliosque hæreticos qui perpetuam inducere voluerunt abstinentiam, ad contemnenda et abominanda Creatoris opera. Quis bona fide hæc attendens non videt quam talia objecta sint absona et a vero sensu aliena?

ARTICULUS SECUNDUS.

DE JEJUNIIS AB ECCLESIA PRÆCEPTIS.

Jejunia ecclesiastica nunc usitata reducuntur ad Quadragesimam, Quatuor Tempora et Vigilias.

1° *Quadragesima.* Calvinus eam exhibet, Inst. l. 4, cap. 22, § 20, ut superstitiosam observationem; Lutherani et Calvinistæ ei subscribentes, jejunia sicut cælibatum sustulerunt, quia, ut ait S. Aug., *venter et genitalia sibi vicina sunt.*

Ecclesia autem catholica docet jejunium Quadragesimale ab ipsis Apostolis institutum fuisse; in omnibus enim sæculis videmus illud observatum apud Græcos et apud Latinos : concilium Nicænum, can. 5, statuit ut concilium provinciale habeatur bis in anno *ante dies Quadragesimæ,* et *circa tempus autumni;* Eusebius, Hist. l. 5, cap. 23, ait ex traditione Apostolorum sancitum esse ut alio quam Resurrectionis die jejunia solvi non liceat; S. Aug., Serm. 209, 5 in Quadragesima, dicit : « Hi sunt » quadraginta dies sacratissimi toto orbe terrarum, quos, » propinquante Pascha, universus mundus, quem Deus » in Christo reconciliat sibi, prædicanda devotione concelebrat. » Merito igitur concluditur hanc consuetudinem per quadraginta dies ante Pascha jejunandi, quam universa tenet Ecclesia, quæ nec conciliis fuit instituta, sed semper retenta est, non nisi auctoritate Apostolica traditam rectissime credi.

Hæc tamen Quadragesima non habenda est ut institutionis divinæ, siquidem nulla ejus fit mentio in Evangeliis, nec in scriptis Apostolorum, nec ullibi nobis re-

præsentatur ut de præcepto divino existens : est ergo institutionis Apostolicæ per traditionem ad nos transmissæ.

Duo a Calvinianis objiciuntur testimonia, unum S. Irenæi apud Euseb., Hist. l. 5, cap. 24, dicentis : « Quidam » existimant unico die sibi esse jejunandum, alii duo- » bus, alii pluribus; nonnulli etiam quadraginta horis » diurnis ac nocturnis computatis diem suum metiun- » tur ; » alterum Socratis, narrantis in sua Historia, l. 5, cap. 22, Romanos tres hebdomadas continuas ante Pascha jejunare, exceptis sabbato et dominico die, etc.

Sed 1° S. Irenæus de varietate continuandi jejunium tantum loquitur, non vero de varietate dierum jejunii; quidam enim singulis diebus cœnabant, quidam biduo vel etiam triduo a quibuslibet cibis abstinebant; alii singulis diebus corpus refici posse arbitrabantur, sed dies suos ex quadraginta horis componebant, etc., ut satis innuunt hæc Irenæi verba, *diem suum metiuntur*. Ergo. 2° Socrates, Novatiana et Ariana hæresi infectus, nullam meretur fidem, cum, Romanis detrahere volens, S. August., S. Leoni Magno aliisque omnibus impudenter contradicat.

2° *Quatuor Tempora.* Contendunt etiam Calvinistæ jejunia Quatuor Temporum longe post Apostolorum ætatem pontificia auctoritate invecta fuisse : communis, e contra, catholicorum sententia est illorum originem ab Apostolis repetendam esse; etenim S. Leo, traditionum Apostolicarum accuratus investigator, ait, Sermone 92, de jejunio septimi mensis, id est, mensis septembris, quia annus Romanus a mense martio tunc incipiebat : « Quod » enim dudum et traditio decrevit, et consuetudo fir- » mavit, nec eruditio ignorat, nec pietas prætermittit... » ut jejunium quod nobis septimi mensis recursus indi- » cit, fide alacri per castigationem animi et corporis cele- » bremus... Ideo enim ipsa continentiæ observantia qua- » tuor est assignata temporibus, ut in idipsum totius anni » redeunte decursu, cognosceremus nos indesinenter pu- » rificationibus indigere, semperque esse nitendum, dum

» hujus vitæ varietate jactamur, ut peccatum quod fragi-
» litate carnis et cupiditatum pollutione contrahitur, je-
» juniis atque eleemosynis deleatur. »

Hic ergo iterum applicari potest regula a S. Augustino tradita et a nobis sæpe repetita : *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis fuit institutum*, etc. Probabile tamen videtur jejunia Quatuor Temporum in Galliis non fuisse recepta ante octavum sæculum, et praxim eorum non fuisse ubique uniformem, nisi post Gregorium VII et Urbanum II, ac proinde in undecimo sæculo, ut probat *Thomassin*, parte 2, cap. 18.

In Veteri Testamento quædam instituta erant jejunia post captivitatem Babylonicam observata, ut patet ex his prophetæ Zachariæ verbis, VIII, 19 : *Hæc dicit Dominus exercituum : Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi erit domui Juda in gaudium*, etc. Sed non erant jejunia Quatuor Temporum, ut apud nos; bene vero observantur in memoriam obsessionis urbis sub Nabuchodonosor, eversionis murorum, captionis et mortis Godoliæ, ut videtur in calendario Judæorum adhuc usitato inter eos.

3° *Vigiliæ*. Christus quandoque *erat pernoctans in oratione Dei*, Luc. VI, 12; *Media nocte Paulus et Silas orantes laudabant Deum, et audiebant eos qui erant in custodia*, Act. XVI, 25. Horum exemplo primi Christiani in pervigilio magnarum solemnitatum solebant ad sepulcra martyrum pernoctare, ut constat ex pluribus monumentis, v. g., ab Ammiano Marcellino, Hist. l. 28; a Plinio juniore apud Tertull., Apol. c. 2; a S. Hieronymo, vigilias et pernoctationes *in basilicis martyrum* adversus Vigilantium fortiter defendente. Ineunte quarto sæculo, concilium Eliberitanum, can. 25, prohibuit ne « feminæ in
» cœmeterio privigilent, eo quod sæpe sub obtentu ora-
» tionis scelera latenter committant. » Cum enim cœmeteria essent loca subterranea et obscura, facilis erat turpitudinum perpetratio : sapienter igitur statutum fuit ut feminæ vigilias in privatis suis oratoriis haberent.

Hujusmodi vigiliæ erant præparatio ad celebrationem

solemnitatis disponens, et jejunium importabant : diu perseveraverunt, et non raro graves genuerunt abusus. Concilium Connacense, anno 1260 celebratum, pernoctationes in ecclesiis et cœmeteriis prohibuit, ob actiones turpes aut violentas, ob saltationes quæ in his locis sacris sæpe fiebant. Hæc prohibitio renovata fuit a Clemente V, in concilio Viennensi, anno 1311, et a Clemente VIII, in concilio Aquileiensi, anno 1596, ob easdem rationes.

De medio autem sublatis vigiliis, excepta vigilia Nativitatis Domini, remanserunt jejunia in pervigilio quarumdam solemnitatum. Vigiliæ sic conservatæ cum jejunio sunt vigilia Nativitatis Domini, vigilia Paschæ quæ est ultima dies Quadragesimæ, vigilia Pentecostes, vigilia Assumptionis et vigilia omnium Sanctorum.

Plurima olim erant alia jejunia, ut in Adventu, in Rogationibus, in festo S. Marci, in calendis januarii, in sabbato, Romæ, etc.; sed cum ubique obsoleverint, de illis nihil dicemus.

ARTICULUS TERTIUS.

DE MODO JEJUNANDI.

Certum est apud Catholicos jejunia supra recensita et conservata, sub peccato mortali per se obligare. *Ita unanimiter doctores;* et Alexander VII sequentem damnavit propositionem, anno 1666 : « Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto. »

Examinandum est igitur quid necessarium sit ut præceptum jejunii debite impleatur. Conditiones requisitæ ad tres reduci possunt, scilicet 1° ad abstinentiam a carnibus, 2° ad abstinentiam ab ovis et lacticiniis, 3° ad unicam refectionem; 4° dicemus de cœnula ex indulgentia permissa.

1° *De abstinentia a carnibus.*

1° Seclusa controversia olim agitata, an scilicet abstinentia carnibus sit pars jejunii principalior aut minus principalis, certum est apud omnes catholicos illam esse de præcepto et ad essentiam jejunii ecclesiastici pertinere; nunquam enim Ecclesia præcipit jejunium simpliciter, quin simul abstinentiam a carnibus præcipiat, quamvis ab illa dispensare possit, ut infra dicemus.

Dicimus ad *essentiam jejunii ecclesiastici*, quia jejunium in unica refectione sistens, absque delectione ciborum concipi potest, et probabile est Judæos sic olim jejunasse. Minime vero inde concludi potest, ut volunt Protestantes, nullum ciborum delectum in jejunio admittendum esse; quia Ecclesia tam habet potestatem usum carnium prohibendi, quam unicam refectionem præcipiendi.

2° Nomine carnium die jejunii prohibitarum intelligendæ sunt, juxta S. Th. 2 2, q. 147, art. 8, et omnes doctores, *carnes animalium in terra nascentium et respirantium*, per oppositionem ad animalia in aquis nascentia et respirantia. Unde 1° omnia quadrupedia et bipedia, in terra viventia, aves per aerem volantes, et generatim ea animalia quæ in aquis respirare nequeunt, prohibentur; 2° pisces e contra, et quæque animalia in terra communiter non viventia diebus jejunii permittuntur; 3° in dubio an animalia sint terrestria vel aquatilia, ex judicio peritorum in historia naturali, et maxime ex consuetudine pronuntiandum est : sic generaliter statutum est permittendas esse diebus jejunii limaces, testudines, ranas, locustas, conchas, quia hujusmodi animalia non habent sanguinem, aut habent sanguinem frigidum, et piscibus æquiparantur. Idem plures sentiunt de viperis, quæ similes sunt anguillis (idem dicendum est de colubris), de lutris, de castoribus, de fibris; idem communiter dicitur de ardeis (*hérons*), de gallinulis chloropis (*poules d'eau*), de martibus (*martres*), de muribus aquaticis (*rats*

d'eau), quia hæc animalia ex solis piscibus communiter vivunt. Non item de corvis marinis, de anatibus feris (*canards sauvages*) et aliis similibus, inter quæ S. Ligorius computat generaliter aves, licet in aquis nutriantur, ut fulicæ, ac consequenter *les hérons et les poules d'eau*. Spectandus est igitur usus in unaquaque diœcesi receptus. Apud nos ardeæ et gallinulæ aquaticæ eduntur, non vero anates feri. Jusculum et diversæ adipes ex carnibus provenientes, ad carnes ex quibus exprimuntur revocandæ sunt.

3° Lex esum carnium certis diebus prohibens obligat sub peccato ex natura sua mortali : sic interpretantur omnes doctores et communis fidelium opinio. Dicimus *ex natura sua*, quia transgressio hujus legis, ex omnium sensu, materiæ levitatem patitur. Unde qui in parva quantitate de carnibus prohibitis manducaret, leviter tantum peccaret; quantitas autem ad constituendum peccatum mortale requisita, ex judicio viri prudentis determinanda est.

Coqui et coquæ carnes prohibitas diebus abstinentiæ ex justa ratione præparantes, non peccant juscula et condimenta degustando, quia sufficienter excusantur.

2° *De abstinentia ab ovis et lacticiniis.*

1° Ova et lacticinia olim fuisse prohibita in jejunio quadragesimali, tanquam ex animalibus prohibitis directe provenientia, in dubium revocari non potest; Tertullianus enim aliique Patres narrant primos Christianos xerophagiis, id est cibis aridis et siccis, in Quadragesima vesci solitos esse. Hinc concil. Laodicenum, anno 364 celebratum, can. 50 : « Non oportet, in Quadragesimæ » quinta feria ultimæ hebdomadæ jejunium dissolvi et » totam Quadragesimam inhonorari, sed per totos dies » jejunare, et escis abstinentiæ convenientibus, id est » aridioribus, uti. » Tempore S. Gregorii Magni, sacerdotes, diaconi et reliqui omnes jejunabant « ab omnibus » quæ sementinam carnis trahunt originem, a lacte vide-

» licet, caseo et ovis; » esus vero piscium eis permittebatur ut infirmitatis solatium et non ut luxuriæ incendium. Ita S. Greg. in decreto Gratiani, part. 1, dist. 4, can. 6. Hæc ovorum et lacticiniorum prohibitio, usu piscium concesso, viguit apud Græcos et Latinos a primis temporibus usque ad recentiora : multæ adhuc sunt regiones in quibus eorum usus ex sola episcoporum dispensatione fit licitus : in pluribus aliis usus invaluit ut absque dispensatione lacticinia sint licita et non ova, v. g., in diœcesi Cenomanensi, in diœcesibus vicinis, et generatim in Galliis.

2° Catholici generaliter contendunt prohibitionem lacticiniorum et ovorum in jejunio quadragesimali esse jure communi sub peccato mortali, idque colligitur tum ex sententia doctorum qui in hoc sibi cum S. Thoma concordant, tum ex sequenti propositione ab Alexandro VII damnata : « Non est evidens quod consuetudo non come-» dendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget; » tum ex natura materiæ quæ in se est gravis.

Diximus *in jejunio quadragesimali*, quia communiter docetur horum prohibitionem non exstitisse, saltem sub gravi, in jejuniis Quatuor Temporum et Vigiliarum, nec *a fortiori* in aliis jejuniis per annum, ubi servabantur.

3° In diœcesibus ubi quotannis episcopus a prohibitione manducandi ova dispensare solet, si, ex inadvertentia, hanc dispensationem concedere negligeret, fideles ova manducantes juxta morem consuetum peccati mortalis accusare nollemus, tum quia dispensationem præsumere possent, tum quia consuetudo legi derogans sat firma videtur ut excuset a tanto, si non a toto.

Probabilius videtur S. Ligorio, l. 3, n. 1010 et aliis pluribus, panes bis coctos ex farina et ovis confectos (*biscuits et gâteaux*), etc., diebus quibus ova prohibentur edere, a peccato veniali non excusari *nisi saltem aliqualis causa accedat*. Sunt verba S. Ligorii.

3° *De unica refectione, de ejus hora, et de potu.*

1° Multo probabilius est unicam refectionem ad essentiam jejunii ut partem magis principalem pertinere : jejunium enim sine abstinentia ab ovis, carnibus et lacticiniis concipitur, cum pluribus vero refectionibus concipi non potest : unde secunda refectio proprie dicta esset, juxta omnes, peccatum mortale. Parvæ autem comestiones etiam ciborum licitorum sunt peccata venialia, quæ ex repetitionibus in eodem die fierent peccatum grave, si in materiam notabilem coalescerent, ut patet, ex hac propositione ab Alexandro VII anno 1666 damnata : « In » die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etsi no» tabilem quantitatem in fine comederit, non frangit je» junium. »

2° Quamvis primi Christiani a vino diebus jejunii abstinuerint, ut S. Chrysostomus, S. Hieron., S. Basilius aliique Patres testantur, extra omne dubium est vinum licitum nunc esse, et a multis sæculis, si in refectione permissa sumatur ; nam *vinum ita bibere permittitur, ut ebrietatem omnino fugiamus*, inquit S. Greg. Magnus in Decreto, part. 1, dist. 4, can. 6. Communius etiam docetur potum vini, extra comestionem, ad sedandam sitim vel ad digestionem juvandam, jejunium non frangere ; nam « jejunium non solvitur nisi per ea quæ Ecclesia » interdicere intendit, » inquit S. Th. 2 2, q. 107, art. 6, ad 2. « Non intendit autem Ecclesia interdicere potum, » qui magis sumitur ad alterationem corporis et digestio» nem ciborum sumptorum, quam ad nutritionem, licet » aliquo modo nutriat. » Hinc natum est axioma : *Liquidum non frangit jejunium*, quod bene intellectum nihil habet inordinatum. Sed dubium fit an vinum extra refectionem sumptum ad sedandam famem, præceptum jejunii lædat : multi affirmant, quia sic agens finem jejunii frustrat ; alii vero multi negant, quia statutum legis positivæ non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, et finis præcepti non cadit sub præcepto.

Posterior hæc sententia a multis tenetur et probabilior videtur S. Ligorio, l. 3, n. 1022; prior tamen et probabilis et tutior.

3° Quod de vino dicitur, pari ratione dicendum est de aliis liquoribus qui per modum potus sumuntur, v. g., de cerevisia, de succo malorum, pirorum, de aqua saccharo mixta (*de la bière, du cidre de pommes ou de poires, de l'eau sucrée*). Saccharum per se ad potum certe non pertinet, sed multa aqua immixtum rationem potus acquirit, vel potius naturam aquæ non mutat : *a fortiori* nec partes ex hordeo depromptæ in cerevisia. *Ita communissime auctores*. Idem est adhuc de *caffeo*. Hoc timorati apud nos non sibi permittunt extra necessitatem, aut saltem nisi notabilem habeant causam.

4° Major est difficultas de *chocolato*. Plurimi negant illud frangere jejunium, modo usus illius fiat ut in Mexico, id est parva quantitas *chocolati* cum multa aqua immisceatur, quia rationem tunc habet potus; secus si sumatur ad instar densæ pultis, puta, si misceatur aquæ cum majori vel æquali quantitate, quia in eo casu haberet rationem esus et non potus. Alii vero plures et communius, ut *Sanchez*, Sylvius, *Layman, Concina, Ferraris*, S. Ligorius, contendunt chocolatum per se jejunium frangere, quia ex se est alimentum et non potus. Illius tamen usum permittunt in modica quantitate, ad consolidandum stomachum, maxime ex consuetudine in multis locis recepta, v. g., in Italia, in Hispania, in Portugalia, etc.; consuetudo enim antiqua et generalis vim habet legem introducendi, abrogandi aut interpretandi. Hæc autem consuetudo in Gallia non viget.

5° Omnia ecligmata, quæ S. Thomas, 2 2, q. 147, art. 6, ad 3, vocat electuaria (*les diverses espèces de sirops*), si per modum medicinæ sumantur, ex communissima opinione jejunium non frangunt. « Dicendum quod electuaria, inquit S. Th., etiamsi aliquo modo nutriant, non » tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed » ad digestionem ciborum : unde non solvunt jejunium, » sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi forte

» aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate as-
» sumat per modum cibi. »

6° Quoad horam sumendi refectionem, certum est per multa sæcula non licuisse quadragesimale jejunium ante vesperam, id est solis occasum, solvere et alia jejunia ante horam nonam, scilicet tertiam post meridiem. In duodecimo sæculo jam licebat jejunium quadragesimale hora nona solvere, ut notat S. Th. 2 2, q. 147, art. 7, ad 2 et 3. Nunc vero juxta omnes, refectio licite sumitur circa meridiem, et nihilominus nomen cœnæ retinet, in memoriam antiquitatis; unde in Quadragesima vesperæ dicuntur ante prandium, et in refectorio preces pro cœna statutæ recitari solent.

Diximus *circa meridiem;* quia hæc hora sumitur moraliter, et communitates quæ prandere consueverunt hora undecima cum dimidia, regulam suam mutare non tenentur ob jejunium etiam Quadragesimæ. Qui vero prandium, sine causa legitime excusante, notabiliter anticiparent, graviter peccare possent; sed hoc ex judicio viri prudentis æstimandum est. Anticipare dimidia hora peccatum esset leve; duabus horis, peccatum esset mortale, juxta Sylvium, Lessium aliosque communiter, inter quos plures arbitrantur anticipationem unius horæ ad constituendum peccatum mortale sufficientem esse.

7° Tempus quo prandium tuto protrahi potest non determinatur neque lege neque consuetudine: quidam concedunt usque ad quatuor horas, saltem pro Germanis, juxta morem eorum; alii vero vix permittunt duas horas, quod tamen communius admittitur.

8° Hæc refectio debet esse continua, absque mortali interruptione, alioquin non esset unica, sed plures essent refectiones. Qui autem e mensa, ob superveniens negotium, surgit animo revertendi, quamvis spatio dimidiæ horæ vel horæ integræ absit (quidam dicunt duarum horarum), jejunium non frangit prandium suum continuando. Si assurgendo non habuisset animum revertendi, iterum comedendo novam assumeret refectionem, et contra legem jejunii plus minusve peccaret secundum

materiæ quantitatem. Concedunt tamen auctores, v. g., *Concina*, eum qui, falso credens prandium esse finitum, mappulam involvit, cum intentione nihil ultra comedendi, et advertit aliud superesse ferculum, ex illo absque jejunii dispendio manducare posse, quia externa non existit interruptio, sed tantum animus interrumpendi : porro externa requiritur interruptio, et interna non sufficit.

Brevis suspensio, v. g., per unam quadrantem, sine causa et animo revertendi, in usu communi hominum, non censetur interruptio proprie dicta.

9° Qui in ea refectione cibo et potu ita se ingurgitat ut afflictionem jejunii non sentiat, contra ipsam jejunii legem non agit, siquidem utitur alimentis permissis et unicam sumit refectionem, sed temperantiæ leges violat, ut patet, finem jejunii impedit, et sub hoc respectu venialiter aut mortaliter peccat, secundum circumstantias, et ordinarie tantum venialiter.

4° *De Cœnula seu collatione serotina.*

In primis temporibus monachi solebant, post cœnam, diebus jejunii, coadunari, libros sacros aut asceticos legere, de factis aut veritatibus lectis secum loqui seu colloqui ad mutuam ædificationem : hoc igitur exercitium appellabatur collatio, seu conferentia. Post illud permittebatur potus vini aut aquæ ad juvandam digestionem et fovendum somnum. P. *Concina* probat, ex regula S. Dominici et ex S. Bonaventuræ testimonio, in tredecimo sæculo usum adhuc viguisse, solum, post collationem spiritualem, sumendi potum diebus jejunii.

Deinde, invalescente consuetudine cœnam anticipandi, non solum hora nona, sed etiam sexta seu meridiana, mos simul invaluit non tantum aliquid bibendi ante somnum, sed et manducandi, ne potus noceret. Talis est origo cœnulæ per tot sæcula inauditæ, et nunc universalis, quæ etiam dicitur collatio, collatiuncula et refectiuncula.

Nulla lege positiva Ecclesia hanc refectiunculam approbavit; sed eam vidit incipientem, paulatim grassantem, universali consuetudine firmari, et non reclamavit: unusquisque ergo potest, tuta conscientia, eam servare, sicque etiam timoratissimi nunc faciunt.

At plures moveri possunt difficultates 1° circa qualitatem alimentorum, 2° circa quantitatem, et 3° circa horam qua sumi potest hæc collatiuncula.

1° *Circa qualitatem alimentorum.* Varia varii sentiunt doctores in eo puncto: alii enim volunt hanc cœnulam sumendam esse in modico pane, cum fructibus et herbis, non in cibis proprie dictis, ut sunt lacticinia, ova, pisces cocti, legumina cocta, etc.: alii permittunt modicum casei, butyri, lactis, pultis amygdalinæ, alii panem coctum cum amygdalis, vel coctum in aqua cum sale tantum; alii concedunt parvos pisces etiam frixos in oleo vel in butyro; alii cibos omnis generis in refectione permissos, sed in modica quantitate, etc. In tanta opinionum varietate nulla melior assignari potest regula, quam ut unusquisque praxim timoratorum in sua diœcesi sequatur; quia cum cœnula ab universali Ecclesia non fuerit instituta, sed a particularibus paulatim introducta, eo modo sumi debet quo in singulis provinciis a timoratis fuit recepta, et cavendum est a nova laxitate introducenda. *Sic generatim accuratiores theologi.*

Apud nos autem permittuntur fructus arborum etiam cocti, legumina cruda et cocta, sed frigida, cum oleo, sale et aceto condita, caseus, butyrum, lac crudum, pisces crudi, ut conchæ, panis assatus in vino vel in lacte crudo madefactus (*rôtie au vin, au cidre, au lait*) toleratur.

2° *Circa quantitatem.* Multa etiam observatur inter theologos varietas in determinanda quantitate quæ in præfata collatione licite sumi potest: omnes fatentur eam debere esse modicam, et talem ut a refectione essentialiter differat. Communius hæc assignatur regula, ut refectiuncula non excedat quartam partem cœnæ ordinariæ quam quis, spectata sua persona, ætate, conditione, occupatione, fatigatione, regione, ad sufficientiam naturæ

sumere solet. Unde, si quis in ordinaria refectione duabus libris alimentorum indigeat, octo sumere potest uncias in collatione : si una libra ipsi sufficiat, quatuor tantum uncias sumere potest. Quantitas enim naturæ sufficiens variatur secundum personas, genus vitæ, regionem, etc., v. g., multo major alimentorum quantitas necessaria est juveni quam seni, rustico quam civi tota die otianti, in regione frigida habitanti quam in plaga torrida, etc.

In monasteriis aliisque communitatibus, in quibus determinatæ singulis assignantur portiones, ordinarie quatuor unciæ panis ponuntur, ut unusquisque pro sufficientia sua comedat, superfluo relicto.

Concina testatur communem sententiam esse duarum unciarum excessum in collatione, id est supra quantitatem permissam, gravem esse jejunii infractionem. Sed hæc opinio est in se rigidior ac communi praxi contraria.

Aliunde qui ex refectione prandii satis est confortatus, aut qui vespere non esurit, nihilominus collatiunculam, juxta morem receptum, sumere potest, tum propter consuetudinem existentem, tum propter anxietates ex contraria doctrina continuo obventuras. Ita *Azor* et *Cozza* apud *Dens* qui, t. IV, p. 369, eos citat et approbat.

Multi dicunt quantitatem refectiunculæ augeri posse in vigiliis Nativitatis et Resurrectionis Domini, ob incœptum solemnitatis gaudium : *Concina* recte notat hoc procul dubio licitum esse ubi consuetudo legitime præscripsit, et non alibi; apud nos autem talis non existit consuetudo.

3° *Circa horam collationis.* Certum est eam sumendam esse ad vesperam, quia sic inducta est consuetudo. Eam igitur sumere non licet meridie, et refectionem vespere, nisi aliqua ratio id suadeat, v. g., iter agendum, negotia circa meridiem tractanda, difficultas dormiendi nocte nisi stomachus vespere reficiatur. *Ita communiter theologi.* Ad præcedentes rationes putamus addi posse consuetudinem ordinarie ad vesperam prandendi, ut nunc fit communiter in multis familiis, non solum Parisiis, sed et in provinciis; qui ordinarie sic vivunt, suam agendi

rationem mutare non tenentur ob jejunium, præsertim si occurrentes convivas hora meridiana commode habere non possint, modo caveant ne quantitatem incollatione permissam et qualitatem ciborum prætergrediantur. Jejunium sic observatum magis affligit naturam quam jejunium consuetum in quo refectio fit meridie et collatio vespere.

Non licet autem collationem sumere mane, etiamsi refectio ad vesperam remitteretur, quia vera esset inversio ordinis statuti : excipitur, nisi aliqua notabilis causa ad id impelleret, v. g., iter faciendum. Hæc tamen inversio, sine causa, non reputatur peccatum mortale, quia substantiam jejunii non afficit. *Ita communiter theologi.*

Sacra Pœnitentiaria, hac de re consulta, respondit die 10 januarii 1834 : « Si inversionis supradictæ rationabilis » aliqua exstet causa, pœnitentes qui hoc more utuntur » non esse inquietandos. »

ARTICULUS QUARTUS.

DE CAUSIS A JEJUNIO EXCUSANTIBUS.

Principium est apud omnes legem positivam non obligare cum tanto incommodo : quando igitur lex jejunii observari non potest sine notabili detrimento, non obligat ; sed cum tres complectatur partes, abstinentiam a carnibus, unicam refectionem et tempus determinatum, fieri potest ut causa ab una parte excuset et non ab aliis, v. g., si quis sufficientem habeat rationem manducandi carnes, et non plures sumendi refectiones, vel pluries manducandi et non edendi carnes, horam præveniendi et non manducandi carnes, aut plures refectiones faciendi ; objectum enim jejunii est divisibile, ut patet : unde qui non potest totum, tenetur ad partem quam potest.

Causæ autem a jejunio excusantes ad quinque reduci possunt, nempe ad ætatem, impotentiam, necessitatem, pietatem et dispensationem.

1° *Ætas.* Pueri ante usum rationis ad hanc legem

certe non obligantur, quia obedientiæ non sunt capaces : unde ante septennium carnes eis licite dantur diebus jejunii, item et perpetuo amentibus; non ita amentibus per intervalla, quia lex ipsis fuit promulgata, eosque semper obligat.

Lex abstinendi a carnibus eos omnes obligat qui usum habent rationis, quia illam observare possunt sine notabili detrimento : et sic omnes communiter sentiunt. Non ita est de unica refectione; juvenes enim crescentes abundantiori indigent nutrimento, propter necessitatem augmentandi, quod fit de residuo alimenti : quamdiu igitur sunt in statu augmenti, id est usque ad finem tertii septennii circiter, ad jejunia ecclesiastica non tenentur. Sic consuetudine statutum est ut jejunare non obligarentur ante vigesimum primum annum completum : « Conveniens tamen est, » inquit S. Th. 2 2, q. 147, art. 4, ad 2, « ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum » exerceant plus vel minus, secundum modum suæ » ætatis. »

Ante hanc ætatem juvenes ad quædam jejunia obligari possunt vel jure naturali ad illecebras carnis cohibendas, vel præcepto confessoris, vel mandato superioris, ad iram Dei placandam in magna calamitate, vel ex voto, vel ad lucrandum jubilæum.

De senibus.

Omnes theologi fatentur senes ab obligatione jejunii excusari; verum multum inter se discrepant in determinando quid per senes intelligendum sit. Quidam excusant omnes viros eo ipso quod annum quinquagesimum quintum attigerint : sed hæc opinio ab omnibus moraliter rejicitur. Alii multi contendunt omnes sexagenarios, etiam robustos, reputandos esse senes et a præcepto jejunandi esse liberatos; nam sicut juvenibus determinata est ætas pro initio jejunii, ita conveniebat ut aliqua determinaretur pro senibus, ne daretur locus anxietatibus et scrupulis : porro usus fidelium et communis sensus doctorum

sexaginta determinavit annos pro incipienda senectute, et quidem merito; nam hujusmodi senum robur est ambiguum, frequenti sustentatione indiget, nec exspectandum est ulterius ne penitus deficiat. Si quidam ultra eam ætatem reperiantur robusti et ad jejunium habiles, id fit per accidens, sicut quidam juvenes ante vigesimum primum annum commode jejunare possent, et ad id tamen non tenentur: ergo merito statutum est absolute ut nec sexagenarii, quamvis robusti, ad hanc legem obligarentur. Ita cum multis aliis S. Ligorius, l. 3, n. 1036, qui insuper, per consequentiam, docet 1° non exspectandum esse donec sexagesimus annus sit completus, quia sexagenarius communiter dicitur qui sexagesimum annum inchoavit; 2° non improbandam esse sententiam quæ tenet feminas quinquagenarias a jejunio excusari, quia in feminis senectus antecedit, licet probabiliorem reputet sententiam oppositam, in eo fundatam quod mulieres facilius, sine detrimento valetudinis, jejunent quam viri, eo quod minori cibo indigeant; 3° eos qui se voto astrinxerunt ad jejunandum toto vitæ suæ tempore, ad ætatem sexagenariam non attendendo, sexagesimo decurrente anno jam non teneri, quia censentur se ad instar jejunii ecclesiastici obligare voluisse; secus, si expresse se obligare voluissent etiam post sexagesimum annum, ut patet, quia sicut juvenis ante vigesimum primum, ita et senes post sexagesimum annum se obligare possunt, modo valetudo corporis id permittat; 4° regulares sexagenarios ad jejunia regulæ amplius non teneri, nisi in eorum instituto promittatur observatio jejunii usque ad mortem, quia in eo casu privilegium senectutis excluditur. 5° Arbitratur etiam S. Ligorius dubium esse an jejunium voto castitatis subrogatum post sexagesimum annum obliget, et consulit ut vovens dispensationem, pro qua datur ratio sufficiens, a superiore ecclesiastico obtineat.

Multi vero alii, et *Layman* dicit hanc esse communiorem sententiam, volunt nullam determinatam esse ætatem ad obligationem jejunii finiendam; quia alii citius,

alii tardius deficiunt, dum, e contra, omnes communiter crescunt usque ad vigesimum primum annum : unde senes a jejunio non excusantur, nisi quando vires corporis deficiunt, ita ut pluribus moraliter indigeant refectionibus. Hæc sententia probabilior nobis videtur saltem in Gallia, quia, ex praxi timoratorum, judicatur consuetudinem apud nos non invaluisse ut ætas aliqua senes per se a lege jejunii solvat.

2° *Impotentia.* Duplex distinguitur impotentia, una physica, et altera moralis. Ratione impotentiæ physicæ excusantur, 1° infirmi, convalescentes, debiles, languidi, et ii omnes qui, sine notabili corporis aut valetudinis damno, jejunare non possunt; et si infirmitates sint graves, usum carnis sæpe exigunt : in dubio, ad judicium medici recurrendum est; 2° prægnantes et lactantes, quia ratione sui fetus, aut prolis, cui sustentationem præbere debent, abundantiori et frequentiori cibo indigent : imo, ut ait S. Ligorius, n. 1033, sæpe peccarent si pluries jejunarent : secus, si quibusdam vicibus mulier robusta jejunaret. Eis quandoque, sed non communiter, concedendus est carnium usus, si nempe puer sit infirmus, si periculum infirmitatis immineat, vel si mater sit debilis; 3° pauperes « qui frustatim eleemosynas mendicant, qui » non possunt simul habere quod eis ad victum suffi- » ciat. » Sunt verba S. Th. 2 2, q. 147, art. 4, ad 4. *Sanchez* et S. Ligorius cum aliis putant eum qui habet tantum panem et legumina aut herbas, ad unicam refectionem non teneri, quia etsi ad hæc sit assuetus, non tamen sufficienter se sustentat, nisi pluries in die et in magna quantitate ex his sumat. Hoc ex circumstantiis prudenter judicandum esse putamus.

Ratione impotentiæ moralis ii excusantur qui sine magna difficultate extrinseca jejunare non possunt, quia talis difficultas magno aut notabili corporis incommodo æquiparari potest.

Hinc 1° jejunium integrum servare non tenentur ii quibus gravem capitis dolorem affert; 2° nec ii qui jejunando noctu dormire nequeunt : sed, ut supra diximus,

ordinem invertere possunt, et, si non adsit ratio excusans, tenentur, collationem meridie sumendo, et refectionem ad vesperam remittendo; 3° milites tum in castris, tum in præsidiis, tum in hospitiis, quia congruum non habent cibum ut jejunent; 4° uxores et filiifamilias qui jejunando gravem mariti aut parentum in se excitarent indignationem; lex enim Ecclesiæ cum tanto incommodo non obligat, nisi transgressio ejus in contemptum Dei, religionis vel Ecclesiæ peteretur.

3° *Necessitas.* Ad necessitatem reducuntur labor sustinendus et iter faciendum.

Ratione laboris a jejunio eximuntur omnes qui ad suam suorumque vitam sustentandam laborant, et laborem jejunando sustinere non possunt sine gravi incommodo; quia jejunium fit ipsis moraliter impossibile. Hinc excusantur agricolæ, fossores, cæmentarii, navigeri, lignarii, ferrarii, argentarii, ærarii, stannarii, lapicidæ, pistores, sutores, coriarii, textores, fullones, bajuli, aurigæ, nautæ, rementes, et ii omnes qui per totam diem aut per majorem diei partem gravioribus operibus vacant. Contra vero non excusantur qui levibus et non fatigantibus occupantur laboribus, ut sunt pictores, sartores, nisi per notabilem noctis partem suere teneantur, acupingentes, barbitonsores, notarii, scribæ, mercatores in officinis suis manentes, typographi componentes, advocati, consiliarii, procuratores, professores, scholares, et alii hujus generis qui, ob nimiam applicationem, majori collatione uti possunt, non vero secunda refectione proprie dicta indigent, nisi aliam rationem habeant. Si tamen officium suum implere non possint jejunando sine gravi incommodo, excusantur; sed excusatio est relativa ad personas et occupationes, non vero absoluta et universalis. Unde Alexander VII sequentem merito damnavit propositionem, ob suam nimiam generalitatem : « Omnes » officiales qui in republica corporaliter laborant, sunt » excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare » an labor sit compatibilis cum jejunio. »

Artifices divites qui, ex officio, laboriosas exercent ar-

tes, a jejunio excusantur, quamvis fructu laboris sui non indigeant; non tenentur enim officio suo et consueto labori renuntiare ut jejunent. *Ita communiter theologi*, qui, præter rationem expositam, afferunt oraculum vivæ vocis Eugenii IV, anni 1440, a plerisque auctoribus scholasticis citatum, et habens : « Artifices laboriosas artes » exercitantes et rustici, sive divites, sive pauperes, non » tenentur jejunare sub præcepto peccati mortalis. » Etiamsi oraculum istud non esset authenticum, ut quidam volunt, verba a tot doctoribus citata et laudata eorum saltem opinionem exprimunt.

Qui autem laborando sine gravi incommodo jejunare possent, ratione laboris non excusantur, sed ratione consuetudinis universalis et bonæ fidei saltem a gravi peccato nobis videntur excusati; et ideo eos ad jejunium vel saltem privationes sibi imponendas, fortiter hortandos esse arbitramur, et de cætero in fide utcumque bona relinquendos.

Plura adhuc hic sunt notanda : 1° eos qui laborando a jejunio excusantur, communiter jejunare non teneri una vel altera die qua non laborant, quia eo tempore indigent ad reficiendas vires vel ad eas conservandas pro die sequenti : secus, si commode jejunare possent; in dubio pro excusatione magis pronuntiandum est in praxi, ne sacramenta sine causa sufficienti denegentur; 2° eum qui sine intentione fraudandi legem, laborem non necessarium nec consuetum assumit in die jejunii, contra legem jejunandi peccare, quia sine motivo sufficienti ponit causam impletionis legis impeditivam : attamen, corpore ob laborem defatigato, de culpa sua dolere tenetur, non vero jejunare; 3° *a fortiori* eum legis jejunii esse transgressorem qui suscipit laborem præcise ut non jejunet; et nihilominus, fatigatione existente, refectionem sumere potest, de culpa admissa dolendo.

Ratione itineris excusantur ii omnes qui, ob rationabilem causam, iter agentes, simul jejunare non possent absque gravi incommodo; nam tunc jejunium fit moraliter impossibile. Eadem est ratio ac pro laborantibus,

cum defatigatio corporis attendatur : sicut ergo omnis labor a jejunio non liberat, nec pariter omne iter; et ideo Alexander VII sequentem damnavit propositionem, n. 31, anno 1666 : « Excusantur absolute a præcepto jejunii » omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter » agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter » unius diei conficiant. » Requiritur ergo causa sufficiens iter suscipiendi aut continuandi et notabilis defatigatio corporis, habita ratione personæ, itineris, modi iter faciendi, etc. Unde 1° publici cursores, rhedarum ductores, gallice *les commissionaires, les piétons, les postillons, les conducteurs de diligences, les courriers de la malle-poste*, etc.; item qui, ex honesto fine, v. g., ad invisendum amicum infirmum, ad recuperandum sanitatem, ad relaxandum animum studiis fatigatum, iter quinque aut quatuor leucarum pedibus agere debet; qui magna diei parte cursitare tenetur per civitatem ad litteras deferendas, ad negotia peragenda, ad merces vendendas aut emendas; qui pluribus subsequentibus diebus die ac nocte equo vel rheda præsertim publica iter facere debent, a jejunio excusantur. 2° Non excusantur, e contra, qui pedibus euntes, longum non acturi sunt iter, aut gravem non experturi sunt defatigationem, aut sufficientem non habent rationem iter suscipiendi vel continuandi, quamvis, itinere facto et fatigatione existente, se reficere possint, de culpa admissa dolentes. Sic a jejunio non excusantur qui, sola recreationis aut delectationis causa, iter faciunt, qui equo vel rheda, præsertim domestica, iter agentes, non multum defatigantur; qui absque rationabili causa venantur aut piscantur, etc.

Notandum quod iter aliquando permittat jentaculum, si nempe fiat mane, et non cœnam; aliquando cœnam vel copiosiorem collationem, et non jentaculum, si fiat post prandium : sæpe sufficit collationem mane sumere et refectionem ad vesperam remittere.

4° *Pietas*. Ratione pietatis a jejunio excusantur ii omnes qui præstantioribus incumbunt operibus quæ cum jejunio non sunt moraliter compatibilia : nam jejunium

fuit institutum ut opus bonum; at, si majus bonum impediret, jam cessaret esse bonum, ut patet. Hinc excusantur 1° qui pluribus infirmis cum magno labore aut diuturna vigilia inserviunt in hospitiis, in monasteriis, vel etiam in domibus privatis sive ex officio, sive ex charitate; 2° qui ex vero zelo, ex sui vel aliorum notabili utilitate piam faciunt peregrinationem, v. g., ad visitanda Loca sancta, maxime si, peregrinatione suscepta, dies jejunii intercedat; 3° concionatores qui quotidie aut fere quotidie in Quadragesima cum magno labore et studio prædicant : non autem ii qui ob conciones alibi repetitas, vel ob memoriæ facilitatem, magno studio non indigent, cum tunc causa exemptionis cesset; 4° scientiarum professores, ludimagistri, quorum labor est notabilis aut complexio debilior; 5° confessarii complexione debiliores, si munere suo fungi et simul jejunare non possint; 6° cantores et musici qui jejunando vocem amitterent, et officium suum exercere non possent; 7° denique ii omnes qui, opera misericordiæ, sive corporalia, sive spiritualia, exercentes, jejunare nequeunt absque notabili et gravi suo detrimento, etiamsi hæc opera non ex officio vel obedientia, sed sponte suscipiant, si justa sit causa ea suscipiendi et differri non possint. Ita S. Th. et cum illo multi theologi.

5° *Dispensatio.* Cum lex jejunii sit positiva, dubitari non potest quin ejus obligatio per legitimam superioris dispensationem solvi possit.

Superior autem est 1° summus Pontifex pro tota Ecclesia, qui dispensare potest, tum quoad usum carnium, tum quoad unicam comestionem, tum quoad horam servandam.

2° Episcopus in tota sua diœcesi, vel ex sua jurisdictione, ut nonnulli volunt, vel ex delegatione summi Pontificis consuetudine fundata, ut alii docent. Pro dispensatione erga privatos et communitates, nulla est difficultas; omnes concedunt episcopum hanc habere facultatem : si vero agatur de dispensatione universæ diœcesi concedenda, non ita sibi consentiunt doctores; alii enim volunt

episcopum dispensare non posse, nisi ex speciali delegatione a summo Pontifice obtenta; alii vero putant eum, ex propria auctoritate vel ex delegatione generali præsumpta, dispensare posse. Quidquid sit, certum est episcopos in Gallia consuevisse hujusmodi dispensationes ob causam suo judicio gravem concedere, sine ullo recursu ad summum Pontificem. Pontifices Romani hanc praxim ignorare non possunt, et tamen non reclamant. Imo Bened. XIV in encyclicis mox citandis supponit episcopos hujusmodi concedere dispensationes. Ita fit etiam in Germania, in Belgio, etc.

Observandum dispensationem super abstinentia a carnibus integram relinquere obligationem jejunii quoad alias partes, scilicet unicam refectionem, qualitatem cœnulæ et horam servandam, ut expresse definiit Bened. XIV, Constit. *Non ambigimus,* diei 30 maii 1741, *In suprema*, diei 22 aug. ejusdem anni, et *Libentissime*, diei 10 junii 1745, ad universos episcopos directis. Declarat insuper idem Pontifex *nequaquam licere mensam eamdem carne ac piscibus instruere*, ne diebus quidem dominicis in Quadragesima, et hanc eamdem conditionem apponendam esse in dispensationibus extra Quadragesimam concessis. Quamvis nihil ostendat præcedentes bullas in Gallia fuisse receptas, saltem maxime congruit ut episcopi a conditione in eis præscripta non recedant.

Ex pluribus S. Pœnitentiariæ decisionibus (*L'Ami de la Religion*, *t.* CVIII, *p.* 309 *et* 310) constat nomine piscium intelligenda esse testacea marina, quæ vulgo pisces censentur (gallice *les divers coquillages*, *les huîtres*, *les anchois, les écrevisses,* etc.). *A fortiori* comprehenduntur pisces sale siccati.

3° Parochi, ex juxta causa, cum subditis suis particularibus, non vero pro tota parochia : *talis est sententia communis*, quia nimis grave esset si pro omnibus hujus generis casibus ad episcopum recurrendum foret. Imo id possunt, etiam præsente episcopo, in sua parochia, quia licet de jure hanc jurisdictionem non habeant, eam tamen consuetudine exercent, et sic apud nos fit quotidie.

S. Ligorius cum aliis pluribus hanc sententiam æstimat valde probabilem; nos arbitramur illam esse certam. Vicarii actus parochiales qui jurisdictionem requirunt exercentes, hujusmodi dispensationem concedere possunt, nisi parochi expresse repugnent : non vero simplices confessarii aliique sacerdotes, et etiam vicarii externam jurisdictionem non habentes, nisi ex delegatione parochi, episcopi aut vicarii generalis.

4° Superiores regularium, non solum generales, sed et inferiores seu locales, eamdem habent facultatem respectu subditorum suorum, quia veram habent jurisdictionem spiritualem in illos ut omnibus provideant quæ ad bonum ipsorum regimen pertinent.

. Id vero *proprio jure* facere nequeunt Abbatissæ aliæque feminæ monialium superiorissæ, sed recte faciunt tanquam nudum ministerium exercentes, nomine superiorum ecclesiasticorum, et in casibus ab eisdem vel a consuetudine determinatis, ut supra jam dictum est. Doctrinaliter autem judicare possunt, ex prudentia et sine scrupulis, ac decernere talem personam sibi subditam ad legem jejunii aut abstinentiæ non teneri, et exigere ut illam non servet.

Similiter doctores, theologi, confessarii, medici, patresfamilias, pronuntiare possunt an existat ratio sufficiens ut lex jejunii vel abstinentiæ non obliget : quinimo, « si causa sit evidens, » inquit S. Th. 2 2, q. 147, art. 4, « per se ipsum licite potest homo statuti observantiam » præterire, præsertim consuetudine interveniente, vel » si non possit facile recursus ad superiorem haberi. Si » vero causa sit dubia, debet aliquis ad superiorem re- » currere qui habet potestatem in talibus dispensandi. »

ARTICULUS QUINTUS.

DE IIS QUI RATIONE JEJUNII ET ABSTINENTIÆ PECCANT.

1° Certum est eos omnes qui ad jejunium tenentur, toties mortaliter peccare quoties legem graviter violant,

etiam eadem die, sive comedendo, sive cibis prohibitis utendo, aut novum formant propositum comedendi vel carnibus utendi, nisi sufficientem habeant rationem eos excusantem. *Patet ex dictis.*

2° Qui alios jejunio obligatos invitant ad jentaculum, ad cœnam, ad edendas carnes, graviter peccant, siquidem eos ad grave peccatum incitant, atque peccati eorum fiunt complices. Non tamen increpandi sunt qui, ex usu generali, reverentia aut decentia, cibos non vetitos in mensam apponunt mane et vespere, relinquendo unicuique libertatem, juxta suum beneplacitum, manducandi et bibendi; nec qui adstantes, ex urbanitatis necessitate, ad manducandum et bibendum generalibus verbis invitant, modo eos non exhortentur nec excitent; censetur enim dicere : Forte habetis rationes a jejunio excusantes; sumite quod vobis necessarium est. Si timorati hanc regulam sequi non possent, sæpe graviter molesti fierent et societati renuntiare deberent. Sic in domibus etiam religiosissimis præbentur jentaculum et cœna domesticis et omnis generis opificibus, nisi intentionem manifestent jejunandi.

Multo securius potus, extra refectionem, offerri potest, dum ex se jejunium non frangat.

3° Qui justam habent rationem cibum et potum præbendi jejunium violaturis, a peccato excusantur, secundum principium a nobis sæpe invocatum, quod alteri præbere liceat, ob causam sufficientem, materiam vel actionem ex se bonam qua prævidetur abusurus ad peccandum, quia tunc ipsi soli imputandum est peccatum.

Hinc 1° uxor et filiæfamilias præparare ac præbere possunt cibum et etiam carnes marito, patri aut matri eos exigenti, si timeant iram, rixas, blasphemias et alia hujusmodi; 2° item ancillæ respectu dominorum, si aliunde famulatum cum gravi suo detrimento amitterent, v. g., quia alium facile non invenirent aut periculum seductionis incurrerent; 3° similiter tabernarii, obsonatores (*aubergistes, maîtres d'hôtels, traiteurs*) relative ad viatores et generatim ad eos qui tabernas ipsorum,

diversoria, officinas frequentant : carnes offerre non debent, sed petentibus dare possunt, nisi petitio in contemptum Dei aut Ecclesiæ fieret : imo qui viatores per rhedas publicas advenientes hora determinata exspectant, experientia cognoscentes multos carnes aut jusculum ex carnibus petituros esse, talia alimenta semper habere possunt parata, petentibus apponenda, vel etiam mensam cibis licitis et illicitis struere, ut unusquisque quod sibi placuerit eligat; tum quia sæpe plures inveniuntur qui sufficientem habent rationem legem jejunii aut abstinentiæ non servandi, et hanc rationem aperire non tenentur; tum quia in præsenti rerum statu impossibile est, saltem multis in locis, officium tabernarii aliter exercere.

Qui in talibus constituti sunt circumstantiis ut jejunium servare aut a carnibus abstinere non possint absque gravi sui vel suorum detrimento, eadem ratione eximuntur a lege. Unde 1° uxor et filiifamilias carnes diebus prohibitis manducare possunt, si maritus aut parentes id rigorose præcipiant, et precibus cedere nolint aut blasphemias perpetuo evomant, etc. 2° Item famuli et operarii qui aliter panem siccum comedere, famulatum aut servitium cum magno detrimento amittere, aut graves alias molestias experire tenerentur. 3° Pariter excusantur mercatores aliique viatores qui in publicis diversoriis vel in domibus privatorum apud quos manducare tenentur, cibos legi abstinentiæ conformes obtinere non possunt. 4° Item adhuc qui, ob notabilem rationem, v. g., ad sustentandam suam familiam, ad se in quadam arte perficiendos, certis anni temporibus eunt Parisios vel in plagas in quibus abstinentiam servare nequeunt, excusantur.

Sedulo igitur pensandæ sunt circumstantiæ personarum, præceptorum violandorum, rationum ad talem violationem impellentium, et decisio prudenter, ex æquo et bono, ferenda est, cavendo similiter a rigore pernicioso et a nimia laxitate.

Notandum insuper nulla ratione licitum fieri posse

Deum aut Ecclesiam erubescere, vel trangressioni legis in contemptum ejus petitæ assentire.

Milites licite utuntur cibariis sibi præstitis sine distinctione, et a longo tempore jam ubique ipsis quotidie præstantur carnes, quia secus difficile esset convenientia eis præbere alimenta ; lege ergo abstinentiæ non obligantur. Verum aliud dicendum est de iis qui, militia pro tempore derelicta, vivunt ut privati ; vel de officialibus qui, in præsidiis, urbibus aut pagis degentes, propriis expensis sibi provident; vel semestrium habentes, qui ut cæteri facti sunt cives : nulla ratione a communi lege eximuntur. In pluribus diœcesibus militares in *activitate*, sine ulla distinctione, cum uxoribus et liberis, declarantur ab abstinentia exempti, exceptis, ad summum, nonnullis diebus, ut feria sexta Majoris Hebdomadis.

CAPUT QUARTUM.

DE ABSTINENTIA EXTRA JEJUNIUM.

1° Constat, ex dictis, abstinentiam a carnibus nunc partem esse jejunii, ac proinde diebus jejunii servandam esse nisi aliqua legitime excusans.

2° Olim multo plura existebant jejunia quam hodie ; præter enim magnum quadragesimale jejunium, in primis sæculis jejunabatur etiam feria quarta, feria sexta et sabbato singularum hebdomadum. Sic quippe habet S. Aug., Epist. 36, n. 30 : « Cur autem quarta et sexta » maxime jejunet Ecclesia, illa ratio reddi videtur, quod » considerato Evangelio, ipsa quarta sabbati, quam vulgo » quartam feriam vocant, concilium reperiuntur ad occi» dendum Dominum fecisse Judæi... Passus est Domi» nus, quod nullus ambigit, sexta sabbati, quapropter et » ipsa sexta jejunio deputatur. » Postea, n 32, refert idem Doctor S. Ambrosium, a se circa jejunium sabbati inter-

rogatum, respondisse : « Quando hic sum (Mediolani), » non jejuno sabbato; quando Romæ sum, jejuno sab- » bato. » Unde eo tempore alii jejunabant, alii non jejunabant die sabbati. Innocentius I, quinto ineunte sæculo, Epist. 1 ad Decentium, cap. 4, ait : « Non ergo nos nega- » mus feria sexta jejunandum, sed dicimus et sabbato hoc » agendum, quia ambo dies tristitiam Apostolis, vel his » qui Christum secuti sunt, induxerunt. »

3° Jejunium in his diebus paulatim cessavit : Leo IV, anno 855 mortuus, illud tradit, Decreto, part. 3, dist. 3, can. 11, ut de consilio; abstinentiam feria quarta pariter ut de consilio, et die veneris, ut de præcepto, secundum explicationem glossæ. Item Greg. VII, in synodo Romæ celebrata, anno 1078, cap. 8, Decreto, part. 3, dist. 5, can. 31, relata, et in Constit. Bened. XIV, *Jampridem*, diei 23 jan. 1745, ac in Synodo diœc., l. 11, cap. 5, n. 5, citata, hortatur ad servandam abstinentiam sabbati nisi major interveniat festivitas : de jejunio hoc die faciendo nihil dicit.

Hinc 1° abstinentia feriæ quartæ a multo tempore cessavit, vel tantum fuit de consilio; 2° abstinentia diei veneris ubique est de præcepto, et nulla est in hoc controversia inter catholicos; 3° abstinentia diei sabbati in undecimo sæculo erat tantum de consilio etiam Romæ, sed postea, ex consuetudine, facta est de præcepto apud Latinos, saltem in plerisque locis.

Dicimus *in plerisque locis;* nam 1° in pluribus usus carnium remansit licitus, v. g.. in quibusdam Galliæ diœcesibus, sabbatis inter Nativitatem Domini et Purificationem B. Mariæ intervenientibus, quod agnoscit Bened. XIV in Const. et capit. Synodi diœces. modo citatis; 2° in pluribus Hispaniarum regnis mos invaluerat, « cu- » jus originem difficile est divinare, » inquit Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 11, cap. 5, n. 6, « ut ita in sabbato » carnibus abstineretur, ut simul vescerentur interiori- » bus extremisque animalium partibus, » ut sunt pedes, alæ, capita, colla. Rogante Philippo V, Hispaniarum rege, ipse Bened. XIV, Const. *Jampridem* diei 23 januarii 1745,

ad Apostolicum nuntium prope dictum regem directa, indulsit « ut in regnis Castellæ, Leonis et Indiarum, per » dies sabbati, quibus tamen neque abstinentia consueta » Quadragesimæ, neque aliud jejunium præcipitur, qui- » buslibet animalium partibus fideles vescerentur. » Insuper in tota Hispania a pluribus sæculis viget bulla dicta *Cruciata*, vi cujus unusquisque obtinere potest, mediante modica eleemosyna, facultatem carnes edendi plerisque abstinentiæ diebus. 3° Græci etiam catholici carnes diebus sabbatorum, extra Quadragesimam, comedunt; in Quadragesima iisdem diebus abstinent a carnibus, sed non jejunant, excepto Sabbato sancto. Bened. XIV, Const. *Etsi pastoralis*, diei 26 maii 1742, § 9, n. 8 et seq.

4° Jejunium nunquam fuit præscriptum, ne quidem in Quadragesima, diebus dominicis, propter memoriam resurrectionis Domini, quæ in eis celebratur; non tamen prohibetur, et ex laudabili motivo voluntarie susceptum, bonum est. Abstinentia similiter, ob eamdem rationem, non servatur, ex mandato Ecclesiæ, diebus dominicis extra Quadragesimam; et si vigilia aut dies S. Marci in dominicam incidat, jejunium cum abstinentia, aut sola abstinentia sabbato præcedenti servatur; Decretal. l. 3, tit. 46, cap. 1 et 2.

5° Si Nativitas Domini die veneris vel sabbato celebretur, carnibus, propter festi excellentiam, vesci possunt fideles, *secundum consuetudinem Ecclesiæ universalis;* sunt verba Nicolai I ad Bulgares, in Decretal. loco citato, cap. 5, et pro sabbato eruitur ex decreto Greg. VII supra citato.

FINIS TRACTATUS DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

INDEX.

TRACTATUS DE PECCATIS.

TRACTATUS DE DECALOGO.

TRACTATUS DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

EXPLICIT TOMUS QUINTUS.

BESANÇON. — IMPRIMERIE D'OUTHENIN-CHALANDRE FILS.